Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

4°
L. 21.
Th. B.S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRID. AD. LAMPE
THEOLOGI CONSUMMATI
MEDITATIONUM EXEGETICARUM
OPERA ANECDOTA,

quibus ſiſtuntur Commentarius in

PSALMOS GRADUUM,
ITEMQUE FRAGMENTA
IN
APOCALYPSIN JOHANNEAM,
ET IN
ECCLESIASTEN SALOMONIS
ANNOTATIONES.

Omnia recenſuit, atque ex Mſſ. luci publicæ donavit.
Præfationemque præmiſit

DANIEL GERDES

SS. Th. D. & Prof. in Acad. Groning-Omlandica.
Societ. reg. ſcientiar. Berolin. membrum.

GRONINGÆ,

Apud HAJONEM SPANDAW, Bibliopolam.
MDCCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMME REVERENDO

ATQUE

CELEBERRIMI NOMINIS THEOLOGO,

NICOLAO NONNENIO

SS. Theol. Doctori, atque in
Illuſtri Bremenſium

ATHENÆO

PROFESSORI MERITISSIMO,
EVANGELII IN ECCLESIA BREMENSI
MINISTRO FIDELISSIMO,
PRUDENTISSIMO,

VIRO

IN REI LITTERARIÆ OMNIS,
DOCTRINÆQUE THEOLOGICÆ
SOLIDIORIS
DECUS ET ORNAMENTUM NATO.
ECCLESIÆ SCHOLÆQUE
PATRIÆ
COLUMNÆ ATQUE FIRMAMENTO.
VERITATIS RUSPATORI ADSIDUO,
AMATORI INDEFESSO,
AC
DEFENSORI STRENUO.
PIETATIS MASCULÆ, CULTORI, ATQUE
PROMOTORI EXCELLENTISSIMO.

SUO

Digitized by Google

SUO, JAM INDE à
QUINQUE LUSTRIS COMMILITONI ATQUE
AMICO, LONGE CONJUNCTISSIMO
NEC UNQUAM RECONCILIATO.
FAUTORI ATQUE IN DOMINO FRATRI
ET AGNATO HONORATISSIMO.
HAS BEATI *LAMPII* MEDITATIONES EXEGETICAS,
NON EQUIDEM LIMATAS SATIS AUT EXASCIATAS,
SED ERUDITAS TAMEN ET BONAS,
PUBLICÆQUE REI INSERVIENTES
IN ÆSTIMATIONIS VERECUNDÆ
ET
TENERRIMI AFFECTUS
SIGNUM,
ITEMQUE IN PERPETUUM
LAMPIANI
NOMINIS
CUJUS VEL MEMORIA EST VENERABILIS,
MONUMENTUM,
CUM
VOTO OMNIGENÆ
BENEDICTIONIS
DIVINÆ

DAT, DICAT, DEDICAT

DANIEL GERDES.

B E-

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

GRATIAM ET SALUTEM.

EN Tibi novum, nec proletarium Eruditionis, Diligentiæ, Scientiæque LAMPIANÆ in tractandis Scripturis Sacris, earumque ſenſu profundiori inveſtigando atque exponendo, documentum atque teſtimonium!

Quum enim pulcherrimæ hæ Viri Incomparabilis in PSALMOS GRADUUM Meditationes Exegetico-Propheticæ, atque in APOCALYPSIN JOHANNEAM Disquiſitiones, in chartis ejus, ipſius τȣ Μακαρίτȣ manu ſcriptæ reperirentur; Quumque eæ de mirifica vi & ubertate ingenii Viri Celeberrimi luculentum præbeant, quodque omnium feriat oculos,

Digitized by Google

los, judicium, tametſi quoque ultimam ipſius Authoris, qui præſtantiſſimis auſis eſt immortuus, limam expertæ non ſunt. Tum, ſtimulantibus multis Viris doctis, illud cepi conſilium, quod ſine multiplici tamen propter varios, qui me cinxerunt & cingunt quotidie labores, moleſtia exſecutus non fui, eaſdem publicandi, Tuiſque, benevole Lector, ne intra privata ſacraria conſeneſcerent, communicandi uſibus:

Noveram præterea in Librum SALOMONIS קהלת *Coheleth*, ſive, ECCLESIASTEN vulgari nomine dictum, Virum Doctum quædam fuiſſe paucis ante obitum diebus meditatum, ſed quorum fragmenta inter ejus ſchedas non niſi lingua vernacula ſive Germanica deprehendebantur, cum intereà non deeſſent exemplaria, quæ ab ejus auditoribus calamo erant excepta, quorum tria diverſa, ſed lacunis maximis, atque nævis quamplurimis deflorata, longe diuque ſatis quæſita, tandem ad manus meas venerunt: Hæc itaque ipſa quoque meditamenta, quanquam, ſive accurationem, ſive ſermonis puritatem dictioniſque elegantiam ſpectes, non ſatis exaſciata, tamen addenda reliquis opportunum judicabam, eumque in finem permoleſtum certe conferendi inter ſe modo dicta exemplaria, atque aliud ex alio emendandi laborem in me ſuſcepi, ita tamen ut multis in locis & corrigenda quædam & ſupplenda quoque fuerint, ne ſenſus hiulcus maneret, aut integra orationis interrumperetur ſeries.

Sunt in genere, hæ Exegeſes, quanquam non abſo-

ſolutæ nec perfectæ, ingenioſæ tamen, & maturo judicio adornatæ, neque publico, probè ſcio, diſplicebunt eædem, ſaltem magis ei inſervient, quam frigida multa & jejuna, quæ pro inſulſa ſcribendi in hoc ſeculo multorum prurigine effunduntur, magis quam componuntur, magisque vero obſiſtunt cognitionis & ſcientiarum incremento, quam ut idem promoveant.

De ipſa Hypotheſi, cui Expoſitionem PSALMORUM horum, à Pſ. CXX--CXXXIV. inædificat Cel. Author, non eſt, quod pluribus tecum agamus, aut eandem aliis, quam ipſe fecit Author, ſtabiliamus argumentis. Quanquam enim ipſa illa traditio, de quindecim hiſce Pſalmis aliquando decantatis in quindecim Templi Hieroſolymitani gradibus, qui, non à Talmudicis ſolummodo, quod viſum fuerat Celeberrimo CAMPEGIO VITRINGÆ Patri, *de Templo Ezechiel.* Tom. II. p. 241. figmentorum numero id inſcribenti, ſed &. à JOSEPHO de B. J. VI. 6. dicuntur fuiſſe Απο τȣ των γυναικων διατειχισματος *à ſepto mulierum, in atrium Iſraelitarum,* incertior aliquantiſper videatur Viro cuidam Eximio, meorumque Amicorum Summo, quod loca Miſchnica ex Cod. *Succah* Cap. V. miſn. 4. & *Middoth* Cap. II. miſn. 5. quæ eum in finem adduci ſolent, id præciſe non referunt, quod equidem non diffitemur: Incognitum tamen eſſe non poterat Viro perſpicaciſſimo, atque in ſtudiis hiſce verſatiſſimo, ipſum Interpretem Hagiographorum, Chal-

Digitized by Google

dæum, quicunque ille demum fuerit, quem in Talmude paſſim רב יוסף RAV JOSEPH appellari conſtat, quique Talmudicorum ſaltem ætatem ſuperat, jam ſuo tempore titulum horum Pſalmorum reddidiſſe שירא דאתאמר על מסוקין דתהומא *Canticum recitatum ſuper gradibus abyſſi.* Per quos abyſſi gradus, non alios, quam hos ipſos, quos ſuper abyſſum, uti totum ſanctuarium, fabulantur fuiſſe fundatos Judæi, intelligi melius poſſe, perſuaſi ſumus. Ut omnino ſatis tutum eſſe exiſtimemus ipſi, huic ut hypotheſi, quæ egregiam nobis ſuppeditat clavim ad phraſium & locutionum propheticarum emphaſin reſerandam, ſcenamque propheticam definitè nobis repræſentandam, cum præſtantiſſimis quibuſque Interpretibus inhæreamus.

Quod JOHANNIS APOCALYPSIN concernit, nemo eſt qui ignoret, quam cumulatè in ejus myſterium reſerandum ſuas attulerint eruditionis opes Viri Doctiſſimi, omnique noſtra laude majores; Inter quos ex Theologis noſtris, eccleſiæ Chriſtianæ à Papiſmi fæcibus Reformatoribus referimus, FRANCISCUM LAMBERTUM *Avenionenſem*, *a*) & ALFONSUM CONRADUM *Mantuanum* ex

a) Edidit is *Exegeſeos in Sanctam Divi Johannis Apocalypſin Libros VII. In Academia Marpurgenſi prælectos* A. 1528. 8. tam eximiæ raritatis, ut non defuerint, qui eos unquam extitiſſe dubitaverint, quos tamen haud paulo meliora edocet Cel. WAEJENUS Pater, in commentar. ad ſermon. Academ. de Numero Septenario pag. 111. ſeq. Prouti hujus libelli, quem ex Viri Clar.

b), ex ſequentibus PETRUM LAUNÆUM *c*) JOSEPHUM MEDUM *d*,) & JACOBUM GRELLOTUM *e*;) Ex illis qui propius noſtra attigerunt tem-

Clar. THEOD. HASÆI Bibliotheca nobis comparavimus, atque præ manibus habemus, excerptum ſatis luculentum dedit Clar. B. G. STRUVIUS in Bibliotheca antiqua Tom. I. p. 459-477.

b) Is cum propter Evangelii nuper renati profeſſionem ex Italia profugus in Rhetiæ montibus verſaretur, *commentarium edidit in Apocalypſin*, qui Baſileæ 1574. 8. eſt impreſſus, atque non minus inter rariores, parumque in bibliothecis hodiernis obvios connumeratur libros, qui variis tamen iisque elegantibus refertus eſt meditationibus, ex quibus in Vindiciis Sermonis de numero ſeptenario quædam adduxit Cel. JO. WAEJENUS Pater pag. 167. & ſeq.

c) PETRI LAUNÆI., quem inter optimos Scripturarum interpretes dudum retulit Vir doctus, STEPHANUS GAUSSENIUS, quemque non ſemel doctiſſimi Interpretis titulo exornat CAMP. VITRINGA P. in Apocalypſin labor, ſub hoc editus extat titulo: *Paraphraſe & Expoſition ſur l' Apocalypſe tiree des Saintes Eſcritures, & de l' hiſtoire par Jonas le Buy S' de la Perie.* à Genev. MDCLI. 4. Quod enim ſub *Jonæ Buiqi Perierii* nomine PETRUS LAUNÆUS lateat, jam in Theatro Pſeudonymorum PLACCII eſt obſervatum fol. 493.

d) JOSEPHUS MEDUS, doctiſſimus Anglus, uti vir erat modeſtiſſimus, unde & de ſcriptis ſuis, quorum multa elucubravit, quæque poſt ejus obitum 1677. fol. ſunt edita, non plura quam tria, inter quæ & ejus *in Apocalypſin eſt commentarius*, præmiſſa *clavi Apocalyptica*, in lucem emiſſus Cantabrig 1632. 4. in publicum produxit, ita in omni genere ſcientiarum, atque in Antiquitate eccleſiaſtica & interpretatione Scripturæ S. verſatiſſimus fuit, multaque virtute præditus;

e) ANTONIUM GRELLOTUM, doctiſſimum V. D. M. Belgam, egregiam præſtitiſſe in elucidanda Apocalypſi operam, conſtat, ex Ejus *Prodromo in D. Johannis Apocalypſin* Lugd. Bat. 1675. 4. edito, qui id præ cæteris eximium habet ac ſingulare, quod

Digitized by Google

tempora, CAMPEGIUM VITRINGAM *f*) τον Παιυ, JACOBUM ABBADIE, *g*) & JOHANNEM GUSTAVUM REINBECKIUM. *h*)

In-

quod ex Hebræorum libris maximam Verborum, Phraſium, & Rerum, partem eruat, ſanctaque illa vaticinia & eorum ſymbola ex Judaicis, Talmudicis atque Cabbaliſticis ſcriptis elegantiſſimè illuſtret, uti is reverà in veterum Hebræorum ſcriptis erat verſatiſſimus, dolendumque ſit, hunc Prodromum non ab ipſo majori Commentario, quem moliebatur, fuiſſe exceptum.

f) CAMPEGIUM VITRINGAM in Anacriſi Apocalypſeos Johannis Apoſtoli. Franeq. 1705 4. edita, omnes impleviſſe numeros, maximamque inter Interpretes omnes Apocalypſi affudiſſe lucem, pleno ore teſtantur Theologi tam noſtri quam qui Lutheri placitis aſſurgunt, uti quam plurima ſe Cel. VITRINGÆ debere, non diffitetur ipſe, qui in Apocalypſin egregium adornavit commentariolum, Venerandus REINBECKIUS, Theologus Evangelico-Lutheranæ Profeſſionis cum maxime Berolinenſis judicioſiſſimus.

g) JACOBUM ABBADIE, Doctiſſimum hujus & ſuperioris ſeculi Theologum Gallum, qui A. 1727. naturæ debitum in Anglia explevit, nemo inter noſtros ignorat: Eſt verò ejus *in Apocalypſin commentarius* peregregius, Lingua Gallica exaratus ſub titulo. *Triomphe de la providence & de la Religion, ou l' Ouverture des ſept ſeaux par le Fils de Dieu* &c. atque in Belgicum idioma tranſlatus ſub tit. *Triomferende Godsdienſt in zeven Profetiſche Tafereelen, by de opening der zeven zegelen vertoont.* Amſterd. 1726. 4. 2 voll. In quo BOSSUETI Meldenſis præcipuè varia in Apocalypſin illata interpretamenta ad examen revocantur & refelluntur.

h) JOH. GUSTAVI REINBECKII, Præpoſiti atque Paſtoris Berolinenſis, commentarius ſub. tit. *brevis Enucleationis, primarii argumenti Apocalypſeos Johanneæ*, lingua Germanica conſcriptus, inſertus extat, illi, quæ Berolini ante hos viginti & quod ſupereſt annos inſtruebatur, meditationum Theologicarum pulcherrimarum collectioni, ſub titulo *Berliniſche Hebopfer*, parte XVI. XVII. XVIII. Atque uti accuratum Viri

Exi-

Digitized by Google

Interea tamen, (neque enim omnes Apocalypſeos commentatores hic recenſere vel lubet vel vacat, cum cæteroquin præclara Nomina, TH. BRIGHTMANNI, J. FOXI, F. JUNII, JOH. COCCEJI, JOH. HEUNISCHII, ANTONII DRIESSENII, RUARDI ANDALÆ, JOH. HONERTI, J. H. SCHUURMANNI, aliorumque, hic eſſent appellanda) ab iis omnibus non ſemel ita diſcedere videbis Doctiſſimum Authorem noſtrum, ut plerumque etiam ubi eorum legit veſtigia, tamen quædam ab his ipſis minus obſervata interſpergat, eorumque obſervatis præclaram adſpergat lucem; Uti nemo non, eundem breviſſimis verbis, ſed iis tamen nervoſiſſimis animi ſui cogitata exprimere, perſpiciet, ut nec me Operæ editioni huic inſumptæ, nec quenquam, Lectionis atque accuratioris penſitationis poenitere queat;

SALOMONIS quod attinet *Librum* קהלת, KOHELETH dictum, omnium conſenſu difficillimum, eum hic nova prorſus hypotheſi videbis illuſtratum, magnaque ex parte, (ſunt enim hæc Fragmenta ſolummodò) nova Verſione, Notisque elegantiſſimis dotatum, quas ut ſtudioſe ac diligenter perluſtrare velis, atque accurati-

Eximii Judicium, ita quoque ſummam ejus Scientiam Theologicam abunde probat; Et quanquam Celeb. VITRINGÆ, quem optimum Apocalypſeos Interpretem appellat, veſtigiis ut plurimum inſiſtat, in quamplurimis tamen etiam eundem ab ejus placitis diſcedere, propriiſque inſiſtere meditationibus limatiſſimis, ex ipſo opere perſpicitur.

ori ſubjicere examini, Tibi Author extiterim atque ſuaſor; Adeo ſerena in luce, quam multa abſtruſiſſimi ejus ſcripti Δυσνοητα, videntur eſſe conſtituta, adeo ea quæ propemodum non videbantur intelligibilia, jam fulgorem ſpargere & mirifica ſe commendare perſpicuitate videntur; Quod vel ex unico, ut illud in tranſcurſu tantummodo commemoremus, exemplo eſt manifeſtum, variarum *illarum Adhortationum ad edendum & bibendum atque ad fruendum hilariter rebus præſentibus*; Quanquam enim non deſint qui ad Epicuræorum ſuæque gulæ deditorum Scholas has relegare non dubitant, quaſi non ex ſua ibi loqueretur mente Scriptor ſacer, ſed Epicuræorum, vel imperitorum, redderet vel imitaretur voces, uti hanc cauſam ſingulari ſtudio diſputarunt, Viri Celeberrimi & J. J. RAMBACHIUS & C. B. MICHAELIS in diſſertationibus *de Salomonis ad eſum potumque*, itemque *ad lætitiam Exhortationibus*; Unusquisque tamen videbit, quam ne id quidem ut ſtatuatur neceſſe ſit, cum ſalva Celeberrimi Authoris noſtri hypotheſi, in illis Adhortationibus ii tantum *ad edendum & bibendum*, *hilariterque vivendum* excitentur, in quorum per fidem purificato labore c. IX: 7. Deus ſuum habet beneplacitum, & quibus divino munere, una cum vero animi Bono Cap. II: 24. hoc indulgetur beneficium Cap. V: 17, 18. quod Dei donum eſt, atque ex ejus manu proficiſcitur, Cap. II: 24. Ii denique, qui filiali ſupremi Numinis re-

ve-

verentia, mortiſque imminentis, & judicii recordatione, omnes delicias ſuas temperant & circumſcribunt. Cap. XI: 9. XII: 13. ſq.

Quibus ex obſervatis collucefcit, non luxum hic celebrari ullum, aut gulam, nec Sardanapali mollitiem ac hilaritatem, quæ frænum excutiat, ullam excuſari, ſed pelli diffidentiam ſolummodo erga Dei vias, electis ſemper proficuas, atque curas mordaces animo expelli, commendari autem Mentem ſua ſorte contentam, in Deo tranquillam, atque in ipſis vitæ moleſtiis aut laboribus devorandis ſerenam;

Hæc erant, quæ pro re præſenti monenda erant. Precor DEUM T. O. M. ut ipſam Doctrinam coeleſtem ex limpidis Scripturæ fontibus hauriendam, non autem ex hujus illiusve delirantis atque ineptientis, ſibique in deliriis ſuis atque ineptiis, applaudentibus bardis omnibus, iiſque, qui fatuos ſectantur ignes, mirifice applaudentis, cerebro enatam, in diebus noſtris ſinat triumphare, utque ea nobis, illuceſcere faciat, dudum a Sanctis verbi Prophetici ſcrutatoribus deſiderata tempora, de quibus credibile eſt Danielis ceciniſſe oraculum, PERCURRENT MULTI, ET AUGEBITUR COGNITIO!

Ita ſcribebam Groningæ, ipſis Idibus Novembris. cIↃ IↃCC XL.

DANIEL GERDES.

Digitized by Google

FRIDERICI ADOLPHI LAMPE
IN
PSALMOS GRADUUM
INDE à
PS. CXX-CXXXIV. incl.
COMMENTARIUS.

PROLEGOMENA.

§. I.

CUr Cantica XV. quæ explicare ſuſcipimus inſcribantur שירי המעלות *Schirei hamangnaloth*, de eo variant Interpretes. Quidam *melodiam* aliquam Muſicam putant deſignari: aliis canticum *adſcenſionum* idem eſt ac canticum *concluſionum*, quod inſtar Completorii in fine ſacrorum cantatum fuerit: alii vertunt per canticum *excellentiarum*, ſeu excellentiſſimum. Hi omnes in eo aberrare videntur, quod uſitatæ vocis notioni alias ſubſtituant, quas nullo exemplo probant. Aliqui ab *adſcenſu* in feſta, ſeu

reditu Iſraëlis ex Babele, titulum hunc deducunt, quaſi cantica hæc in via decini ſolita fuerint, ſed tum additum procul dubio fuiſſet aliquod nomen, quo hæc circumſtantia planius fuiſſet expoſita. Alii ita dictos putant ſive quod decantati *ad gradus* arcis Regiæ in gloriam Dei, quod ſedem iſtam firmaſſet, ſive quod in deportatione arcæ fæderis in urbem Davidis per *quindecim ſtationes* portantium Levitæ hæc cantica modulati ſint. Prius repugnat uſui populi Dei, poſterius rationi temporis. Hactenus ergo probabilis maxime eorum ſententia fuit, qui ex Codice SUCCA cap. 5. §. 4. & MIDDOTH. cap. 2. §. 5. quos ſequitur KIMCHIUS ad h. l. notant, *quindecim* fuiſſe in monte domus Dei inter atrium virorum ac mulierum *Gradus*, per quos ex hoc ad illud adſcendebatur, in quibus omnibus veſperis Feſti Tabernaculorum a Levitis, aliiſque Muſicæ ſacræ cultoribus hæc cantica decinebantur. Ex veteribus Patribus hanc ſententiam quoque fovit HERACLEOTES Catena in pſalm. p. 520. AUGUSTINUS in pſ. 89. ab ea quoque non alienus eſt, quem LYRANUS ſequitur.

§. II. Hæc ſententia nobis ſe approbat. I. Quia convenit cum uſu vocis maxime conſueto .מעלות enim frequenter non ſolum de aliis gradibus Exod. XX: 26. I Reg. X: 19. Nehem. III: 15. ſed etiam de *gradibus in templo* uſurpatur Ezech. XL: 6. 22. 26. 31. 34. 49. II. Quia antiquiores Verſiones huic notioni favent LXX: ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν. AQUILA & SYMMACHUS: εἰς τας ἀναβάσεις. THEODOTION: ᾄσμα τῶν ἀναβάσεων. VULGATA: *Carmen graduum.* III. Quia frequentiſſimæ ſunt ad feſtum tabernaculorum in his pſalmis alluſiones. IV. Quia nihil admodum eſt, quod traditioni illi Judaicæ opponi poſſit. Quod enim quidam exiſtimant, Miſchnam in ritibus ad Templum primum ſpectantibus exiguæ eſſe authoritatis, nos non ferit, quia ſuſpicamur titulum hunc certo Pſalmorum faſciculo non a primis ſcriptoribus, quos tempore ſatis diverſos hæc Cantica nacta ſunt, ſed a collectoribus eſſe præfixos, qui forte templo ſecundo jam exſtructo pſalmos hos huic ſpecialiori uſui deſtinarunt. Alii tamen, inter quos Villalpandus, Lo-

ri-

Digitized by Google

rinus S. van TILL in ipſo templo Salomonæo gradus ſimiles fuiſſe ſuſpicantur.

§. III. Diverſos Authores hi Pſalmi habent. Quatuor DAVIDI tribuuntur CXXII. CXXIV. CXXXI. CXXXIII. SALOMONI unus CXXVII. Reliqui. Sunt Ἀνώνυμοι. Hos multi ſuſpicantur Davidis eſſe omnes. Verum cur tum non potius primo cantico in hoc faſciculo inſcriptum Davidis nomen fuiſſet?

§. IV. De ſubjecto horum Canticorum primario variæ ſunt ſententiæ. Idem eſſe ſubjectum omnium XV Canticorum inſcriptionis identitas poſtulat: illa enim nos non ſinit dubitare certo quodam conſilio illa eſſe congeſta ac diſpoſita. Non unius perſonæ aut loci ſtatum in iis exprimi ex variis ſchematibus, quæ ſe invicem excipiunt, facile conſtabit. Et aliquando non una perſona, ſed integer coetus loquitur Pſ. CXXII. CXXIII. CXXIV. &c. Inde conficimus, cantica hæc reſpicere ſtatum univerſæ Eccleſiæ, quæ dicitur *Iſrael Dei* Pſ. CXXIV: 1. CXXV: 5. CXXVIII: 6. CXXX: 8. CXXXI: 3. operam adeoque ludunt, qui aliquos ex his pſalmis ad ſola Davidis fata trahunt.

§. V. Sigillatim Iſraelem N. T. ejuſque fata nobiliora in his canticis produci poſt LUCAM BURGENSEM, COCCEJUM & alios hujus potiſſimum diſcipulos rationibus non contemnendis inducti credimus. I. Sic egregie cum materia congruit titulus. *Progreſſus Domini* in Eccleſia frequenter *gradibus* conferuntur, uti alias oſtenſum. Gradus ſane Templi typicos cum tota ejus ſtructura fuiſſe facile eſt probatu. Si vero *gradus* Templi typici, tum procul dubio etiam *Pſalmi*, qui his *gradibus* accommodati erant, relationem habuere ad ſpiritualem graduum illorum ſignificatum. Accedit feſtum tabernaculorum, ſicut omnia feſta V. T. præfiguraſſe fata Eccleſiæ N. T. & ſigillatim adumbraſſe hoſpitium ejus inter gentes. II. Ex hac hypotheſi optime poteſt ratio dari ordinis, qui inter pſalmos illos eſt. Cum enim non ſit obſervatus ordo authorum aut temporis quo conſcripti ſunt, & tamen faſciculum per ſe conficiant, hinc colligimus, collectorem aut nullam ordinis rationem habuiſſe, quod implicaret, aut per Spiritum Sanctum ductum ma-

Digitized by Google

materiarum rationem habuiſſe, atque ita cantica diverſiſſimos Iſraëlis ſtatus exprimentia ordinaſſe, ut reſponderent ſucceſſioni fatorum diverſorum in Eccleſia. III. Occurrunt phraſes variæ, ita Eccleſiæ N. T. in ſcriptis propheticis privæ, ut non poſſint, commode & in plena conſuetaque Spiritui Sancto emphaſi, ſumi de Eccleſia priſca Judaica. Tales ſtudioſe in ipſa exegeſi notabimus. Inter eas ſunt ex. gr. Pſ. CXX: 5. *Hei mihi, quia inquilinus fui apud Meſech, habitavi apud tentoria Kedar*. Pſ. CXXI: 6. *Interdiu ſol non feriet te & Luna in nocte*. Pſ. CXXII: 5. *Throni domus David* in numero plurali. Pſ. XXIII: 1. *Ad te attollo oculos meos qui ſedes in coelo*. Pſ. CXXV: 2. *Jehova eſt circa populum ſuum a nunc uſque in ſeculum*. Pſ. CXXX: 8. *Ipſe redimet Iſraëlem ex omnibus pravitatibus ſuis* Pſ. CXXXII: 14. *Hæc requies mea in perpetuum: ſic habitabo. Nam appeto illam*. Et vers 16. *Sacerdotes ejus induam ſalute, pii ejus jubilando jubilabunt*. Pſ. CXXXIII. totus.

§. VI. An in numero *quindecim* canticorum myſterium ſit ponendum diſquiri etiam poteſt. Spiritus Prophetiæ intervalla Eccleſiæ diverſimode digerit. Plerumque ſeptenarium, ſæpe etiam octonarium exprimit. Neque tamen ita firmiter huic numero inhæret, ut non aliquando pro re nata eum augeat aut minuat. Nam ſecundum diverſum conſiderandi modum diverſimode notabiliores Eccleſiæ eventus poſſunt diſpeſci. Nihil ſane obſtat, quo minus hic quoque aliquod myſterium latere ſuſpicemur. In templo Ezechielis quindecim exprimuntur gradus, per *ſeptem* adſcendebatur in atrium exterius Ezech. XL: 22. per *octo* in interius v. 31. Sicut iſtud ibi non fruſtra cenſeri debet a Deo ordinatum, & veram horum graduum ſignificationem viæ Dei explicabunt, quas inflectet ad templum glorioſum ultimorum temporum perficiendum, ita idem hic quoque cogitare licet. Nempe cum ſeptem dies fatis Eccleſiæ ſoleant dare Prophetæ, hi alibi in totidem veſperas & matutina diſpeſcuntur, ad deſignandas perpetuas lucis & tenebrarum in Eccleſia vices. His computatis habemus *quatuordecim* gradus, quibus Eccleſia ad ſuam perfectionem ducitur. Sed in ſeſto

ta-

Digitized by Google

tabernaculorum accedebat dies *octavus*, cujus initium quaſi XV. ultimus gradus eſt, poſt quem plena Eccleſiæ quies reddenda.

§. VII. Iſtud facile apparet, varias rerum mutationes ſtatuſque diverſiſſimos, ſed tamen redeuntes in ſuo ordine & cum præcedentibus ac ſequentibus ſemper cohærentes, in his Canticis depingi, ſecundum quos generalis horum pſalmorum Analyſis poteſt inſtitui.

§. VIII. Generale eorum Argumentum eſt celebratio fidelitatis & conſtantiæ Dei in Eccleſia ſua per omnes tentationum fluctus in ſalo hujus mundi conſervanda ac ad ſummam perfectionem paullatim præparanda. Hæc fidelitas Dei proponitur tanquam in quatuor diverſis Eccleſiæ liberationibus ſucceſſive demonſtrata.

I. De prima liberatione agit divinus vates Pſ. CXX. CXXI. CXXII. hoc ordine, ut

A. Deſcribatur tentatio Eccleſiæ habitantis tentoria Kedar per linguam falſorum Doctorum, quæ continua jurgia & lites excitabat. Pſ. CXX.

B. Conflictatio Eccleſiæ contra illam tentationem. Pſ. CXXI. CXXII. quæ ſpondet:

1. Auxilium Domini ut *cuſtodis* & *umbraculi* in itinere, in quo Eccleſia verſabatur Pſ. CXXI.

2. Splendidum itineris hujus exitum in Hieroſolymæ novæ thronorumque domus Davidis conſtabilitione, cum pace & tranquillitate conjunctum. Pſ. CXXII.

II. Secunda liberatio deſcribitur. Pſ. CXXIII. CXXIV. Hic

A. introducitur Eccleſia oppreſſa contumelia ſuperborum, & in illa oppreſſione auxilium divinum petens. Pſ. CXXIII.

B. Eccleſia iterum liberata ex magnitudine periculi, cui immerſa fuerat, fidelitatem & potentiam Jehovæ celebrat. Pſ. CXXIV.

Digitized by Google

III. Tertia liberatio continetur Pſ. CXXV--CXXVIII. Heic occurrit

A. Confirmatio Eccleſiæ contra inſtantem a ſceptro improbitatis oppreſſionem Pſ. XXV.

B. Supplicatio ad Deum ſub ipſa oppreſſione, ut auxilietur cum ſpe boni eventus Pſ. CXXVI.

C. Reſtitutio ſerenitatis per certos gradus Pſ. CXXVII. CXXVIII.

1. Per novam Eccleſiæ contra portas inferni munitionem Pſ. CXXVII.

2. Per bonorum in illa reſtituta abundantiam Pſ. CXXVIII.

IV. Quarta liberatio ſiſtitur Pſ. CXXIX-CXXXIV. ubi

A. Status Eccleſiæ liberandæ adumbratur Pſ. CXXIX-CXXXI.

1. Spes Pſ. CXXIX.

2. Fides Pſ. CXXX.

3. Patientia Pſ. CXXXI.

B. Liberatio ipſa deſcribitur tanquam nova cultus divini inſtauratio Pſ. CXXXII-CXXXIV. Hic

1. Beneficium a Deo præſtandum commemoratur Pſ. CXXXII.

2. Effectus ejus ſeu officia in illo cultu a populo Dei exhibenda Pſ. CXXXIII. CXXXIV.

a. Cultus unitas Pſ. CXXXIII.

b. Ejusdem conſtantia Pſ. CXXXIV.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXX.

TEXTUS	Verſio Cel. COCCEJI.
שיר המעלות אל יהוה בצרתה לי קראתי ויענני׃	1. *Carmen graduum. Ad Dominum in arcto mihi clamavi ; & reſpondit mihi.*
יהוה הצילה נפשי משפת־־שקר מלשון רמיה׃	2. *Domine, eripe animam meam à labio falſiloquo, à lingua doloſa.*
מה־יתן לך ומה־יסיף לך לשון רמיה׃	3. *Quid dat tibi & quid addit tibi lingua doloſa?*
חצי גבור שנונים עם גחלי רתמים׃	4. *Tela herois acuta cum prunis juniperi.*
אויה־לי כי־ גרתי משך שכנתי עם אהלי קדר׃	5. *Hei mihi! quia inquilinus fui* apud *Meſech, habitavi apud tentoria Kedar.*
רבת שכנה לה נפשי עם שונא שלום׃	6. *Multùm habitavit ſibi anima noſtra cum oſore pacis.*
אני־שלום וכי אדבר המה למלחמה׃	7. *Ego pacatus ſum, &, quia loquor, illi ad bellum* ſe convertunt.

§. I.

PSalmus hic præter Inſcriptionem cum reliquis communem nullum authorem indicat. Unde fruſtranea eorum nobis videtur opera, qui occaſionem aliquam externam in Davide aut Iſraële, captivitate Babylonica oppreſſo, quærunt. Status, qui hic pin-

pingitur, ſatis peculiaris eſt. Loquitur enim quidam, qui inquilinus eſt in Meſech & Kedar, quique non tam ob ſuam a domo patria aberrationem, quam ob verba falſa, fraudulenta, & rixas quibus impetebatur a talibus, quibuscum tempore ſatis longo habitabat, ac pacem colere quærebat, afflictus eſt, ac propterea ad Jehovam clamans exauditur.

§. II. In artificio Pſalmi non accedimus illis, qui variationem ſecundum diverſas perſonas, quas Pſaltes alloquitur, hic concipiunt, ſed putamus hic introduci coetum fidelium coram aliis Deum celebrantem, quod preces ſuas exaudiverit, atque eum in finem recitantem ipſas preces, quas in anguſtia coram illo effuderit. Unus enim tantum eſt, qui compellatur nominetenus, *Jehova*, nec ullius alterius perſonæ, ad quam ſermo dirigatur, mentio fit.

§. III. Duas igitur partes generales habet hic Pſalmus.

I. Præloquium vs. 1. quod non tantum ad hunc pſalmum ſed etiam ad omnes ſequentes extendi poteſt, in quo commemorat, quo potiſſimum medio in omnibus afflictionibus uſus ſit, & quantum fructum ex eo perceperit. Habetur ergo hic

A. Medium, quod adhibuit: *Ad Jehovam in anguſtia mihi clamavi.*

B. Fructus ex medio hoc perceptus: *Et reſpondit mihi.*

II. Primum exemplum illarum precum, quas in prima anguſtia effudit vs. 2-7.

A. Petitio proponitur. vs. 2. *Jehova, eripe animam meam a labio falſitatis* (*falſiloquo*,) *a lingua fraudis* (*fraudulenta.*)

B. Argumenta adduntur, quibus illa fulcitur vs. 3-7.

1. Primum petitum eſt a turpitudine *linguæ fraudulentæ*, contra quam defendi deſiderat vs. 3. 4. Unde linguam illam fraudulentam conſiderat.

a. Ut contra ipſum Jehovam injuriam vs. 3. *Quid dabit tibi & quid addet tibi lingua fraudis?*

b. Ut populo Dei quam maxime nocivam vs. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum prunis juniperorum.*

2. Secundum petitum eſt ab iniquitate cauſſæ eorum, qui

qui linguam fraudis contra Eccleſiam acuebant vs. 5-7. Hic

a Vera cauſſa infenſæ hujus linguæ detegitur, ſcilicet ſeceſſus a coetu falſiloquorum, cujus communionem antea coluerat vs. 5. *Va mihi*, ſcilicet propterea eſt, apud hos falſos fratres, propterea omnia mala mihi intentantur, *quia peregrinatus ſum in Meſech, habitavi cum tentoriis Kedar.*

b. Injuſtitia hujus cauſſæ demonſtratur vs. 6. 7. idque ex duobus argumentis.

α. Quod ſeceſſum hunc non niſi poſt longam patientiam exercitam inſtituerit vs. 6. *Multum habitavit ſibi anima mea cum odio habente pacem.*

β. Quod licet omni modo pacem quæſiverit, & porro ſit quæſiturus, nihil tamen efficiat, niſi, ut bellum promoveat vs. 7. Hic igitur docet

א. Quomodo ſe geſſerit, & porro geſturus ſit: *Ego pacatus* (quod *me* attinet, *pax* ſc. eſt: & *propterea loquar.*

ב. Quodnam lucrum inde reportaverit: & porro exſpectet *illi ad bellum ſc.* provocant (ſe convertunt.

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS 1.

Ad Jehovam) Deum omniſufficientem ad juvandum, & fidelem in promiſſis. Non male hic cogitatur non tantum de Patre, ſed etiam de Filio: qui Pſ. ſequenti ſpeciatim occurrit ut *Cuſtos* & *umbraculum* Iſraëlis. In principio poſita hæc vox emphaſin habet ad excludendum omnia falſa confugia carnis.

In anguſtia mihi) Vox צרה, quæ generatim quamcumque anguſtiam, ſpeciatim vero talem, quæ ex oppreſſione aliorum oritur, deſignat, hic in fine recipit ה finale: Unicum hoc exemplum in

ſacris occurrit, quo pacto intendi ſignificationem obſervatur a Grammaticis. Deſignare ergo poteſt & *magnitudinem* & *multitudinem* anguſtiarum. Poſterius non reſpuimus, quia comma hoc poteſt Præfatio totius noſtri Pſalmorum faſciculi eſſe. Vocula לי procul dubio ex affixo צר צרה nata eſt. Alias Pſaltes dixiſſet צרתי. Anguſtia, proprium tempus eſt ad ſupplicandum Deo. Jeſ. XXVI: 16.

Clamavi) Clamor eſt proprius oppreſſis per violentiam, qui auxilium promtum expetunt. Job. XIX: 7. *Ecce clamo oppreſſionem, & non exaudior; quiritor, & non eſt judicium.* Ita ad Jehovam *clamabant filii Iſraëlis* in Ægypto oppreſſi: *& eorum clamor de ſervitute illa aſcendit ad Deum ipſum.* Exod. II: 23. Cæterum hic habetur vox קרא, quæ de precibus totoque fidelium cultu frequentiſſime ab antiquo uſurpari ſolebat. Gen. IV: 26. Indicatur ergo preces populi Dei eſſe, 1. ex ſenſu anguſtiæ ortas. 2. ferventiſſimas:

Et reſpondit mihi) Frequens hæc de Deo preces ſuorum exaudiente phraſis eſt in Pſalmis III: 5. IV: 2. XIII: 4. XVII: 6. XXXIV: 5. XCI: 15. CXXX: 1. Involvit autem 1. quod Deus invocationem per preces ſupponat. 2. quod tanquam omniſcius omnium neceſſitatum & votorum populi ſui cognitionem habeat. 3. quod iſtud oſtendat, *reſpondendo* tum verbis per promiſſiones quibus ſpes ſuſtentatur, tum factis per actuale auxilium. Reſponſio hæc illico jungitur clamori: & per accentus quoque hæc verba ſibi invicem arctius conjuncta ſunt, ad ſignificandum, Deum quaſi ſtatim reſpondiſſe, cum oppreſſus adhuc clamaret. Jeſ. LXV: 24.

VERSUS 2.

Eripe) Vox הציל natura ſua deſignat ereptionem ex manibus hoſtium, idque armata manu. Conſiderat ergo Pſaltes ſe hoſtibus cinctum, quorum evadere impetum & furorem in ſuis viribus non erat, unde vult ut Jehova, tanquam אל גבור potentiam ſuam in debellandis hoſtibus exſerat.

Ani-

Animam meam) Magnitudinem periculi inde licet agnoſcere, quod animam teneri ab hoſtibus queritur. Neque tamen cenſeo hic animam proprie dictam intelligendam eſſe. In eam hoſtes fidelium nihil juris habent. Anima ergo hic, ut ſæpe, pro *vita* ponitur. Gen. IX: 5. Exod. IV: 19. Levit. XVII: 11. &c. Hoc imitati ſunt gentiles.

A labio falſitatis, à lingua fraudis) שקר deſignat mendacium quodcunque, ſigillatim tale. 1. quod per falſum teſtimonium de proximo datur. Exod. XX: 13. Deut. XIX: 18. 2. Quod contra Deum ipſum directe committitur per falſam doctrinam, idque non ſolum in craſſiori idololatria Ier. XVI: 19. ſed etiam in quibuscunque dogmatibus veritati divinæ contrariis. Pſ. CXIX. 163. *Mendacium* (שקר *odi & abominor, legem tuam amavi.* Confer Jerem. VIII: 8. רמיה vox *fraudi* propria eſt, & ſpeciatim tali, quæ in damnum alterius eſt excogitata, quæque id non præſtat, quod obligata eſt aut promiſit. Fraus hæc exercetur. 1. contra homines, quando iis verba dantur. 1 Chron. XII: 17. 2. contra Deum, ſive quando opus ejus, quod conveniebat agere, ignave agitur ac negligitur. Jerem. XLVIII: 10. ſive per hypocriſin, uti Pſ. XXXII: 2. ubi רמיה opponitur ſinceritati foederati Dei, cui Deus defectionem, peccatum & iniquitatem condonavit, texit, non imputavit. Diverſas res hic deſignari per ſe patet & accentus monſtrat. An etiam diverſæ perſonæ, ambigimus. Coccejus per *falſiloquos* intellexit gentes, per *fraudulentos* Judæos. Obſtat autem quod in commate ſequenti de uno tantum ſubjecto querela inſtituitur. Et gentiles plus factis ipſis, quam verbis odium contra populum Meſſiæ effundere debebant. Utriuſque ſane Judæi incuſantur Mich. VI: 12. *Cujus habitatores loquuntur falſum, & lingua ipſorum eſt doloſa in ore eorum.* Inter crimina ſane Judæorum, de quibus potiſſimum in temporibus Meſſiæ incuſantur, ſæpiſſime inculcatur falſitas & fraudulentia linguæ eorum. *Sepulchrum apertum eſt guttur eorum, linguis ſuis blandiuntur.* Pſ. V: 10. Linguam hanc exerciturі tum contra populum Meſſiæ. Pſ.

 XIV:

XIV: 6. tum contra Jehovam ipſum. Jeſ. III: 8. Non una tamen facies hujus malitiæ erat. Quidam acturi apertis mendaciis populum ſanctum calumniis & blasphemiis proſcindendo, *filios rupis pro maculis* habendo. Deut. XXXII: 5. *in fratrem loquendo, & in filium matris ponendo blasphemiam*. Pſ. L: 20. omniaque veritatis fundamenta reſcindendo, *Viri irriſionis, habentes poteſtatem in populum hunc, qui eſt Hieroſolymis*. Jeſ. XXVIII: 14. *Dicendo: omnis faciens malum bonus eſt in oculis Jehovæ & eis delectatur, aut ubi eſt Deus judex* Malach. II: 17. *Ægre faciendo Deo vanitatibus ſuis*. Deut. XXXII: 21. Alii vero magis fraudulenter pacem oblaturi aut ſimulaturi, acceſſuri *ad Deum ore ſuo & labiis ſuis honoraturi, licet cor longe à Deo remotum haberent*. Jeſ. XXIX: 13.

VERSUS. 3.

Hic verſus inſignem habet difficultatem, quia quidam eum ut apoſtrophen ad Deum conſiderant, alii ut apoſtrophen ad ipſos mendaces ac fraudulentos, qui convinci hic putantur, quod ex ſuæ linguæ turpiſſimo abuſu non ſolum nihil utilitatis relaturi, ſed etiam judicium graviſſimum in ſe eſſent provocaturi, quod verſu ſequente deſcribi ſupponitur. Nos priori ſententiæ inhæremus 1. quia ſimplicior, cum nullum alloquium ad perſonam hic occurrat, & totus Pſalmus uſque ad finem de illis hoſtibus in tertia perſona agat. 2. quia ſimilia verſu 4. occurrentia magis quadrare in linguam quam in judicia Dei apparet.

Quid dabit tibi) Deo *dabantur* olim oblationes in ſanctuario. Exod. XXII: 29, 30. XXV: 2. XXXV: 5. Levit. XXIII: 38. XXVII: 9. &c. Sic etiam Deo dicitur *dari honor*. Joſ. VII: 19. 1 Sam. VI: 5. Pſ. LXVIII: 35. Jeſ. XLII: 12. Adeoque hic de talibus ſermo eſt, qui cultui Levitico adhærentes & ſibi perſuadebant & ab aliis putabantur *dare id Deo*, quod *Dei* erat. Quando jam interrogatur: *Quid tibi, o Jehova! dabit?* tum ſenſus eſt, linguam talia glorantem inſigniter fallere & falli, tum quia Deus per ſe eſt omniſufficiens, nulliuſque rei in-

Digitized by Google

indigus, quia nihil quicquam per talem cultum externum affertur, quod acceptum ei eſſe, quodque approbare poſſit. Confer hic locum Job. XXXV: 6. 7. *Si peccas, quid facis ipſi? & ſi multiplicentur defectiones tuæ, quid efficis ipſi? Si juſtus es, quid das ipſi, & quid ex manu tua capit?* In ſenſu colludit iſtud Pſ. L: 18. *Non delectaris ſacrificio, alias darem: Holocauſtum non accipis.*

Et quid addet tibi) Vox יסף frequenter uſurpatur de additamentis ad Legem Dei per placita humana Deut. IV: 2. XIII: 1. Prov. XXX: 6. Phraſis hæc reſpicere poteſt opera ſupererogatoria eorum, qui placita hominum legi divinæ ſuperaddunt, adque hoc pacto eo firmius ſibi perſuadent, ſe juſtitiam coram Deo poſſidere, licet hi multo magis fallantur, quia Deus omnem *additionem* ad legem ſuam ſevere prohibuit.

Tibi) Emphatice hic repetitur, ut indicetur, Jehovæ non ſolum qua ſumme perfecto omniumque poſſeſſori nihil dari, ſed etiam qua ſanctiſſimo & veraciſſimo Legiſlatori nihil addi poſſe aut debere.

Lingua fraudis) CLOPPENBURGIUS notat differentiam generis inter לשון & verba antecedentia, quod ſi eſſet, eorum ſententia non improbabilis videretur, qui apoſtrophen ad linguam fieri putarent: *Quid, o lingua, Jehova tibi dabit & addet?* i. e. quas poenas a te exiget? verum occurrunt loca, in quibus לשון etiam maſculinum eſt, ut Joſ. XV: 2. Prov. XXVI: 28. Zeph. III: 13. &c. Licet ſupra *falſitatis* & *fraudulentiæ* mentio eſſet facta, hic tamen ultimum tantum repetitur, quia fraudulentia linguam impiorum magis deteſtabilem coram Deo reddit quam falſitas. In omni fraudulentia eſt *falſitas*, ſed non in omni falſitate *fraudulentia*. Nulla vero foedior fraudulentia excogitari poterat quam ea, quæ per falſam gloriationem carnis coram Deo fiebat, qua prætendebant Deo ſervitium præſtare, qui tamen ſuis tantum cupiditatibus ſerviebant. Hic verus character erat Judæorum tempore Meſſiæ Mal. I: 13. 14. Pſalm. L. 8-13. Jeſ. XLIII: 23. 24.

Digitized by Google

VERS. 4.

Sagitta potentis acuta) גבור *Heros* ſeu *potens* hic poteſt deſignare Diabolum Jeſ. XLIX: 25. Serpentem antiquum mendacii & falſiloquorum patrem: Illius *ſagitta* ſunt lingua fraudulentiæ, quia illa tanquam inſtrumento utitur ad nocendum piis. *Sagitta* emblema ſunt calumniarum & convitiorum. Prov. XXV: 18. *Jaculum & gladius & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium.* Adde Pſ. LV: 22. LVII: 5. Jerem. IX: 8. LUCIANUS de non tem. (cred. calumn: p. 409. ωσπερ οι λοχωντες, εξ αφανυς ποθεν τοξευων. *Ut qui in inſidiis latent ex abdito jaculatur.* Idem in Reviviſcentes p. 393: Ος παρ ημων τα τοξευματα ως φης λαβων, καθ ημων ετοξευες, ενα τυτον υποθεμενος τον σκοπον, απαντας ημας αγορευειν κακως. *Qui a nobis, uti fateris, jacula accepiſti, adverſus nos jaculatus es, hunc unum ſcopum obſervans, ut nos omnes convicíis laceſſas.* Convenientiam oſtendit GEJERUS ad h. l. *Acuta* dicuntur, quia cum magna diligentia & aſtutia ſerpentina calumniæ contra populum Dei contextæ, alteque penetrabant & animos læſorum vulnerabant. Pſ. XLII: 11. Notetur hic præcipue deſcriptio Prov. XXX: 14. de generatione perverſa Judæorum agens: *Generatio cujus dentes gladii, & cujus molares cultri; ad conſumendum pauperes e terra & egentes ab hominibus.*

Cum prunis) Quidam hic ad *tela ignita* collimatum eſſe putant. LIVIUS. XXI: 8. *Falarica erat Saguntinis, miſſile telum haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum extabat. Id, ſicut in pilo, quadratum ſtuppa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus poſſet. Sed id maxime etiam ſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pavorem faciebat: quod cum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat.* Sed ex hac ipſa deſcriptione colligimus, quod ea nihil ad rem hic faciat, ubi nullius flammæ, ſed

ſed tantum *prunarum* mentio fit, quæ nihil ad tela faciunt. Lingua convitians ignita eſt. ARISTOPHANES Ranis V. 881. ſq.

> - - - - λοιδορεισθαι δ' ου πρεπει
> Ανδρας ποιητας, ωσπερ αρτοπωλιδας.
> Συ δ' ευθυς, ωσπερ πρινος εμπρησθεις, βοας.

Non decet viros Poetas convitiari ut piſtorum uxores. Tu vero clamas ut ilex igni crepitans. Sic adagium BEN SIRÆ נור דלוק מוקיר גדישין סגיאין *Ignis ardens ſuccendit multos frugum acervos*; Hebræi interpretantur: *Nunquam traducas proximum tuum. Sicut enim exiguus ignis multos frugum acervos conſumit, ita nihil eſt, quod magis devaſtet mundum, quam mala lingua.*

Juniperorum) Septuag. videntur ignoraſſe, quid רתמים deſignent. Nam Job. XXX: 4. reddunt per ξυλα 1 Reg. XIX: 4. retinent Hebræum ραθαμ & v. 5. reddunt per φυλον, plantam. hic vero adjective vertunt per ερημικοις. Interpretes bene multi malunt *geniſtarum*. Favet iis lingua Arabica & Hiſpanica quæ adhuc dum geniſtam nominat *Rethama*. Favere quoque videtur radix רתם, quæ *ligare* vertitur, cum *geniſtas vinculorum uſum preſtare* PLINIUS Lib. XXIV. cap. 9. ailique teſtentur, ſed cum ipſa radix inter απαξ λεγομενα occurrat Mich. I: 13. inde nihil recti poteſt ſtatui. Hactenus ergo præferimus verſionem AQUILÆ & VULGATÆ, quæ prunas αρκευθινας ſeu *juniperinas* reddunt. Geniſtæ ſane adverſatur, quod illa tantum inter frutices & virgulta pertineat, quæ neque umbram poſſunt præſtare, uti Eliæ contigit dormienti ſub junipero, neque idoneos carbones exhibere. Juniperum hic optime quadrare patet ex deſcriptione Iſidori in originibus: *juniperum dictum Græce* ait, *quod conceptum diu retineat ignem, adeo ut ſi pruna ejus, ejus cinere fuerint contecta, uſque ad annum perveniant.* Parabolicum hoc forte eſt. Quoad ſummam rei tamen con-

conſentit HIERONYMUS epiſt. ad Fabiolam de 42 manſionibus Iſraëlis. Sic & R. DAVID : *Juniperi carbones retinent ignem intus, quando apparent mortua, ſic lingua doloſa, adulatur palam, ſed clam in abſentia mordet.* Sit igitur juniperus hic ſymbolum Judæorum carnalium, quia arbor ſylveſtris & ſpinoſa. Carbones Juniperorum ſupponunt, quod igne judiciorum divinorum comburendi, ita tamen ut ſub ipſis favillis conſervaturi ſint ignem nocivum, animum nocendi, qui cum alias vires amiſiſſet, tamen lingua in occulto ardere pergeret. Hinc patet, duo hæc ſymbola etiam apte poſſe diſtingui. Quamdiu enim rebus florentibus uſuri erant, ſimiles futuri ſagittis acutis, ſed licet mox per judicium divinum ut inutile lignum comburendi, nihilominus malitia inſuperabili in calumniando perrecturi, & hoc ſaltem pacto latenter nocituri.

VERS. 5.

Va mihi) Interpretes iſtud אויה לי ita intelligunt, ac ſi referendum eſſet ad ſequentia verba, & in illis proprie deſcribatur miſeria illa propter quam Pſaltes indoleſcit. Verum nos putamus longe aptius ad præcedens referri, ut deſignet animum dolentem ob malum, quod Eccleſia a linguæ fraudulentæ telis & igne perpetiebatur : & tum ſequentia verba nihil niſi cauſſam indigitant, ob quam a lingua illa impetebatur. q. d. Iſtud væ iſtam duriſſimam perſecutionem patior propterea, quia poſthabita communione Eccleſiaſtica cum Judaiſmo lubens peregrinationem in Meſech ſuſcepi & habitationem in tentoriis Kedar cohibitationi cum oſoribus pacis prætuli. Hoc prætenſum illud peccatum eſt, propter quod impetor. Licet nova plane videri poſſit hæc interpretatio, puto tamen me ſonticas ita ſentiendi habere cauſſas. Nam. 1. Exclamatio אויה לי vel לנו cum כי ſtatim ſequente ita frequenter ſolet conſtrui, ut per כי non deſignetur ipſa miſeria, ſed illius cauſſa. Thren. V: 16. *Va nunc nobis, quia peccavimus.* Adde. Jeſ. III: 9. Hoſ VII: 13. 2. He Heemanticum ſi ſequentibus commatis noſtri verbis ipſa miſe-

ſeria, propter quam dolet Pſaltes, exhiberetur, tum *habitatio cum tentoriis Kedar* & *cum oſoribus pacem* idem ſignificare deberet, quod contra ſtylum Scripturæ eſt, quæ per *tentoria Kedar* non ſolet intelligere Judaiſmum, ſed gentes, ut ſtatim videbimus. 3. Veri fideles non ſolent in magna infelicitate ponere, quod peregrinentur in mundo Hebr. XI: 9. 10. 13. 14. Multo minus habitatio & extenſio Eccleſiæ inter gentes, quam Pſaltes hoc commate deſcribit, pro malo habenda erat, cum id ipſum pertineret ad promiſſam mundi hæreditatem. 4. Parallelus noſtro loco eſt ille Cant. I: 6. ubi poſtquam *tentoriis Kedar* ſponſa ſe contulerat, addit: *Filii matris meæ exarſerunt in me*, & illico hanc cauſſam ſubjungit: *poſuerunt me cuſtodem vinearum; vineam meam, quæ mea erat, non ſervavi.*

Quia peregrinatus ſum) Vita fidelium in ſalo hujus mundi ad coeleſtem patriam tendentium elegantiſſime comparatur *peregrinationi*. Ipſi gentilium Philoſophi vitam frequenter itineri contulerunt. ANTONINUS lib. II: §. 17. Ο βιος πολεμος και ξενε επιδημια. *Vita militia eſt & hoſpitis peregrinatio.* Multo magis fideles ita ſe conſiderant 1. quia a patria coeleſti hactenus excluſi. 2. quia omnibus incommodis ſpiritualiter expoſiti, quæ peregrinantes cingunt. 3. quia inſtar peregrinantium ſe gerunt in mundo, per diſcrepantiam linguæ, habitus, morum ac ſtudiorum a mundo, per patientiam, per bonorum mundanorum contemtum, per amorem popularium, per exſpectationem & deſiderium coeleſtis patriæ, per niſum perpetuum, ut illi propiores fiant. Ita jam fideles in V. T. affecti erant 1 Chron. XXX: 15. Multo magis id competit fidelibus N. T. qui reſpiciuntur Pſ. CXIX: 19. quia illis *deſerendus populus & domus Patris* Pſ. XLV: 11. Hebr. XIII: 13. Unde παροικοι & παρεπιδημοι 1 Pet. II: 11. Hoc adumbrarunt itinera Patriarcharum, quibus hæc vox propria Gen. XXXV: 27. Pſ. CV: 12. 23.

In Meſech) Appellative hanc vocem ſumſere Aquila, Symmachus & LXX. quos Vulgata, Syrus, Arabs aliique ſequuntur, ut ſcilicet aut pro *Meſcheſch* lectum ſit verbum *Maſchach*, aut

Digitized by Google

vox מֶשֶׁךְ deſignet *diu*. Quo pacto derivatur a radice מָשַׁךְ, *trahere, protrahere*, quæ etiam de protractione temporis occurrit Ezech. XII: 25. Nehem. IX: 30. Hoc poſt BOCHARTUM ST. LE MOYNE Var. Sacr. T. II: p. 48. & aliis arriſit. Sed obſtat 1. quod nullum exemplum ſit nomen משך ita ſumi, cum proprie *electionem* deſignet V. infra Pſ. CXXVI: 5. 2. quod in ſequenti ſegmento certæ cujuſdam Kedarenorum nationis mentio fiat. Neque obſtat, quod גור ſoleat per ב aut את conſtrui cum nomine loci. Nam connexio illa aliquando etiam omittitur Pſ. V: 5. *Non* יגרך *morabitur tecum malus*. *Meſech* occurrit inter filios Japheti Gen. X: 2. 1 Par. I: 5. ex quo non ſolum *Moſchi*, ſed etiam ſecundum Joſephum *Cappadoces* & confines Aſiæ populi ſunt orti. Moſchorum enim nomen generale videtur fuiſſe illis gentibus, qui inter Euphratem & Pontum Euxinum habitarunt. Hinc *Moſchici montes* qui Iberiam dividunt ab Armenia & in Cappadociam uſque procurrunt. Straboni *Moſchica tripartita eſt: partem ejus Colchi, aliam Iberes, aliam Armeni tenent*. Quare non male R. SALOMO: *Inter Perſas, Græcos, Meſech filioſque Japhet ſum peregrinus*. Unde Chaldæus reddit: *peregrinatus ſum cum* (אונאי, ſed melius) אסיאי *Aſiaticis*. Inter illos peregrinari dicebatur populus Dei, quia illuc ſonus Evangelii pertranſire debebat.

Habito) Hoc deſignat peregrinationem non ita cito tranſituram. Ubi enim habitatur, ibi domicilium in aliquod tempus fixum eſt.

Cum tentoriis Kedar) Kedar filius fuit Iſraëlis Gen. XXV: 13. 1 Par. I: 29. cujus poſteri conſederunt in Arabia Nabatæis proximi, Plinio lib. V: c. 11. noti ſub nomine *Cedreorum*, non in civitatibus aut oppidis ſed in tentoriis habitarunt, unde dicti *Scenitæ & Nomades*. Hinc *tentoriorum Kedar* mentio fit Cant. I: 5. Jerem. XLIX: 29. 31. Inter pertinaces idololatras numerantur Jer. II: 10. & inter hoſtes populi Dei Jeſ. XXI: 16. 17. Particulam עם pro *apud* poſitam putat Gejerus. Sed melius eſt naturalem ejus notionem conſervare. Ita enim deſignatur iſtud præcipue criminis Eccleſiæ dari, quod communionem

Digitized by Google

onem cum Kedarenis colat. Hoc ſupponit, illos Kedarenos per Evangelium eſſe converſos & ad *κοινωνιαν* ſpiritualem cum veris Dei cultoribus admiſſos. Hoc idem prædictum Jeſ. XLII: 11. *Efferat ſe deſertum & oppida ejus, per pagos habitetur Kedarena; cantent cantantes petram à capite montium vociferentur.* Hoc pleniſſime aliquando implendum Jeſ. LX: 7. *omnes oves Kedarenorum ad te aggregabuntur.*

Nervoſe hi duo populi conjunguntur. Moſchi verſus ſeptentrionem & occidentem, Kedareni verſus auſtrum & orientem habitabant. Utroque in loco occurrens Eccleſia indicat, quo uſque regnum Meſſiæ jam penetraverit, & impleta ſit promiſſio Jeſ. XLIII: 5. 6. XLV: 6. Mal. I: 11.

Inter reliquas vero gentes nobiliores & præſtantiores, hæ potiſſimum commemorantur, quia vilitate, morumque aſperitate præ aliis eminebant. Continetur enim in his verbis accuſatio linguæ fraudulentæ Judæorum, qui id concoquere non poterant, quod ruptis foederis ſacri cum populo Iſraëlitico ſecundum carnem omnium nationum nobiliſſimo vinculis, non gentes tantum, ſed etiam inter eas maxime impuræ & contemtibiles absque *προσωποληψια* adſciſcerentur. Id jam prædixerat Moſes Deut. XXXII: 21. *Ad Zelotypiam commovebo eos per eum, qui non eſt populus; per gentem ſtultam provocabo eos.* Adde Jeſ. IX. XLV: 9-11.

VERS. 6.

Multum ſibi habitavit anima mea) Hæc ſpectant tempus præcedens tranſactum a populo Meſſiæ naſcente inter Iſraëlem. Non enim illico relinqui Iſraël debebat, ſed interjecta aliqua mora. Integra *Septimana* annorum poſt Meſſiæ exciſionem deſtinata erat *ad foedus* huic populo *corrobandum* Dan. IX: 27. De modo autem hujus habitationis tria obſervantur 1. quod *anima* populi Meſſiæ illic habitaverit. Anima pro affectu & deſiderio aliquando ponitur Pſ. XXIV: 4. XXVII: 12. XXXV: 25. &c. Sic *tota anima* Deus amandus. Indicatur ergo fideles non ultro communionem hanc rupiſſe,

ſed coactos. Nam ſi ſecundum naturalem ſuam inclinationem procedere voluiſſent, lubentes in communione Iſraëlis externi perſeveraſſent, tum ob naturale ſanguinis vinculum, tum quia ipſi nondum plene de conſilio Dei circa gentes inſtructi erant. 2. quod *ſibi* habitaverit, לה quidam male pro pleonaſmo habent. LORINUS putat ſolitudinem animæ inter barbaros habitantis indigitari. Sed hic non agitur de habitatione inter barbaros. Alii dativum incommodi ſeu patientis cenſent, ut. Thren. I: 15. 17. III: 60. Sed ego potius haberem pro accuſatione propriæ imprudentiæ. Agnoſcit, quod affectus ille erga priſtinum populum, non ſecundum voluntatem Domini, ſed proprii cordis cogitationes apud eam ſe exſeruerit, quodque in eo ſe ipſum nondum ſatis plene abnegaverit. 3. *Multum* quidam reddunt per *nimis diu*, & tum pergit ſe incuſare, quod lente ſatis divortium fecerit. Sed & affectus vehementia poteſt deſignari: uti dicimus *multum* amare, quos impenſe amamus. Et vox רבת pro *copioſe*, *abundanter* ponitur Pſ. LXV: 10. Affinis phraſis recurret Pſ. CXXIII: 4. Ex his patebat, tantum abeſſe, ut queat incuſari de rupto perverſe foederis vinculo, ut potius nimium, quam fas erat, ei adhæſerit.

Cum oſore pacis) Hic cauſſa latet, cur de habitatione illa priſtina Eccleſia conqueratur, quia cum *pacis oſore* commercium habuerat. *Pax* quandoque generatim notat quamcunque felicitatem, quandoque ſpeciatim communionem amicam cum Deo & hominibus. Hæc cum adventu Chriſti perfectius revelanda Deo per juſtitiam æternam reconciliato, & muro intergerino ſublata Jeſ. LI: 7. IX: 6. 7. Pacis hujus oſores ſunt, qui propriæ felicitatis curam negligunt, qui pacem cum Deo per juſtitiam alienam reſpuunt, cum propriæ juſtitiæ opinione inflati ſunt, quique gentes alias ſecum in communionem ſanctam nolunt adſciſcere. Odium hoc adhuc magis elucet, quando perſecutio in illos movetur, qui pacem hanc inculcant. Hic erat character, qui nationi Judaicæ in temporibus Meſſiæ appropriatur. *Non delectatus eſt benedictione*. Pſ. CIX. *Oderunt cognitionem*. Prov. I: 22. *Non pacem loquuntur, & contra quietos*

terræ

Digitized by Google

terra fraudem comminiſcuntur. Pſ. XXXV: 20. *Dicunt*, *cede verſus te*, *ne propinques mihi*, *quippe te ſum ſanctior*. Jeſ. LXV: 5. Confer Prov. XXX: 11-14. & ſpeciatim Jeſ. LXVI: 3-5.

VERS. 7.

Ego pax) Οἱ ο. Ημην ειρηνικος. Abſtractum pro concreto. Quidam ſupplendum putant per איש. Id certum eſt *το* שלום aliquando in concreto ſumi 1 Sam. XXV: 6. Sed & *το* אני hic poteſt eſſe emphaticum. Sæpius enim pronomen hoc per ſe integrum ſententiæ membrum abſolvit. Ex gr. Pſ. XXXV: 13. LXIX: 14. LXXIII: 2, 28. q. d. Me quod attinet, pax eſt, ego gaudeo pace dulciſſima etiam inter Meſechitas & Kedarenos. Vel ita: Me quod attinet, ſi per me ſtaret, nil niſi pax eſſet. Mihi nihil magis volupe eſſet, quam eam promovere, ipſoſque illos oſores pacis, inter quos habitavi, ejus compotes reddere. Ita ſe demonſtrat eſſe inter eos, qui vero amore proximi impleti, etiam invitum ſalutis ac pacis veræ compotem reddere quærunt.

Et propterea loquar) Interpretes paſſim hæc verba referunt ad tmema ſequens, cum tamen Atnach in אדבר eam vocem cum præcedenti connectat. Sed & negligunt paſſim tempus futurum, quod accentuationi favet. Hic enim ſenſus tum ſubeſt, ſe pacis ſtudium, quo fervebat, etiam in poſterum demonſtraturum eſſe. Nam כי frequentiſſime ſignificare *propterea*, aliquando etiam *certe*, *omnino*, quod etiam hic quadraret, notum eſt. Ita verbi gratia in ſimili conſtructione cum verbo אדבר Pſ. CXVI: *Credidi*, כי אדבר *propterea locuturus ſum*. Ex ejusdem loci collatione patet, *το* דבר aliquando eſſe idem ac cum parrheſia loqui. Id ergo vult Pſaltes, ſe ex conſcientia bonæ cauſſæ, rectique cordis nihil omnes calumnias & perſecutiones oſorum pacis æſtimaturum, ſed in confeſſione doctrinæ pacis, ejusque publica aſſertione intrepide perrecturum eſſe.

Illi in bellum) Clara eſt oppoſitio. Iſtud tantum notandum *το* למלחמה & active & paſſive intelligi poſſe. Active paſſim Interpretes ſu-

Digitized by Google

ſumunt, uti Jer. VI: 23. Pſ. XVIII: 40. & tum innuitur *oſores pacis* ſe qua tales reapſe oſtendere, quia in bello contra Deum & populum ejus præfracte perſiſtunt, dicentes: *Diſrumpamus lora iſtorum: & projiciamus a nobis denſos funes iſtorum.* Pſ. II: 3. Sed nihil impedit, quo minus etiam paſſive ſumamus ut Jerem. XXVIII: 8. *Propheta illi, qui fuerunt ante me & ante te inde a ſeculo, illi prophetarunt contra regiones amplas & contra regna magna* למלחמה ולרעה ולדבר *ad bellum, & ad afflictionem & ad peſtem.* Ita indicatur oſores pacis lege talionis etiam *ad bellum* eſſe poſitos, adeoque bellum quod paci prætulerunt, eos ipſos conſumturum eſſe. Confer Deut. XXXII: 23. ſq.

IMPLEMENTUM.

§. I. Eccleſia Chriſtiana ſtatim ab incunabulis ſuis cum multis magniſque afflictionibus conflictandum habuit. Act. XIV: 22. 2 Tim. III: 12.

§. II. In illis vero ſemper apud Deum auxilium quæſivit & accepit. Rom. VIII: 37.

§. III. Inter primas afflictiones fuit illa, quam a populo carnali Judæorum perpeti debuit, qui lingua ſua non tantum contra Deum per hypocriſin, ſed etiam contra populum ejus abuſus eſt, idque tum blasphemando doctrinam ſalutis Matth. XII: 31. 32. 36. 37. tum calumniis contra confeſſores ejus in illos varias perſecutiones excitando. Id ipſe præmonuit Salvator Matth. X: 17. 18. 21. Joh. XV: 20. XVI: 2. 3. quod fecerunt non tantum propria malitia utentes Act. IV: ſq. ſed etiam gentes contra Chriſtianos excitantes. Exempla ejus occurrunt Act. XIII: 50. XIV: 2. 19. XVII: 5. XVIII: 12. XXI: 27. 1 Theſſ. II: 14. 15. 16. Hinc Paulus inter crimina eorum ponit: *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum uſi ſunt, venenum aſpidis ſub labiis eorum. Os eorum diris & amarulentia plenum eſt, Et viam pacis non cognoverunt.* Rom. III: 13. ſq. Huc pertinet linguæ perverſæ deſcriptio Jac. III: 5. eam inter alia nominans *flammam & mundum iniquitatis.* Hos tales puto Petrum

Digitized by Google

trum intelligere 1. Ep. III: 16. per eos, qui *Chriſtianis obloquebantur ut facinoroſis, & infeſti erant bona eorum in Chriſto converſationi*. Confer IV: 14. Gravi oratione id iis exprobravit Juſtinus Martyr apud Euſebium lib. IV: c. 18. *Tantum abeſt, ut vos eorum, quæ impie geſſeratis, poenituerit*, quin *imo quoſdam ad id lectos homines in omnes orbis partes Hieroſolyma emiſiſtis, qui dicerent ſectam impiorum Chriſtianorum exortam eſſe, eaque adverſus nos probra divulgarent, quæ effutire ſolent ii, qui res noſtras penitus ignorant. Adeo non ſolum vobis ipſis, ſed cunctis*, ut ita dicam, hominibus, erroris *atque injuſtitiæ cauſſam* præbetis. Eadem habet EUSEBIUS in Comm. ad. Jeſ. XVIII. edit Montf. p. 424. ubi Sacerdotes & ſeniores Hieroſolymitanos harum literarum miſſores faciunt. Hinc TERTULLIANUS in ſcorpiaco adv. Gnoſticos c. X. eos fontes perſecutionum appellat. Sed & poſt deſtructionem Hieroſolymæ eundem ſervarunt animum. Quomodo Polycarpo aliiſque martyribus inſultaverint ex Epiſtola Smyrnenſium de obitu Polycarpi conſtat. EUSEBIUS l. cit. ad c. V: p. 373. *Ad hoc uſque tempus videas ejuſdem moris Judæos eſſe -- Cum atheis & impiis nationibus congregati idololatras quidem recipiunt, probum autem & temperantem Chriſti populum averſantur & perſequuntur*. Graviſſima inter alia paſſi ſunt a Barchocheba, de quo Juſtinus in Apologia pro Chriſt. *Proximo bello Judaico Barchochebas, defectionis Judæorum Dux & Princeps ſolos Chriſtianos ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent & maledictis inceſſerent, protrahi juſſit.*

§. IV. Prætenſa cauſſa hujus odii fuit falſa gloriatio in vero cultu Dei, a quo Chriſtianos deſciviſſe putabant. Se enim crepabant *nominari Judæos & acquieſcere in lege, & gloriari in Deo &c.* Rom. II: 17. ſq. Quin eo dementiæ pertingebant, ut *putarent*, quiſquis diſcipulos Chriſti *interimeret, eum cultum præſtare Deo.* Joh. XV: 2. Exempla hujus prætenſionis ſunt Act. VI: 13. 14. XXI: 27.

§. V. Vera autem cauſſa odii fuit duplex. Prima & proxima erat ſeparatio Eccleſiæ Chriſtianæ a cathedra Moſaica, per quam authoritas ſedentium in ea conquaſſabatur. Hujus ſe-

ſeparationis criteria diverſa in prophetia oſtendit eventus.

Primum criterium erat, quod ab Hieroſolyma & Canaane terreſtri avulſa Eccleſia inter gentes quaſi peregrinaretur. Hinc membra ejus dicuntur *inquilini & advenæ* 1 Pet. II: 11. *exeuntes ad Jeſum extra caſtra probrum ejus portantes: quia non habebant hic civitatem manentem, ſed futuram illam inquirebant.* Hebr. XIII: 13. 14.

Alterum erat, quod latiſſime brevi tempore diſpergerentur, tam ad Auſtrum, quam ad Aquilonem. Hoc jam incipiebat fieri in prima pentecoſte, in qua jam comparent Cappadoces, id eſt, *Meſechitæ*, & Arabes ſeu *Kedareni* Act. II: 11. Ad Cappadoces quoque ſcribebat. Petrus. 1. Ep. I: 1. Barbarorum quoque & Scytharum mentio fit Col. III: 11. Inter Arabes Paulum Evangelium diſſeminaſſe patet ex. Gal. I: 17. JUSTINUS dial. cum Tryphone: *Ne unum quidem eſt genus hominum, ſive Barbarorum ſive Græcorum, ſeu quocunque tandem nomine vocentur, vel Hamaxobiorum, vel ſine domibus degentium, vel in tentoriis habitantium & pecus alentium, apud quos preces & gratiarum actiones per nomen Jeſu crucifixi Patri & Creatori omnium rerum non fiant.*

Tertium erat, quod inviti quoad propriam inclinationem hanc ſeparationem inſtituerent Chriſtiani. Tenerrimus eorum erat erga fratres etiam ira accenſos amor, cujus exemplum Paulus Rom. IX: 2. 3. Quam difficulter avelli potuerint ab omni communione cum Lege Moſaica Petrus Act. X. XV. Gal. II. &c. nec non opera a Paulo eam in rem impenſa docet.

§. VI. Nihilominus nihil magis animos Judæorum a Chriſtianis averſos reddebat. Id Jeſus jam multis parabolis, præſertim Luc. XV. præſignificaverat. Hinc inter reliqua à Paulo 1 Theſſ. II: 16. accuſantur, quod prohibuerint Gentibus Apoſtolos loqui, *ut ſerventur, ut ſemper compleant peccata ſua, occupavit enim eos ira ad extremum uſque.*

§. VII. Accedebat cauſſa magis occulta & remota: *odium* nempe *pacis*. Hinc de iis Rom. III: 17. *Viam pacis non cognoverunt.* Nolebant pacem regni Chriſti, quia illa perverſitati cordis eorum plane adverſabatur. Hoc eſt odium illud Lucis, quod

Digitized by Google

quod Jeſus iis objicit Joh. III: 19. 20. & quod tanquam omnium perſecutionum originem conſiderat c. XV. XVII. Sed hoc ipſum ſeparationem fidelium juſtificabat Act. XIII: 46.

§. VIII. Sed membra Eccleſiæ N. T. etiam ita ſe geſſerunt, ut prophetia deſcribit. Auxilium a Deo quæſiverunt Act. IV: 24. ſq. XII: 1. 2. Pacem amarunt ipſi, alioſque ad eam transferre ſtuduerunt. Omnes perſecutiones pacis ſenſum non turbarunt Rom. V: 1-6. Joh. XVI: 33. Omnes injuriæ pacis ſtudium non ſuppreſſerunt 1 Cor. IV: 12. ſq. Teſtimonium conſcientiæ eos reddebat conſtantes in confeſſione nominis Dei 2 Cor. IV: 11-13.

§. IX. Interea Judæi manebant incorrigibiles per judicium obdurationis Rom. XI: 8. 9. 10. & manent in hunc uſque diem, nihil interea aliud odiis ſuis, quam nova odia Dei & hominum in ſe provocantes, quorum exemplis omnia ſecula ſcatent.

USUS.

§. I. Non tantum generaliter hic fideles vident, quomodo in omnibus afflictionibus procedere debeant, & quid in iis exſpectare per preces ardentes poſſint, ſed etiam ſpecialius exemplum habent, quod imitentur, quando a falſis confeſſoribus ſive calumniis, ſive aperta perſecutione impetuntur.

§. II. In tali caſu ſunt conſtituti, qui ab Eccleſia Antichriſtiana exivere, actuque experti ſunt, nullibi majora malitiæ et crudelitatis monſtra inveniri, quam in tali hominum grege, qui præſcriptionem quandam cultus externi crepant.

§. III. Sed et ignes, licet non eo uſque prorumpentes, ſatis tamen nocivi in ipſa Eccleſia proteſtantium ſæpe ſub favillis gliſcunt. Linguæ mala ſentiunt qui ſe a mundi moribus ac ſtudiis pietatis & bonæ conſcientiæ cauſſa ſegregant.

§. IV. Hi igitur meminerint Deo cauſſam ſuam demandare & in pacis ſtudio conſtanter pergere, fretique bona cauſſa loqui veritatem ex ſincero corde pergant. Beati pacifici, quia Filii Dei vocabuntur.

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXXI.

שיר למעלות אשא עיני אל-ההרים מאין יבוא עזרי׃	1. *Carmen graduum. Artollo oculos meos ad montes. Unde veniet auxilium meum?*
עזרי מעם יהוה עשה שמים וארץ׃	2. *Auxilium meum eſt à Domino factore coeli & terræ.*
אל-יתן למוט רגלך אל-ינום שמרך׃	3. *Neutiquam dabit nutationi pedem tuum: neutiquam dormitabit cuſtos tuus.*
הנה לא-ינום ולא יישן שמר ישראל׃	4. *Ecce non dormitat, multo minùs dormit cuſtos Iſraëlis.*
יהוה שמרך יהוה צלך על-יד ימינך׃	5. *Dominus, umbraculum tuum*, eſt *ad manum dextram tuam.*
יומם השמש לא-יבכה וירח בלילה׃	6. *Interdiu Sol non feriet te, & Luna in nocte.*
יהוה ישמרך מכל-רע ישמר את נפשך׃	7. *Dominus cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.*
יהוה ישמר-צאתך ובואך מעתה ועד-עולם׃	8. *Dominus conſervabit exitum tuum & introitum tuum, à nunc & in ſeculum.*

Pſal-

Digitized by Google

PSalmus hic id peculiare habet in titulo, quod illic cum ל præfixo dicatur למעלות. Non mediocriter id confirmat ſententiam eorum, qui gradibus Templi faſciculum hunc Pſalmorum applicant. Præfixum enim ל frequenter occurrit, ut deſignet uſum cui aliquid eſt deſtinatum.

§. II. Author Pſalmi ignoratur. SYRUS eum inſcribit, de *aſcenſionibus ex Babel*, quod ab argumento Pſalmi non admodum abludit.

Iſtud certum eſt, ſchema Pſalmi proponere perſonam coetumve in itinere longo et periculoſo conſtitutam, in quo confortatur per ampliſſimam obumbrationis divinæ promiſſionem, talibus phraſibus, quæ alludunt ad protectionem, quam Eccleſia Iſraëlitica olim in deſerto *per columnam nubis & ignis* adepta eſt, cujuſque memoria in feſto tabernaculorum redintegrabatur, uti patet ex Levit. XXIII: 40. ſq.

§. III. Introducitur ergo hic coetus Eccleſiæ poſt exitum ex Judaiſmo, quem Pſalmus præcedens expreſſerat, iter ſuum proſequens, & in eo cum multis difficultatibus luctans, quas certior facta de conſtanti Dei auxilio ſuperat.

§. IV. Artificium Pſalmi ita ſe habet, ut primo viator introducatur ſecum deliberans de quadam protectione in itinere, quod emetiendum reſtabat, cui coelitus illico exhibetur promiſſio de conſtanti Dei cura.

Bipartitus igitur eſt PSALMUS. In quo nobis exhibetur

I. Deliberatio Viatoris vers. 1. 2. qui
- A. Objectum ſuæ deliberationis proponit: *Attollamne oculos meos ad illos montes?*
- B. Conſilium illud rejicit duobus argumentis
  1. Negative impotentiam illorum montium ad auxilium agnoſcens: *Unde veniet auxilium meum?*
  2. Affirmative verum fontem auxilii omnis addens vs. 2. *Auxilium meum a Jehova, qui fecit coelos & terram.*

II. Confirmatio ejus in hoc conſilio per Spiritum Sanctum gra-

tioſiſſima conſtantis curæ divinæ promiſſione animum corroborantis v. 3-8. Promiſſio hæc eſt bimembris.

A. Primo deſcribitur cura Dei vigil in cuſtodiendo populo ſuo inter omnia pericula & moleſtias itineris v. 3-7. Ubi habetur

1. Præſervatio a periculis majoribus, quæ etiam nutationem pedum cauſſari poſſent v. 3-5. Hic diſtinguenda

a. Promiſſio ipſa v. 3. a: *Non tradet ad vacillandum* (commovendum,) *pedem tuum.*

b. Confirmatio hujus promiſſionis v. 3. b: -5. idque tribus argumentis.

α. Primum deſumtum eſt ab omniſcientia, conſtantia & immutabilitate auxiliatoris v. 3. 6-4. Hæc immutabilitas

א. Proponitur v. 3: 6. *Non dormitabit cuſtos tuus.*

ב. Confirmatur, quia id a cuſtode Iſraëlis nunquam poterit exſpectari v. 4. *Ecce non dormitabit & non dormiet Cuſtos Iſraelis.*

β. Secundum deſumtum eſt ab ejuſdem Cuſtodis omniſufficientia & foederali ad ſuos relatione vers. 5. a: *Jehova eſt cuſtos tuus.*

γ. Tertium deſumtum eſt ab actuali præſentia & συνεργεια Jehovæ v. 5. b: *Jehova, umbraculum tuum, eſt ad manum dextram tuam.*

2. Conſervatio in periculis minoribus v. 6. 7. Heic

a. Ipſius conſervationis in duabus circumſtantiis certitudo datur v. 6. *Interdiu Sol ille non feriet te & Luna noctu.*

b. Quam excellens & perfecta hæc conſervatio futura ſit, etiam quando Eccelefia actu cum his difficultatibus luctatur, indicatur v. 7.

α. Objective, quoad malum a quo *ſervandi fideles* v. 7. a: *Jehova cuſtodiet te ab omni malo.*

β. Subjective, quoad id quod ſervandum v. 7. b: *Conſervabit animam tuam.*

B. Se-

Digitized by Google

B. Secundo deſcribitur felix ſucceſſus itineris inter omnia hæc pericula non interrumpendus vs. 8. *Jehova conſervabit exitum tuum & introitum tuum, a nunc & in ſeculum.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS 1.

Atollamne oculos meos? Phraſis hæc in Sacris frequens eſt, ut deſignet hominem auxilii cupidum Pſ. XXV: 15. Ezech. XXIII: 27. XXXIII: 25. & recurret Pſ. CXXIII: 1. ubi oſtendemus iis tribui, qui precibus auxilium Dei implorant. Fundamentum dictionis eſt, quia, qui auxilio indigent, humi paſſim jacent, aut in profundis vallibus foveiſve hærent. Interrogativam eſſe dictionem Abenezra etiam obſervavit. Simile eſt JUNII: *Attollerem oculos meos ad iſtos montes, unde veniet auxilium?* cui etiam PISCATOR ſe adjungit. Iſtud tantum obſervatur, interrogationem non ſimplicem ſed duplicem tum ſtatuendam eſſe, ob adverbium interrogandi מאין in ſecunda parte verſus hujus, quod ſingularem quæſtionem format. Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quod *montes*, de quibus hic agitur, opponantur vero Iſraëlis cuſtodi, unde abſonum eſſet populum Dei in futuro introducere loquentem, *attollam oculos meos ad montes* nihil profuturos.

Ad montes illos) Montes emblema eſſe poſſunt cujuſcunque tutaminis, tum quia aditus montium ſunt prærupti, ita ut difficilis ſit hoſtium perſecutio, tum quia in iis frequenter præſidia & arces ſolent erigi ad regionem circumjacentem defendendam. Hinc & Numina quædam in montibus etiam antiquiſſimis temporibus culta, uti vel ex Deut. XII: 2. conſtat, quæ credebantur vicinis terris ac regionibus auxilium, ſi opus foret, afferre. Confer de *Diis Montenſibus* MAJUM Obſ. Sacr. I: p. 15. ſq. TRISTANUM Comment. Hiſt. T. II: p. 75. 76. DEYLINGIUM Obſerv. Sacr. III: 12. OLEARIUM ad Philo-

Digitized by Google

ſtratum de vita Apollon. II: 2. Alluſio ſane frequens ad refugium in montes apud ſacros Scriptores occurrit Amos. IX: 3. Jerem. XVII: 3. Matth. XXIV: 16. Luc. XXI: 21. &c. Quæſtio autem eſt, an montes hic refugium bonum an malum deſignent? Pro bono ſenſu ſunt Auguſtinus & Hieronymus, Sanctos intelligentes per montes, quod in rem ſuam vertunt Pontificii & inter alios Bellarminus de beat. anim. lib. I: c. 17. ut invocationem ſanctorum incruſtent, cum tamen Patres illi non perſonas ſed doctrinam ſanctorum, excelſa propheticorum librorum & Legis intelligant. Inſuetum tamen hoc emblema eſt, unde commodior eſt eorum ſententia, qui intelligunt montes in quibus Sion & Templum ſita, quo oraturi ſe convertebant Dan. VI: 11. His favet, quod infra Pſ. CXXV: 2. auxilium Domini *cinctura montium Hieroſolymæ* confeſatur. Sed obſtat 1. quod confugium ad montes ut fruſtraneum in Scriptura declaretur Jerem. III: 23. Ezech. VI: 2. 2. Quod illico conſilium hoc rejiciatur tanquam irritum. Obſervandum igitur montes in ſacris ſymbolum eſſe Regnorum & Rerumpublicarum, quæ altum in Mundo eminent & egregie conſtabilitæ videntur. Confer Jeſ. II: 2. Pſ. LXVIII: 16. 17. Quare hic obverſatur Eccleſia poſt exitum ex communione Eccleſiæ Judaicæ, poſt montem Sionis relictum, verſans medios inter montes Regnorum gentilium, & cogitans an non ab eorum Præſidibus ſibi aliquod auxilium aut defenſionem ſperare poſſit, præſertim, cum hos quoque montes ſceptro Meſſiæ ſubjectum iri prophetia prædixerit.

Unde veniet, vel venturum eſſet, *auxilium meum?*) Vox עזר eſt a עזר quod generatim deſignat *auxiliari*, ſigillatim vero indicat auxilium contra hoſtes in bello præſtitum Joſ. I: 14. 2 Sam. VIII: 5. &c. Adeoque innuitur Eccleſiam poſt exitum ex Judaiſmo hoſtibus multis & fortiſſimis expoſitum iri, qui clam palam vi & aſtu ſe oppoſituri eſſent incremento ejus. Hinc quærit, *unde* illud? Vocula מאין frequentiſſime interrogative uſurpatur V. Gen. XXIX: 4. XLII: 7. Relationem hæc interrogatio habet ad montes præcedentes, quorum unus altero fortior videba-

ba-

Digitized by Google

batur. Sed tales quæſtiones vim negandi habent. Quare ſimul declaratur, nullum ex illis Montibus habere id robur, ut Eccleſiam defendere queat: quin tantum abeſſe, ut inde poſſit auxilium exſpectare, ut eos potius quam maxime timendos habeat, tanquam obices & impedimenta progreſſui regni Meſſiæ poſituros.

VERSUS 2.

Auxilium meum) Licet fruſtra a montibus Eccleſia auxilium expeteret, non tamen propterea *auxilio* caret: quod tanquam *ſuum* conſiderat 1. quia ei promiſſum. 2. quia experimentum illius ſæpe habuit. 3. quia per id victrix omnium periculorum evadet & in plenam hæreditatem intromittetur. Speciatim Eccleſia N. T. inter difficultates varias ſub initiis ſuis luctans tale auxilium ſperandum habebat. Id deſcribitur Pſ. XVIII: 28. XLIV: 5. ſq. CVII: 6. Jeſ. XLIII: 1. ſq. Zach. IX: 16. &c.

A Jehova) Emphaſin hic eſſe in nomine JEHOVA oſtendetur ad v. 5. Dum ab eo repetit auxilium, omnes vires proprias atque omne in creaturis refugium abnegat, unumque Jehovam ſpei ac fiduciæ ſuæ objectum facit Jerem. III: 23. Pſ. XXXIII: 20. Jehova enim in Sacris frequenter ut auxiliator proponitur. Confer Jeſ. XLI: 10. XLIV: 2. Ipſum Jovem a *juvando* dictum eſſe volebant veteres. Hoc auxilium præſtatur initialiter, quando robur Spiritus Sancti in credentibus augetur, hoſtium fraus & vis retunditur, & pleniſſime, quando Eccleſia de omnibus hoſtibus triumphabit.

Qui fecit coelos & terram) Per *coelos & terram* totum univerſum Scriptura complectitur. *τὸ* עשה in materia de creatione diſtingui ſolet a ברא & deſignare *perfectionem* operis Gen. II: 3. Conf. Deut. VI: 1. Singularem id emphaſin habet in tali auxiliatore gloriari, qui non tantum coelum & terram ex nihilo quo ad materiam protulit, ſed etiam quoad formam perfecit, adeoque principium ac finis operis ſui eſt. Talis auxiliator non ſolum volebat opitulari, qua *Jehova*, ſed etiam poterat, qua factor

factor coeli & terræ. Talis opponi poterat omnibus montibus Pſ. XCVI: 5. Jerem. X: 11. Unde toties ab opere creationis petitur ſolaminis materies Jeſ. XL: 26. 28. XLII: 5. ſq.

Quare in proverbium pæne abiit, *Deum feciſſe coelum & terram* Pſ. CXV: 15. CXXXVI: 5. 6. CXLVI: 6. Act. IV: 24. Sic infra recurret Pſ. CXXIV: 8. CXXXIV: 3. Notari etiam poſſunt ſpeciales rationes, cur hujus *creationis* Eccleſia *in ſpe auxilii* mentionem faciat. Novit enim 1. ſcopum, cur Deus coelum & terram condidit, eſſe, ut deduceret in actum conſilium gratiæ: 2. conſtantem Domini de coelo & terra curam, eſſe pignus curæ de incolis ejus Jer. XXXIII: 25. 3. præſertim in N. T. in quo *coelum* ſingularem in modum eſt thronus Domini, & *terra* ſcabellum pedum ejus Jeſ. LXVI: 1. Pſ. LXXXIX: 12. 4. factionem coeli & terræ eſſe typum creationis myſticæ coeli novi & terræ novæ, quæ itidem perficienda Jeſ. LXV: 17.

VERSUS. 3.

Non tradet ad vacillandum pedem tuum) *Pes* viatoris in itinere ſollicite conſervari debet, quia eo læſo iter proſequi non poteſt. To מוט *pedibus* proprium eſt, & dicit non tantum vacillationem, ſed etiam maximam & violentam e ſtatu ſuo dimotionem, unde & de terræ motibus graviſſimis occurrit Pſ. XLVI: 3. LX: 4. Talis itaque *pedis vacillatio* intelligi debet, quæ totalem proſtrationem efficit. Emblema hoc de graviſſimis judiciis uſurpatur, tam corporalibus, quando jactura fit exiſtimationis, opum, vitæ &c. quam ſpirituali, per defectionem a Lege Domini, quæ cum interitu extremo eſt conjuncta. In ſenſu hoc emphatico de hoſtibus Eccleſiæ Deut. XXXII: 35. phraſis occurrit: *Mea eſt ultio & retributio, in tempore nutabit pes eorum.* Inde ſequentes etiam Prophetæ de totali pernicie ſolebant eam uſurpare & de populo Dei conſtanter negare Pſ. XXXVIII: 17. LXVI: 9. XCIV: 17. 18. Quare hic quoque eodem ſenſu fortiori intelligendam phraſin putamus, ut eo aptius ſequentia diſtinguamus.

Digitized by Google

Non tradet) Vox יתן eodem ſignificatu occurrit Pſ. XVI: 10. CXVIII: 18. CXXIV: 6. Recte hoc de Jehova negatur. Non poſſunt fideles perire, niſi Deus eos *tradat*. Et jus haberet, ſi pro eorum merito agere vellet. Impoſſibile interea eſt, ut eos ſinat excidere ex gratia ſua, quos æterno amore amavit. Sed & neque ſecundum ſtatum externum unquam permittet, ut populus ejus in terris pereat. Promiſſum enim Meſſiæ erat regnum æternum, quod non poteſt eſſe ſine incolis. Pſ. XLV: 6. LXXII: 17. XCIII: 1. 2. Jeſ. IX: 7.

Cuſtos tuus) Cuſtodis nomen valde eximium apud gentes fuit. Hinc Regem bonum Ægyptii ſolebant φυλακα *Cuſtodem* dicere, & anguem vigilantem pingere, cujus rei hanc rationem dat Horapollo. I: 60. Hic enim totius orbis cuſtos eſt. Itaque Regem aſſidue vigilantem eſſe oportere. Ipſum Deum ut orbis *Cuſtodem* deſcribit Seneca de Prov. c. I. Superſunt Marmora in quibus legitur: JOVI CUSTODI. Sed in ſenſu excellentiori Deus dicitur: *Cuſtos Eccleſiæ* Pſ. CXVI: 6. CXLV: 20. CXLVI: 9. Quod involvit 1. eum Eccleſiam habere inſtar pretioſi peculii. 2. nota ei eſſe omnia pericula in quibus verſatur. 3. ſingularem fidelitatem & conſtantiam eum adhibere in populo ſuo præſervando, muniendo, defendendo, eripiendo, idque non tantum quoad generale corpus, ſed etiam quoad ſingula membra, nec ſolum quoad generalem ſtatum animæ, ſed etiam quoad ſingula media, quibus ad ſui conſervationem indiget, inſtar pupillæ oculi Zach. II: 12. Unde confertur Paſtori, Muro ignito, exercitibus, Heroi, Vigili &c.

Non dormitabit) נום deſignare ſomnum abſque vehementia vel firmitudine notant Hebræi, & probavit ad hunc verſum GEIERUS. Aliquando Deus dicitur *dormire*, non revera, ſed ſecundum noſtrum ſenſum, quando opem protrahit. Ea de re quæritur Eccleſia primitiva N. T. Pſ. XLIV: 24. *quare obdormit Deus?* Hic vero id negatur, ut non tantum omnis umbra alicujus remiſſionis in cuſtodia Eccleſiæ removeatur, ſed etiam contrarium de eo per Litoten obviam aſſeratur. Dormitat cu-

ſtos aut vigil, quando feſſus eſt, & non ſatis agnoſcit periculum in quo verſatur, aut non in tempore obſervat hoſtes & defenſionem neceſſariam præſtat. Hæc omnia contraria Eccleſia in ſuo cuſtode deprehendit. Nunquam laſſatur, ſemper actuoſus Jeſ. XL: 28. Nunquam latent pericula Eccleſiæ omniſcium, Pſ. XCIV: 9. Nunquam ceſſat de neceſſariis proſpicere conſtantiſſime populum ſuum amans. Ita oppoſitus Baäli 1 Reg. XVIII: 29. Elegantiſſima hujus phraſeos explicatio occurrit in gemma Arabica, apud RELANDUM Diſſ. XIII: p. 236. Deus, non eſt præter illum Deus alius. Hic eſt qui vivit & in æternum permanet, quem nulla dormitatio, nullus ſomnus occupat. Hujus eſt quodcunque cœli & terra complectuntur. Hic eſt, qui præſentia novit & futura, cum homines nil ſciant, niſi quod ipſe voluerit &c. Similia ſunt quæ SOPHOCLES de Jove in Antigone v. 612. ſq.

ταν σαν ζευ δυναμιν τις ανδρων
Υπερβασια καλαχοι,
ταν ꙋθ υπνος αι-
ρει ποθ ο παντογηρως &c.

Tuam potentiam, Jupiter, quis poteſt cohibere, quam nec ſomnus capit æternus &c. SCHOLIASTES hoc de imminutione potentiæ explicat.

VERSUS. 4.

Ecce) Vocula hæc in rebus maximi momenti & ſimul gratis attentionem fidei ſolet excitare. Nec enim pro ſola interjectione, ſed etiam pro præcepto debet haberi, ut oculi fidei aperiantur. Occurrit ſæpius ad monendum de vi argumenti, quod proponitur Jeſ. XLII: 9. Jerem. XXX: 10. &c.

Non dormitabit & non dormiet) Hic verbo minoris emphaſis additur verbum emphaſeos majoris, quaſi diceretur: *Non dormitabit & multo minus dormiet.* Dormire hic igitur exprimere poteſt

Digitized by Google

teſt totalem curæ de cuſtodia rei, cujus defenſio expectatur, exutionem. Frequenter ſane in ſacris ſomnus ſymbolum eſt ſocordiæ & vitioſæ ſecuritatis ex defectu amoris natæ Jeſ. LVI: 10. Matth. XIII: 25. Rom. XIII: 11. 1 Theſſel. V: 6. Sic etiam apud profanos. ANTONINUS. lib. IV: §. 46. ȣ δει ωσπερ καθευδοντας ποιειν. *Nihil tanquam per ſomnum agendum eſt.* Ubi confer GATAKERUM. Adde PETRONIUM c. 119. Duplex igitur ſenſus hic locum habere poteſt 1. Cum ne quidem dormitatio Deo adſcribenda ſit, ſeu defatigatio, multo minus potentiam ejus plane deſtrui poſſe, quod tamen neceſſe eſſet, ſi Deus ſuis non auxiliaretur. Cum enim benignam ſuam erga fideles voluntatem abunde revelaverit, & ad gloriam ejus operis perfectio pertineat, hinc defectus neceſſario in potentia deberet eſſe, ſi ceſſaret opitulari. 2. Vel ſic, ut dormitatio habeatur pro ſymbolo defectus in viribus, ſomnus vero pro ſymbolo defectus in amore & cura pro ſuis, quod poſterius per immutabilitatem voluntatis ac conſilii divini æque impoſſibile eſt ac prius.

Cuſtos Iſraëlis) Per *Iſraelem* Abenezra intelligit ipſum Patriarcham Jacobum, cui dormienti Deus in itinere dixerat: *Et cuſtodiam te.* Alii vero malunt de ſemine ejus cogitare, quod nomine Iſraëlis vocari amavit: idque tam carnali, quam ſpirituali, ſive Eccleſia N. T. quæ poſterorum Jacobi eſt antitypus, quod ex origine, prærogativis ac fatis utriuſque inter ſe collatis facile confici poteſt. Sed hæc ſibi invicem ſubordinari poſſunt. Conſervatio enim Iſraëli Patriarchæ præſtita, erat typus conſervationis ſemini ejus præſtandæ, ipſaque nominis Iſraël impoſitio tanquam pignus hujus conſervationis poterat conſiderari. Præterea omnis cuſtodia populi Iſraëlis ſecundum carnem in tot periculis, per tot miracula, umbra erat cuſtodiæ luculentioris Eccleſiæ N. T. Id ergo vult Pſaltes ab illo, qui Iſraëlis cuſtos hactenus fuit, nullum neque potentiæ neque amoris defectum timendum eſſe. Non *potentiæ*, quia tot jam ſpecimina ejus ediderat: non *amoris*, quia liberrimum ejus beneplacitum in omnibus circa hunc Iſraëlem viis agnoſci poteſt.

VERSUS. 5.

Jehova eſt cuſtos tuus) Emphaſis hic eſt in nomine Jehova, quod argumenti vicem habet, ſive ad cuſtodiæ divinæ firmitatem generatim ſpectatam, ſive ad theſeos præcedentis veritatem adſtruendam. Jehova enim ſecundum originem ſuam conſiderat Ens ſumme perfectum, exiſtentiam perfectiſſimam, adeoque realitatem omnem ſub ſe complectens. Quid ejus potentiam infringeret! Idem ſecundum formam deſignat fidelitatem Dei, qui promiſſis ampliſſimis ſe obſtrinxit ad plenam beatitudinem populo ſuo donandam. Quid non exſpectandum eſt a tam gratioſo beneplacito? Et hic Jehova eſt ipſe cuſtos Iſraëlis, idem ille, qui toties Jehova, Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, Jehova Deus Iſraëlis, qui eum eduxit ex Ægypto &c. dictus eſt, & ſpeciatim ille Jehova, a quo in benedictione ſacerdotali *cuſtodia* Iſraëlis derivabatur Num. VI: 24. 25. 26.

Jehova umbraculum tuum) Malo hic *umbram* ſive *umbraculum* referre ad ſubjectum, quam ad prædicatum, quia umbraculum non ad ſolam dextram, ſed ad totum corpus ſpectat. *Umbra* hic metaphora eſt, ad intendendum conceptum cuſtodiæ divinæ aptum. Generatim nominat quamcunque defenſionem. Sic Num. XIV: 9. receſſit צלם *defenſio eorum ab ipſis*. Nempe quia umbra defendit ab æſtu. Frequens idem apud profanos. Sed plus hic latet. Procul dubio reſpicitur ad illam umbram, quam columna nubis præſtabat Iſraëlitis per deſertum iter facientibus. Illa enim ita ſe de die diffundebat circa caſtra, ut in æſtu ſolis propter ferventes Arabiæ arenas vix tolerando, dulciſſimum præſtaret per interceptionem radiorum Solis refrigerium. Nec id tantum, ſed etiam inſtar umbræ *alarum* aquilæ ad Iſraëlis ſepimentum ac cuſtodiam contra omnem violentiam ab hoſtibus præſtabat. Unde Pſ. CV: 39. dicitur, quod Jehova *nubem in tegumentum expanderit*. Huc reſpicitur, quando Dei tutamen populo ſuo etiam in N. T. præſtandum *umbræ* comparatur. Jeſ. IV: 6. *Et tugurium erit in umbram de die.*

Spe-

Specialius *umbra alarum* Domino adſcribitur. Pſ. XVII: 8. XXXVI: 8. LVII: 2. XCI: 1. 4. per quam intelligi *umbram Schechinæ gloriæ Jehovæ* Judæorum Magiſtri notant. Inſpice quæ ad Dan. IX. notavimus Bibl. Brem. Cl. III. §. 22. ſq. Atque ita deſignatur Jehovam eſſe illum ipſum, qui in columna nubis olim habitavit, eademque ratione ſecundum antitypum populum ſuum cuſtoditurum eſſe in deſerto illo gentium, in quo poſt relictam iterum Canaanem in N. T. degebat, ac olim ſecundum typum cuſtodiverat Iſraëlem. Emphaticum præcipue, quod hæc umbra columnæ nubis conferatur *alis aquilinis ſupra pullos extenſis* Deut. XXXII. ut ſcias Jehovam populum ſuum pullorum inſtar habere, fovere, defendere. Hujus beneficii memoria conſervabatur per umbraculum ex frondibus foliiſque arborum confectum, quo reſpicitur Cant. II: 3.

Eſt ad manum dextram tuam) Conſueta hæc eſt phraſis de præſentiſſimo auxilio. Ita de ipſo Meſſia uſurpatur Pſ. XVI: 8. CX: 5. Sed hic quoque aliquid eſſe, quod alludat ad columnam nubis colligo ex Jeſ. LXIII: 12. *Incedere faciens ad dextram Moſis brachium ſuum glorioſum:* ſive quia incedens ante Iſraëlem dextra gerebat baculum illum miraculoſum, potentiæ divinæ præſentis indicem, ſive quia ad dextram habebat arcam foederis, ſupra quam nubes erigebatur. In Canaane etiam Sanctuarium ſitum erat verſus meridiem urbis; meridiem autem pro dextra ſumtum eſſe conſtat. Quicquid ſit, *dextra* eſt ſymbolum tum *fidei*, tum *roboris*. Confer quæ attulimus ad Pſ. XLV. Exerc. VIII. Quando ergo Deus dicitur eſſe ad dextram populi ſui, innuitur 1. quod fundamentum auxilii & protectionis, quam fideles exſpectandam habent, non ſit aliud quam foedus gratiæ, per quod fideles dextram ſuam Jehovæ dederunt. 2. quod protectio divina actuoſitatem fidelium non excludat. Ipſi enim dextra exſerta robur Domini ipſis communicatum impendunt, & tum Dominus conatus eorum ſecundat, atque illis cooperatur.

VERSUS. 6.

Ad verſum hunc difficillimum intelligendum quædam ſunt præmonenda. 1. Continuatio hic eſt allegoriæ ab uſu columnæ nubis, quem præſtabat Iſraëlitis, in itinere per deſertum petitæ, dum dies noctesque eos protegebat: & interdiu adverſus ſolis æſtum umbraculum, noctu vero non ſolum lucem, ſed etiam calorem præbebat. Exod. XIII: 21, 22. XIV: 19. 24. Nehem. IX: 12. 19. Hoc patet ex tranſlatione hujus ſymboli ad initia N. T. Jeſ. IV: 5. *Et creabit Jehova ſuper omne habitaculum montis Zionis & omnes conventus ejus nubem, incendia & fumum ac fulgur ignis rutilantis de nocte.* Eodem ſpectat Pſ. XCI: 1. 2. Incommoda, a quibus hic defenſio promittitur non eſſe ex graviſſimis, ſed qualia viatores in itinere habent, qui æſtu aut frigore corripiuntur, quod quidem eos impedire, fatigare, moleſtiam creare, non vero plane opprimere poteſt. 3. Emblemata *Solis* & *Lunæ* in ſenſu ſublimiori Chriſtum & Eccleſiam notant. Præterea etiam ſolent, præcipue quando conjunguntur, in prophetis exprimere Rectores Eccleſiæ tam politicos quam eccleſiaſticos, adeoque ſub his figuris vix poſſent externi Eccleſiæ hoſtes intelligi. 4. Non putem propterea proxime hic ſymbolum ſolis & Lunæ reſpici, ſed iſtud per metonymiam, quod in Sole & Luna viatoribus potiſſimum moleſtum eſt. Per Solem igitur intelligo *æſtum* urentem eos, qui viam proſequuntur: per Lunam *frigus*, & quidem cum *humore* conjunctum, quod quieſcentibus præſertim ſub dio valde eſt incommodum, morboſque varios facile cauſſatur. Id concludo ex conſimili phraſi Jacobi, qui incommoda paſtoralis ſuæ vitæ enumerans Gen. XXXI: 40. dicit: *Ita fui, ut abſumeret me æſtus interdiu & gelu noctu. Æſtus* hic reſpondet *Soli*, & *gelu Lunæ.* Addi poſſunt loca huic noſtro dicto quo ad ſenſum propheticum ſimilia. Jeſ. XLIX: 10. *Non feriet eos Æſtus aut Sol*, ubi procul dubio per ſolem cum æſtu conjunctum æſtus intenſiſſimus intelligendus eſt. Unde pro eo dicitur Apoc. VII: 16. ουδε μη πεση επ αυτους

ο ηλιος,

Digitized by Google

ο ηλιος, ȣδε παν καυμα. Sol non cadit in quemquam niſi per æſtum. Et ſenſus dicti eſt, non tantum a Sole, ſeu æſtu vehementiori, ſed etiam a quocunque alio æſtu Eccleſiam præſervatum iri.

Interdiu) *Interdiu* & *noctu* aliquando ſimpliciter idem eſt quod *ſemper* Pſ. XXXII: 4. Ita continua Dei conſervatio indicaretur. Sed hic a ſe invicem hi termini clare diſtinguuntur, & ſingulis ſeparatum incommodum tribuitur. Perpetuæ viciſſitudines Eccleſiæ ſæpiſſime *diebus* & *noctibus* comparantur Gen. VIII: 22. Pſ. I: 2. XIX: 3. LXXIV: 16. 17. Jerem. XXXIII: 20. Ita enim aptiſſime pingitur mutationum varietas, brevitas, conſtantia. *Dies* adeoque ſignat tempora Eccleſiæ lætiora, reſpondens *luci*, quod commune eſt felicitatis emblema. Job. XVII: 12. Mich. III: 6. Cum autem felicitas Eccleſiæ dupliciter conſiderari poſſit, vel externe vel interne, hic poſterius potiſſimum putamus indigitari, tempus nempe, in quo radii Solis juſtitiæ per felicem prædicationis Evangelicæ ſucceſſum, non obſtante inimicorum regni Chriſti oppoſitione, perſtringunt orbem. Sic tempus gratiæ abſolutæ *dies* nominatur Rom. XIII: 12. 2 Petr. I: 19.

Sol) id eſt, æſtus ſolis membra penetrans & vires nimio calore diſſolvens. Hic æſtus poteſt eſſe ſymbolum vehementiorum affectuum. Zelique pro domo Dei, qui per amorem Domini, qui eſt Sol Eccleſiam calefaciens, producitur.

Non feriet te) Vox נכה læſionem omnis generis deſignat, & ſigillatim de læſione per æſtum Solis uſurpatur Jon. IV: 8. Pſ. CII: 5. Jeſ. XLIX: 10. Sed, inquis, quomodo calor ſalutaris amoris divini lædere poteſt? Non quidem id poteſt per ſe, ſed per accidens, quando nempe 1. per illum Zelum interne producitur triſtitia, moeror, anxietas, quando fulgur veritatis nondum ita plene adverſariorum corda perſtringit, ut victas dent manus; unde naſcuntur deſideria conſumentia venas, ut opus Domini ulterius perrumpat, qui eſt quaſi *languor in amore* Cant. V: 8. 2. Quando Zelus ille pro cauſſa Dei fideles *conſumit* ad exemplum Chriſti, dum omnes facultates & bona corporis

poris pro nomine ejus ſacrificant, & hoc ipſo multis incommodis vitæ ſe exponunt, ac quoad vires externas debilitantur. 3. Quando in illo fervore pro Sponſo & Servatore ſuo, in cujus luce ambulant, contemtum ac perſecutiones mundi in ſe provocant. Cant. I: 6. *Ne ſpectetis me, quod ſubnigra ſum; quia me conſpicatus eſt Sol.* Ubi per Solem intellige Solem juſtitiæ, cujus radii non ſolum illuminant, ſed etiam infuſcant, carnem debiliorem faciunt, aliorum vilipendium & odium provocant.

Et Luna) id eſt, *frigus* Luna nitente intenſius, quam pluviis noctibus. Sed & Luna vapores quoſdam humidos & debilibus corporibus nocivos quaſi prolicit, quia frigus noctis illos vapores condenſat. *Frigus* in Eccleſia notat ignorantiam cum defectu amoris conjunctam Pſ. CXLVII: 17. Apoc. III: 15. 16. *Vapores humidi* poſſunt ſumi pro fructibus carnis, peſtiferis præcipue doctrinis & hæreſibus, quæ ſunt quaſi *peſtilentia in caligine graſſans* Pſ. XCI: 6. Hæc quaſi effectus ſunt ſplendentis Lunæ, quia externa felicitas, pax, affluentia Eccleſiæ facile tales corruptelas in doctrina & moribus gignunt.

Noctu) *Nox* in oppoſito diei deſignat infelicitatem ob adjunctas *tenebras* Job. XXXV: 19. Analogia allegoriæ exigit, ut non tam externam, quam internam faciem Eccleſiæ triſtiorem intelligamus, quando Sol juſtitiæ latet, ac tenebræ inſcitiæ aut errorum ac vitiorum ſurgunt, Eccleſia interea ſplendorem quendam viſibilem ſervante Rom. XIII: 12. 1 Theſſ. V: 7.

VERSUS. 7.

Jehova) Confer vers. 2.

Cuſtodiet te) vers. 5. viſum eſt, Jehovam eſſe *Cuſtodem* Iſraëlis. Hunc titulum in omnibus populi ſui neceſſitatibus ſe non fruſtra gerere oſtendit. Hic ſpeciatim intelliguntur actiones gratioſæ Dei circa populum in recitatis occaſionibus exercendæ: *tum* per providentiam ſuam proſpiciendo, ne pericula imminentia Eccleſiam abſorbeant, *tum* per Spiritum ſuum viatores ad profe-

ſequendum iter corroborando. LUTHERUS & alii hæc cum ſequentibus optative vertunt. Sed nulla mutandi modi ratio in textu apparet.

Ab omni malo) Diverſas mali claſſes adduxerat. Quare tandem omnia mali triſtis genera, & quæ memoraverat & quæ non memoraverat, conjungit. Facile liquet, hoc non ita intelligendum eſſe, quaſi populus Dei in itinere conſtitutus nihil ex omnibus illis periculis aut incommodis deguſtandum haberet, ſed quia Deus illa ita diſpenſaturus, ut mali rationem quoad fideles amiſſura, quia non ad interitum ſed ad purificationem ſuorum, adeoque ad ipſam eorum beatitudinem promovendam inſervire debent, & ut tandem ab omni malo liberati triumphum canere queant 2 Tim. IV: 18.

Cuſtodiet animam tuam) Hic propius confirmatur quod dictum erat. Ita enim Deus omnia gubernare volebat, ut licet etiam corpus aliquando intercideret, *anima* tamen ſervaretur. Non opus eſt, ut cum quibuſdam pro anima *vitam* intelligamus. Propria enim ſignificatio vocis egregie heic quadrat. Animæ enim fidelium ſunt iſtud κειμηλιον, quod per poſitionem animæ ſuæ Chriſtus a morte redimere debebat Jeſ. LIII: 10. coll. Pſ. XLIX: 9. Hoc beneficium vere divinum eſt Prov. XXIV: 12. & omnis conſolationis ac fiduciæ fundamentum 1 Petr. IV: 19.

VERSUS. 8.

Jehova conſervabit exitum tuum & introitum tuum) Per *exitum* & *introitum* Scriptura deſignat omnes actiones humanas Deut. XXVIII: 6. 2 Chron. XV: 5. 2 Sam. III: 25. Jeſ. XXXVII: 28. Phraſi deſumta a more hominum Pſ. CIV: 23. *Exorto Sole exit homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam uſque ad veſperam.* Quæ etiam cauſſa eſt, cur in pleriſque locis, ubi proverbialis hæc locutio occurrit, exitus ante introitum locatus ſit. *Exitus* aptiſſime deſignat actiones publicas, *introitus* actiones privatas. Ab actionibus naturalibus hæc phraſis transfertur ad exercitium

pietatis Joh. X: 9. Et tum alluditur, aut ad *oves* in paſturam exeuntes & in caulam identidem redeuntes, aut ad Sacerdotes reciproce in ſanctuarium intrantes & in atrium exeuntes ad diverſa munia obeunda. Quare *exitus* tam deſignat omnia externa pietatis officia, *introitus* vero quicquid ad ſecretiorem cultum cordis pertinet. Quin tota vita fidelium eſt exitus e regno tenebrarum & introitus in regnum lucis. Eccleſiæ N. T. ſigillatim competit *exitus*, quia relicta Canaane exeundum in veſtigiis ovium Cant. I: 8. Mal. IV: 2. Sed tamen ut poſt relictam domum Patris introeatur iterum in Canaanem & requiem Hebr. IV: 11. in palatium Regis coeleſtis Pſ. XLV: 16. Sigillatim autem hæc phraſis tribuitur Ducibus coram populo & cum exercitu exeuntibus, eundemque in caſtra poſt confectam viam aut expeditionem reducentibus. Sic Moſes de ductu populi per deſertum phraſin uſurpat Deut. XXXI: 2. Aben Ezra quoque in loco præſenti de bello cogitandum eſſe vult. In N. T. initio quoque *prodire* debebat Rex Meſſias, *ut vinceret* Pſ. XLV: 4. Apoc. VI: 2. & ut populum ſuum in promiſſam hæreditatem introduceret Pſ. XXIV: 7. 9. Myſtice igitur *exitus* & *introitus* illis etiam adſcribi poteſt, quibus tanquam inſtrumentis in hoc negotio conficiendo utebatur. Conſervatio adeoque hujus exitus & introitus iterum alludit ad beneficium typicum olim per columnam nubis exhibitum, quæ exeuntem Iſraelem deducebat, introëuntem reducebat Exod. XL: 36. 37. Num. X: 33-36. quod ad expeditiones Jehovæ in principio N. T. refertur Pſ. LXVIII: 1. ſq. Quare conſervatio & exitus involvit, quod Deus occupationi fidelium in opere Domini benedicat, quod iter eorum proſperet, quod incrementum in fide & ſanctificatione ſubminiſtret, quodque totam Eccleſiam per gradus in decreto ſuo deſcriptos, non obſtantibus difficultatibus & adverſitatibus quibuſcunque, ad terminum gloriæ optatum deducat.

A nunc & uſque in ſeculum) Terminus a quo eſt *a nunc*. Hic reſpicitur tempus, de quo in Pſalmo toto agitur. Terminus ad quem eſt *in ſeculum*. Non putem עולם ſeculum hic de abſo-

ſoluta æternitate ſumi, quia in eo *exitus* & *introitus* non amplius habebit locum. Melius intelligi poſſunt omnes mundi ætates uſque ad ejus finem. Exempla hujus notionis ſunt Pſ. CVI: 31. Gen. IX: 12. &c. Quod hic eſt aptiſſimum, quia Oeconomia regni Meſſiæ in Eccleſia N. T. nullam amplius in terris abrogationem timendam habet, ſed in ipſam æternitatem influet 2 Sam. VII: 13. Pſ. XLV: 7. LXXXIX: 29. ſq. XCIII: 7. &c. Quam diu autem durabit hoc regnum, tam diu etiam ſe extendet conſervatio omnium & ſingulorum hujus regni membrorum, ita ut portæ inferni nunquam prævaliturae ſint Matth. XVI: 18. Confer Pſ. XXXVII: 28. 29. CXXV: 1. Jeſ. XLVI: 3. 4. XLIX: 15. 16. &c. ita ut hæc prophetia ſe extendat per omnes gradus, per quos Eccleſia adhuc ſeculis ſequentibus exitura ex variis periculis, difficultatibus, anguſtiis, donec tandem introducatur in illam ultimam Eccleſiæ, & cum ea conjunctam coeleſtem gloriam, quam nullus amplius exitus ſequetur Apoc. III: 12.

IMPLEMENTUM.

I. Eccleſia Chriſtiana poſt ſupplicium de Judæis ſumtum & eluſos eorum evanidos furores ſe deprehendit inter montes variorum Regnorum mundi ac præcipue Imperii Romani quaſi in valle tenebricoſa hærentem, idque ſatis diu, cum binis fere integris ſeculis una perſecutio poſt aliam immineret. Illa diuturnitas poterat ſuſpicionem cauſſari, an cuſtos Iſraëlis dormitaret. Ex illa quoque poterat timor ſubnaſci, ne aliquando pes ad vacillationem eſſet tradendus per crudelitatem præcipue perſecutionum Decianæ ac Diocletianeæ.

II. In talibus periculis conſtituti Confeſſores tentarunt, an non ab ipſis illis montibus, a quibus premebantur, auxilium eſſet exſpectandum, aut in illos refugium pateret. Id quod factum eſt præcipue per illos, qui apologias pro Chriſtianis ad Imperatores & S. P. Q. R. conſcripſere, Quadratum, Ariſtidem, Juſtinum Martyrem, Athenagoram, Tertullianum, Melitonem & ali-

alios. Spes major apparebat, dum ſucceſſu temporis quidam ex Imperatoribus Romanis ita Chriſtianiſmo favere viſi ſunt, ut etiam pro Crypto-Chriſtianis a quibuſdam ſint habiti, uti de Alexandro Severo & Philippo Arabe conſtat. TERTULLIANUS ad Scapulam ſcribit, poenituiſſe quoſdam Præſides provinciarum, quod Chriſtianos eſſent perſecuti. Gallienum quoque, Valeriani apud Perſas miſere tractati judicio territum, pacem Eccleſiæ reddidiſſe conſtat.

III. Conſilia hæc fruſtranea fuiſſe eventus docuit: quia omnes hæ apologiæ non impediverunt, quo minus ſucceſſu temporis perſecutiones recrudeſcerent atque vehementiores fierent.

IV. Sed quod fruſtra a brachio carnis exſpectabatur, id Deus præſtitit. Ille ſe cuſtodem illius Eccleſiæ multifariam exhibuit. Nam perſecutiones ipſas paſſim mitigavit, ita ut, licet Eccleſia in uno loco opprimeretur, in alio tamen aſylum inveniret. Porro ipſos perſecutores in ipſo furoris eorum æſtu horrendis judiciis ſæpenumero ſuſtulit, cujus rei exempla coacervat Liber *de Mortibus Perſecutorum* Lactantio adſcriptus. Et quod maxime mirandum eſt, inter ipſos hos hoſtium impetus Eccleſia ita umbraculo Domini eſt protecta, ut iter per deſertum gentium pede inconcuſſo perſequi, atque inter eas terminos ſuos dilatare perrexerit. Vel ſolum TERTULLIANUM de ſuis temporibus poſt varias vexationes jam perpeſſas gloriantem audiamus adv. Judæos §. 7. *Jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini & Galliarum diverſæ nationes & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita; & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & additarum multarum gentium & provinciarum & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus, in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat, utpote ante quem omnium civitatum portæ ſunt apertæ.* Id eo uſque verum fuit, ut JUSTINUS MARTYR Epiſt: ad Diogn: dicat: *Nonne vides, quo plures puniunt, tanto plures alios abundare.* Et TERTULLIANUS Apolog: c. XLV. *Exquiſitior quaque crudelitas veſtra illecebra magis eſt ſectæ.*

Plu-

Plures efficimur, quoties metimur a vobis: Semen eſt ſanguis Chriſtianorum. Et licet corpora ſingulorum frequenter conciderent, *anima* tamen a Deo conſervabantur. Hinc CYPRIANUS ſuam ad Martyres exhortationem ita claudit: *Clauduntur oculi in perſecutionibus terra, ſed patet coelum: minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur: mors infertur, ſed immortalitas ſequitur: occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur: vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur &c.*

V. Sed præter externa pericula interna quoque minabantur. *Solis æſtus*, ſeu Zelus inſignis amoris Chriſtianos primos eo uſque implebat, ut Martyria non tantum non reformidarent, ſed etiam inter res maxime deſiderabiles ponerent. ORIGENES Homil. XIV: in Jerem: *Tum erant vere fideles, quando Martyrum victima feriebantur, quando cruentas exequias proſecuti triſtes ad Eccleſiam revertebantur, & omnis erat multitudo lugentium, quando Catechumeni in prima ſtatim fide pro ferendo Martyrio ducebantur, quando muliercula & infirmus ſexus uſque ad mortem manebat intrepidus.* Hæc erant fervida illa tempora, de quibus SULPITIUS SEVERUS, quod multo avidius martyria glorioſis mortibus quæſiverint, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus *appetuntur* Lib. II. Sed hic æſtus poterat Eccleſiam ferire, quia fervor hic contemtui & deridiculo erat. Gentiles eum nominabant contumaciam. Inter ipſos Chriſtianos quidam apud Lactantium V. 13. *ſtultos eſſe arbitrabantur, qui cum habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt.* Porro ipſe hic fervor in multis revera nimius & prudentiæ Chriſtianæ contrarius fuit. Unde niſi interceſſiſſet divina providentia, excisionem Eccleſiæ facile potuiſſet promovere. Sed Deus huic periculo proſpexit ita, ut ante carnifices debuerint in coedendo fatigati eſſe, quam ſe offerentes ad ſupplicia omnes exſtirpari.

VI. Multo periculoſius erat frigus quod in Eccleſia, ſerenis licet noctibus, multos corripiebat. Tale erat, quod jam Seculo tertio Decianæ perſecutionis Judicium provocabat, quodque CYPRIANUS, EUSEBIUS & alii deſcribunt. Huc pertinent tot *Lapſorum* greges, quorum occaſione multi hæreſium, ſchiſmatum,

 alio-

Digitized by Google

aliorumque malorum vapores Eccleſiam corripuerunt. Hæc omnia in deterius adhuc mutata, quando Eccleſiæ externa pax & tranquillitas eſt conceſſa. Sed tum quoque vera Eccleſiæ membra Deus in fide & veritatis agnitione ac confeſſione confirmavit.

VII. Ex his autem exemplis & ſpeciminibus concludunt pii, Deum reliqua etiam promiſſa ſua fideliter eſſe ſervaturum, adeoque omnes reſiduos exitus atque introitus gradus gratioſe directurum. Veritatem hujus promiſſi ſenſerunt, qui ex Babylone Antichriſtiana exiverunt, quique ringente inferno nullis machinis opprimi potuere.

USUS.

§. I. Pertinet hic Pſalmus primo ad informationem Eccleſiæ, ne in ſuis neceſſitatibus ad brachium carnis confugiat, aut ab ullo homine tutamen & auxilium exſpectet. Ad tales montes Eccleſia noſtris temporibus quoque oculos convertit, quotieſcunque Principum quorundam Antichriſtianorum æquanimitatem ac mite ingenium ſibi proficuum ſperat. Omnis creatura ei eſt abneganda, qui ab ipſo creatore coeli ac terræ vult juvari.

§. II. Uberrimi autem in quibuſcunque neceſſitatibus tam externis quam internis hic aperiuntur ſolaminum fontes ex conſiderata conſtanti cuſtodia omni tempore & in omni ſtatu Eccleſiæ promiſſa. Promiſſio illa, ut ut latiſſime ad omnes difficultates enarratis ſimiles ſe extendens, firmiſſima tamen eſt. Nititur enim omniſufficientia illius, qui fecit coelum & terram, bonitate ac veritate ejus, qui eſt Jehova, vigili providentia ejus, qui eſt cuſtos Iſraëlis, multiplicique fidelitatis ejus experientia.

§. III. Notent tantum, qui hoc ſolamine niti volunt, criteria, an id ad eos pertineat. An abnegata omni fiducia carnis cuſtodiæ divinæ ſe in ſolidum tradiderint? An iter vitæ inflexerint? An animæ ſuæ curam gerentes exiverint e regno tenebrarum & in dies exeant ex reliquiis peccati, ut ad introitum in regnum Dei aptiores reddantur? An in communione cum Jehova ambulent?

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXXII.

שיר המעלות לדוד שמחתי באמרים לי בית יהוה נלך:	1. *Carmen graduum Davidis. Lætatus ſum propter dicentes mihi; Domum Dei accedamus.*
עמדות-היו רגלינו בשעריך ירושלם:	2. *Evênit, ut ſtarent pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma.*
ירושלם הבנויה כעיר שחברה--לה יחדו:	3. *Hieroſolyma exſtructa: Ut urbs, quæ compoſita eſt ſibi una.*
ששם עלו שבטים שבטי--- יה עדות לישראל להודות לשם יהוה:	4. *Quo aſcendunt tribus, tribus Domini, (teſtimonium id Iſraëli) ad confitendum nomini Domini.*
כי שמה ישבו כסאות למשפט כסאות לבית דוד:	5. *Nam ibi inſidentur throni ad judicium, throni domûs David.*
שאלו שלום ירושלם ישליו אהביך:	6. *Optate pacem Hieroſolymæ. Tranquilli ſint, qui diligunt te.*
יהי-שלום בחילך שלוה בארמנותיך:	7. *Sit pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis.*
למען אחי ורעי אדברה-- נא שלום בך:	8. *Propter fratres meos & amicos meos loquar pacem in te.*
למען בית-- יהוה אלהינו אבקשה טוב לך:	9. *Propter domum Domini Dei noſtri quæro bonum tibi.*

Digitized by Google

§. I.

PSalmus hic præ antecedentibus hanc prærogativam habet, ut primus nomen authoris, nempe *Davidis* exprimat.

§. II. Argumentum ejus continet deſcriptionen ternerimi affectus erga Hieroſolymam & Templum, cujus utriuſque magnificentia & gloria deſcribitur, atque ad felicitatem ejus conſervandam & perficiendam loquens ſe obſtringit, alioſque excitat.

§. III. Davidem non agere de tempore ſuo unusquiſque perſpicit, quia neque tempore Davidis ſolennes illi conventus populi Hieroſolymam ſtabiliti, neque ſtructura urbis ad talem perfectionem perducta, qualem Pſalmus hic ſupponit, throni domus Davidis, id eſt, proſapiæ ejus erecti ſunt. Confer TILLIUM.

§. IV. Sed nec Hieroſolymam terreſtrem temporum ſequentium intelligi poſſe præter argumenta generalia, pro toto Pſalmorum faſciculo allata, ex eo conficimus, *tum* quia Hieroſolymæ hic deſcriptæ attributa ſingularem quandam magnificentiam ſpirant, in qua illa vere typus Eccleſiæ N. T. fuit, *tum* quia perſona hic loquens ſtatuendus eſt ipſe David fuiſſe, qui lætatur ob obedientiam ſibi a populo Iſraelitico in congregatione ad cultum Dei præſtitam, & qui ſe obligat ad bonum Hieroſolymæ quærendum. Cum autem hæc non quadrent in Davide typico, de Davide antitypico, tanquam perſona in noſtro Pſalmo loquente, cogitandi anſa nobis ſubnaſcitur. Non procul igitur a veritate abfuit TARGUM ad vers. 3. *Hieroſolyma, quæ ædificata eſt in firmamento, eſt ſicut civitas, quæ ſibi una conjuncta eſt in terra.* Adde verba ABEN EZRÆ, quæ ad comma 5. citamus.

§. V. Delapſi igitur cum Davide myſtico ad Hieroſolymam quoque myſticam ſeu Eccleſiam N. T. de ſtatu quodam tranquillo & glorioſo ejus cogitare debemus, qui tamen ita ſe habet, ut pro conſummato nondum queat agnoſci, unde porro preces pro futura ejus felicitate fundendæ, bonumque ejus quærendum. Hæc ſcena optime convenit ſtatui Eccleſiæ a perſecutionibus gentilium liberatæ, honoratæ, tutiori loco conſtitutæ, legibuſque publicis bene ordinatæ.

§. VI. At-

Digitized by Google

§. VI. Atque ita hic Pſalmus eleganter connexus eſt cum præcedenti. Illic enim vidimus in difficili itinere cum multis periculis luctantes. Hic, quaſi terminus quidam itineris, Hieroſolyma & domus Jehovæ deſcribitur.

§. VII. Cum David author ſit cantici, procul dubio in vita ejus occaſio quædam ei eſt ſubnata ad iſtud edendum. Non incommode eam concipiunt, qui aut de arcæ in montem Sion deductione, aut de accepta templi extruendi promiſſione cogitant. Veroſimile etiam quibusdam fit, Pſalmum hunc adhibitum eſſe, quando populus ad feſta ſolenniora Hieroſolymam adſcendit. Quorſum facit, quod SELDENUS lib. 3. Syndr. c. 13. ex antiquitate Judaica affert, Iſraëlitas verſu primo Pſalmi hujus in via fuiſſe uſos, cum in ſolenni Pentecoſtes feſto primitias ad templum deferebant; ubi coetum præibat juvencus cornibus deauratis & corona oleagina cinctis, antecedente tibicine. In horum occurſum exibant Hieroſolymis aliquot ex præcipuis ſacerdotibus & quæſtoribus: ſimul ac autem portas urbis intrabant, inchoabant verſum ſecundum Pſalmi noſtri: *Stabunt pedes noſtri in portis tuis &c.* Tunc opifices urbis accurrentes eos ſalutabant, dicendo: *Fratres noſtri loci N. veniſtis in pace!*

§. VIII. Artificium ſane Pſalmi ſingulare eſt, nec ſatis clare ab Interpretibus hactenus accurate diſtinctum, quod tamen potuiſſet fieri, ſi tantum obſervata eſſet varietas numeri a perſona loquente adhibiti. Illa enim numero ſingulari loqui incipit v. 1. ac deſinit v. 8. 9. ſed eadem alias perſonas loquentes introducit v. 1. p. poſt & v. 2. easdemque in propoſito ſuo corroborat atque ad promovendum bonum Hieroſolymæ inſtigat.

§. IX. Scena adeoque hic nobis ſiſtit ipſum coeleſtem DAVIDEM, qui populum ſuum ad cultum ſpiritualem. N. T. copioſe affluentem gratioſiſſime recipit, eum laudat, eique, quæ porro agenda ſunt, præſcribit.

Duas ergo partes generales hymnus hic complectitur.

I. Gratioſam populi Dei exceptionem vs. 1-5. Hic

A. Coeleſtis David lætitiam ob ejus adventum teſtatur vs. 1. 2. in quibus verbis diſtinguendus
1. Ipſe affectus lætitiæ: vers. 1. *Lætatus ſum.*
2. Cauſſa lætitiæ certis quorundam verbis excitata: *Propter dicentes ad me;* quæ verba ſtatim adduntur, & exhibent advenientium
a. Scopum propoſitum: *Domum Jehovæ adibimus.*
b. Præparationem atque occaſionem ad illum ſcopum: *Stantes facti ſunt pedes noſtri in portis tuis, Jeruſalem.*

B. Æquitas adventus ad Hieroſolymam demonſtratur ex conſideratione ſcopi, in quem urbs hæc erat exſtructa vs. 3. 4. 5. Hic ſcopus
1. Proponitur nempe, ut ſit in metropolin religionis vs. 3. *Jeruſalem exſtructa tanquam urbs, ad quam aſſociatio in unum fit.*
2. Confirmatur duobus argumentis vs. 4. 5.
a. Primum eſt, quod illic ſit ſedes cultus divini vs. 4. *Nam eo adſcendunt tribus, tribus Jah, teſtimonium Iſraeli ad confitendum nomini Jehovæ.*
b. Secundum eſt, quod illic etiam ſit arx regni vs. 5. *Quoniam illic poſiti ſunt throni ad judicium, throni domui Davidis.*

II. Adventantis populi ad ſingulare officium excitationem vs. 6-9.

A. Officium illud deſcribitur vs. 6. 7. conſiſtens nempe in ſeria pro Hieroſolymis prece. Ubi
1. Generatim argumentum precationis indicatur vs. 6. *Rogate pacem Jeruſalemi.*
2. Speciatim formula, qua precantes poſſent uti, præſcribitur vs. 6. p. poſt. & vs. 7. In illa per climacem a generalioribus ad ſpecialiora deſcenditur. Nam oratur
a. Pro quibuscunque ejus amicis: *Tranquilli ſint amantes te.*
b. Pro ejus defenſoribus. vs. 7. *Sit pax in antemurali tuo.*

c. Pro

c. Pro ejus rectoribus: *Quies in palatiis tuis.*

B. Perſuaſionem ad iſtud officium urget ex proprio exemplo, dum propoſitum conſtantis curæ circa Hieroſolymam exercendæ explicat, idque ex duplici fundamento vs. 8. 9.

1. Amor populi ſui Davidem coeleſtem urgebat ad benignitatem ſuam verbis declarandam vs. 8. *Propter fratres meos & amicos meos loquar nunc pacem in te.*

2. Amor Jehovæ & domus ejus adigebat eundem ad gratiam facto ipſo exercendam vs. 9. *Propter domum Jehovæ, Dei noſtri, quæram bonum tibi.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS 1.

Lætatus ſum) Cæleſtis David ſoepe introducitur tanquam lætitia inſigni in populo ſuo repletus Pſ. XVI: 11. XXI: 2-7. XLV: 9. Jeſ. LXII: 5. In eo exprimit typum Davidis terreſtris, qui ſummis incedebat lætitiis, quando arcam ducebat 2 Sam. IV: 12. Hoc gaudium involvit tum acquieſcentiam in conſilio Patris, qui hoc peculium ei conceſſit, & hoc theatrum gloriæ ei aperuit Pſ. XVI: 6. 7. CIV: 31. tum beneficentiam, qua fructibus & documentis hujus ſuæ acquieſcentiæ populum implet, *gaudens de populo, benefaciendo ipſis* Jerem. XXXII: 42. Quare beneficia, quæ Deus in populum confert, *gaudium Dei* dicuntur. Sigillatim autem Eccleſia ex periculis ſummis emergens, & poſt liberationem ſuam ad ejus honorem & cultum confluens, objectum lætitiæ ejus poterat eſſe. Hoc præciſe intervallum appellatur *dies lætitiæ animi ejus, qua a matre ſua erat coronatus* Cant. III: 11.

Propter dicentes ad me) Vulgata vertit: *in his, quæ dicta ſunt*, ſed ſenſum magis, quam verba exprimens. Revera enim lætitia Davidis coeleſtis non tantum per affluentium perſonas, ſed etiam verba animi promti ac ſinceri indicia efficiebatur. *Dicentes* au-

tem hi ſunt caterva populi ad communionem Eccleſiæ N. T. ſe aggregantis. Hæc caterva ipſum Davidem coeleſtem alloquitur, non quaſi fuerit unus ex grege, ſed quia totius catervæ anteſignanus & Dux, ſive quia Rex Hieroſolymis habitans, ad cujus juſſa ac convocationem promte ſe ſtiterant. Ita poterat lætari *in illis & cum illis & propter illos*, quæ omnia τὸ ב hic deſignare poteſt. Ultimum maxime emphaticum cenſemus.

Domum Jehovæ) Typica Jehovæ domus olim Hieroſolymis fuit, licet Davidis tempore nondum exſtructa, promiſſa tamen & deſignata. Sed vera ejus domus eſt Eccleſia N. T. uti diſerte explicatur 1 Tim. III: 15. 1 Pet. II: 5. Emphaſin hujus ſymboli oſtendimus Exerc. VII: in Pſ. XLV. §. 18. Signate eſt domus *Jehovæ*, quia Deus illic vim hujus nominis, veritatem ac veracitatem ſuam revelat. Hoc eſt *nomen*, quod columnis hujus domus eſt inſcriptum Apoc. III: 12.

Adibimus) Alii vertunt: *eamus*. Sed noſtra verſio eſt ſimplicior, cui etiam LXX & Vulgata accedunt. Ita deſignantur tales, qui firmum propoſitum ceperant ad domum Dei ſe conferendi. Reſpicitur hic mos Iſraëlitarum ad feſta Jehovæ celebranda in templo confluentium, qui ſæpenumero in Prophetis adhibetur tanquam typus congregationis populorum ad cultum Dei in N. T. Conferantur Jeſ. II: 2. 3. XXX: 29. Zach. VIII: 20. ſq. Quæ alluſio eo majorem emphaſin habet, quia totus cultus Leviticus typus concatenatus fuit cultus Domini in Spiritu & veritate. Qui igitur hic dicunt, *ibimus ad domum Jehovæ*, illi fatentur 1. quod agnoſcant Deum pro Jehova & Eccleſiam veram pro domo ejus. 2. deſiderium habeant cum firmo propoſito conjunctum, ut in Spiritu & veritate Deum colant, atque eum in finem ſeſe cum Eccleſia vera conjungant. Hoc tanquam proprius character Eccleſiæ N. T. poſt ſuperatas priores difficultates deſcribitur Jeſ. LVI: 5. 6. 7.

VER-

VERSUS. 2.

Stantes facti ſunt pedes noſtri) KIMCHIUS hoc quoque refert ad morem Iſraëlitarum in feſta adſcendentium. Notat enim eos, qui ex adſcendentibus primi Hieroſolymam veniebant, ſubſequentes ſub portis exſpectaſſe. Phraſis ſane eſt ita emphatica, ut merum appulſum in aliquem locum, ſed etiam ſingulare ſtabilimentum in eo involvat. Sicut adſcenſus totus myſticus, ita & hæc ſtatio myſtica ſingularem in fide & fiducia confirmationem deſignat, oppoſite ad *vacillationem*, de qua Pſ. CXXI: 3. Sic Pſ. XXVI: 12. dicitur: *Pes meus perſtitit.*

In portis tuis, Jeruſalem) Hieroſolyma hic emblema eſt Eccleſiæ N. T. ut paſſim apud Prophetas Jeſ. XL: 2. LII: 9. &c. Analogiam monſtravimus myſt. foed. grat. P. III: c. 26. §. 31. Interdum non ſolum a *Sione*, ſed etiam a *Templo*, in ſenſu myſtico diſtinguitur, licet utraque typus ſint Eccleſiæ Pſ. LI: 20. Jeſ. LXVI: 10. Apoc. III: 12. In talibus locis per *Templum* intelligitur Eccleſia vera, quatenus eſt ſecundum internam faciem occupata in cultu Dei, conjuncta per fidem cum Chriſto, tanquam myſtico ſuorum ſanctuario, per *Hieroſolymas* vero eadem Eccleſia ſecundum externum ſtatum, quatenus in mundo ſe conſpiciendum præbet, ſocietatemque per ſe ab omnibus ſocietatibus mundanis diverſum conficit. Hoc ſenſu in Cantico Salomonis paſſim introducitur.

Portæ) Hieroſolymæ myſticæ commemorantur Jeſ. LX: 11. Ezech. XLIV: 9. Apoc. XXI: 12. Portæ hunc uſum præſtant oppidis, ut aditum in ea faciant & admittant hos, qui digni cenſentur Civitatis communione, alios excludant, quibus hæc prorogativa certis de cauſis negatur. Portæ ſigillatim apud veteres adhibebantur ad conſeſſus judiciales, ut patet ex Gen. XXIII: 10. 2 Reg. VII: 1. Deut. XXI: 19. Amos V: 10. &c. Unde quidam nomen שער derivant a שער *æſtimare* Inde portæ deſignant quoscunque Rectores & Collegia Eccleſiaſtica, quibus commiſſum eſt judicium ſpirituale, uſusque cla-

Digitized by Google

clavium. Confer VITRINGAM in Apoc. l. c. Quare conſiſtentes pedibus in portis Hieroſolymæ ſunt illi, qui certo conſilio in externam communionem Eccleſiæ tranſiverunt, atque in hoc conſilio ſe confirmatos ſentiunt. Eleganter hic verſus cohæret cum præcedenti.

Illic enim inducebantur, qui propoſitum habebant in templum eundi. Hic iidem indicant, quo uſque propoſitum illud jam in actum deduxerint.

VERSUS. 3.

Jeruſalem exſtructa.) Miniſterium Evangelicum confertur in ſacris *exſtructioni* domus aut urbis Pſ. LI: 20. LXIX: 36. CXLVII: 2. Jeſ. LXI: 4. 1 Cor. III: 9, 10. &c. tum quia conſtat ex multorum electorum in unum compactione, tum quia fit ſucceſſive, tum quia ſingularis ad id opus requiritur ſcientia & induſtria, tum quia finis ejus eſt habitatio glorioſa Dei. Sigillatim exſtructio Hieroſolymæ terreſtris typus fuit, ſecundum quem coeleſtis eſt exſtruenda. Illius ædificatio longe ante a Deo definita, hujus delineatio in ipſo conſilio pacis eſt facta. Illa fuit potiſſimum opus Salomonis typici, hæc antitypici. In illius exſtructionem gazæ multæ expenſæ, in hujus ipſæ divitiæ gratiæ divinæ. Illa per exſtructionem ſplendide ornata & fortiter munita eſt, hujus decus & robur eſt a verbo & Spiritu Divino. Dum vero Jeruſalem conſideratur *ut ædificata*, tempus indicatur, quo Evangelium eo uſque perruperat, ut amplius opus Domini impediri non poſſet, & in quo ordo, judicium, diſciplina Eccleſiæ bene diſpoſita erant. Confer Pſ. CII: v. 15-17.

Tanquam urbs) Id eſt, communitas ſuis legibus vivens, inter ſe ſub uno capite compacta, *Civitas* illa *Dei*, quæ Antichriſtianiſmo ac regno Diaboli ita eſt oppoſita, uti olim *Hieroſolyma* oppoſitæ erant *Babyloni*, *Sodomæ*, *Ninivæ*, *Botzræ*.

Ad quam aſſociatio in unum fit). Alii reddunt: quæ pulchre inter ſe coagmentata (conjuncta) conſociata eſt. AMYRALDUS id ita intelligit, ut cum olim in duas urbes diviſa eſſet, nunc

nunc conjunctis partibus civitatem unam conſtituat. Aliquamdiu enim urbs ipſa Hieroſolyma diviſa fuit ab arce quam Jebuſæi obtinebant, & tandem ipſa etiam arx venit in poteſtatem Judæorum 2 Sam. V: 6. ſq. Et tum conferri poſſet deſcriptio communionis Sanctorum Eph. II: 21. Mihi vero videtur hæc interpretatio contrariari voculæ יחדו quæ conſociationem quidem, ſed non conjunctionem in unum individuum ſolet deſignare. Confer Pſ. XXXIV: 4. CII: 23. Præferimus ergo noſtram verſionem, quam ipſe LUTHERUS ſecundis curis amplexus eſt. Prius enim reddiderat: *die ſich miteinander zuſammen hält*; deinde emendavit: *da man zuſammen kommen ſol.* Sic ABEN EZRA: *Ad quam congregant ſe undiquaque univerſa ejuſdem filiæ tempore periculoſo.* Similia habet KIMCHIUS. Nec abludit R. SAL. JARCHI: *Dicunt Rabboth eſt Jeruſalem coeleſtis, & Jeruſalem inferior erit ei ſimilis, vel, ut in Silo, ſic in Jeruſalem erit coetus.* Id igitur vult Propheta; Hieroſolymas in eum finem eſſe exſtructas, ut eſſent commune totius gentis ſacrarium, atque adeo vinculum, per quod Iſraël ad unius Dei ſui cultum amice aſſociabatur. Id veriſſimum erat de Hieroſolyma terreſtri. Illam enim elegerat Deus ex omnibus tribubus Iſraëlis, ut in ea nomen ſuum collocaret 1 Reg. VIII: 16. ſq. Id quod Deut. XXXIII: 19. jam Moſes præviderat, & Deus ante præceperat Deut. XVI: 16. Id quod aliæ quoque gentes in ſacris idolatricis imitatæ ſunt. In ſenſu ſublimiori id competit Eccleſiæ N. T. de qua Jeſ. XXXIII: 20. *Aſpice Sionem, urbem conventuum noſtrorum; oculi tui videant Hieroſolymam, caulam tranquillam.* Atque ita optime cohærent ſequentia, quæ hujus commatis deductionem exhibent. Caeterum חבר denotat conſociationem hominum ad diverſos fines, ſigillatim ut ſopitis diſſidiis pacem & amicitiam faciant Dan. XI: 6. aut conjunctis viribus alios bello perſequantur Gen. XIV: 3. Quæ conſociatio ubi non ſolum externo quodam pacto, ſed etiam ipſo animorum conſenſu fit, tum ſociati dicuntur יחדו. Hæc enim vox de conjunctione animorum uſurpatur. Confer infra Pſ. CXXXIII: 1. Hæc facile ad conſociationem populi Dei per communionem ſan-

ſanctorum transferri poſſunt. Et hic ſcopus eſt exſtructionis Hieroſolymarum ſive præconii Evangelici Eph. IV: 12. 13.

VERSUS. 4.

Nam eo adſcendunt tribus) Nomen שבט proprium eſt XII tribubus Iſraëlis ex XII. ejus Patriarchæ filiis oriundis, ſive quia unaquæque tribus ſuo baculo tanquam indicio Principatus ſingularis diſtincta, ſive potius quia *virgæ* ab antiquo emblema ſunt ſobolis ex ſuo ſtemmate inſtar ramorum ex trunco oriundæ. Sicut autem totus populus Iſraël in V. T. typum geſſit populi Dei in N. T. ita in diſtinctione quoque tribuum myſterium fuit, uti vel ex Apoc. VII. patet, tum quia plures populi ex uno Iſraële myſtico per generationem ex aqua & Spiritu originem trahentes iiſdem prærogativis & legibus coniuncti ſunt, tum quia ſicut illic XII. Patriarchas, ita hic totidem Apoſtolos pro capitibus & fundamentis agnoſcunt.

Hæ tribus *adſcendunt* Hieroſolymam. Confluxus enim tribuum ad feſta Hieroſolymæ celebranda *adſcenſus* vulgo dicitur, cujus rei frequentiſſima exempla ſint in hiſtoria Evangelica. Et id quoque ad actuoſitatem membrorum Eccleſiæ N. T. transfertur Pſ. XV: 1. XXIV: 3. Jeſ. II: 3. Mich. IV: 2. ut ita innuatur, tum ſcopus idem qui olim erat Iſraëlitarum, nempe ad cultum Dei ſpiritualem, tum ut deſignetur modus, quo corda ad illum cultum præparari debebant, nempe per viam difficilem terrena relinquendo & coeleſtia ſapiendo. Nam ſemita vitæ eſt *ſurſum verſus, intelligenti* Eccleſ. III: 21. V. Diſſert. de Myſt. Scalæ Jacobææ §. 23. Innuitur etiam gradatim creſcens Eccleſiæ perfectio.

Tribus Jah) Tribus ex Jacobo oriundæ nihilominus conſiderabantur ut tribus Jehovæ Jeſ. LXIII: 17. quia per foedus cum Patribus ictum relationem paternam ad eos habuit, paternamque curam circa illos exercuit. Quanto magis Tribus Domini erunt, qui ſemen ſpirituale Meſſiæ in N. T. conficiunt. Emphaticum hic eſt nomen יה quod *decentiam* Dei, ſive Deum de-

decentiſſimum deſignat. Hujus enim decentiæ divinæ documentum illuſtre eſt populus ille, qui *decoribus ſanctitatis* Pſ. CX: 3. conſpicuus ordinem & decentiam Rege ſuo dignam ſpirat. Anadiploſis hic indicat, in quo potiſſima harum tribuum excellentia conſiſtat.

Teſtimonium Iſraëli) De Iſraële ad Pſ. CXXI: 4. *Teſtimonium* עדות dicta eſt Lex Iſraëli data Deut. IV: 45. VI: 20. Pſ. LXXVIII: 5. LXXXI: 6. ad quam quoque pertinebat ſigillatim conventus in feſta publica anniverſaria. Vox hæc involvit, non tantum quod Deus per dationem Legis publice teſtatam fecerit voluntatem mandati, quam ab Iſraële volebat impleri, ſed etiam beneplaciti, quæ poterat pro fundamento fidei Iſraëlitarum eſſe, qui in hac ipſa Dei ordinatione accipiebant ſignum, quod Jehova eſſet eorum ſanctificator, & obſignationem ſpei bonorum futurorum per Meſſiam adducendorum. Sed & de Lege Meſſiæ vox uſurpatur Pſ. XIX: 8. XCIII: 5. CXIX: 88. Adeoque hic indigitatur, quod Spiritualis adſcenſus Iſraëlis, ſeu cultus ejus in Spiritu & veritate non ſit ἐθελοθρησκεια, ſed fiat ſecundum Teſtimonium in Verbo Evangelico iis propoſitum, quo talis cultus præſcriptus erat, quodque ſimul pro ſingulari firmamento gratiæ & benignitatis divinæ ipſis erat.

Ad confitendum) הודה idem eſt, quod ὁμολογειν & de quacunque publica celebratione nominis divini uſurpatur Gen. XXIX: 35. 1 Reg. VIII: 33. 35. adſtrictum deinde ad cultum ſacrificalem, per quem confeſſio auguſtior ſub N. T. in celebratione virtutum Dei plenius revelatarum conſiſtens deſignatur. Vide Pſ. L: 14. 23. C. 4. & quæ latius diximus ad Pſ. XLV: 18. Hic finis eſt adſcenſus tribuum Iſraëlis, id eſt, omnis cultus ſpiritualis, qui Deo fertur. Non intuentur propriam ſalutem tanquam præmium cultus ſui, ſed id ipſum, quod Deum colant, pro ſumma beatitate ſua cenſent, cujus gloriam Deo dandam eſſe cenſent.

Nomini Jehovæ) *Nomen Jehovæ* aut eſt id ipſum nomen quadriliterum, aut eſt excellentia virtutum ejus, quas revelavit, & per quas ſe Jehovam eſſe demonſtravit. Huic *nomini* fit con-

 feſſio,

feſſio Pſ. LIV: 8. CXXXVIII: 2. quando agnoſcitur & prædicatur, quod Deus ſuas virtutes in redemtione Eccleſiæ, omnibuſque beneficiis, quibus eam cumulavit, manifeſtaverit. Sic ei fit confeſſio benignitatis Pſ. CVI: 1. CXXXVI: 1. veritatis Pſ. LXXXIX: 6. ſanctitatis Pſ. XCIX: 3. CVI: 47. juſtitiæ Pſ. VII: 18. &c.

VERSUS. 5.

Quoniam illic poſiti ſunt throni ad judicium) *Illic* referimus non ad templum ſed ad civitatem. Vox כסאות neque ad thronum Dei in ſanctuario neque ad thronum regium Davidis referri poteſt, Illi enim ſinguli in ſuo genere unici tantum fuere. KIMCHIUS hos duos thronos conjungendos putat per ſingularem ſane inadvertentiam, cum ſtatim addatur, de thronis domus Davidis agi. GEIERUS non putat rejiciendam Maimonidis obſervationem, ex qua pluralis videtur adhibitus, quia throni regales cum mortuis combuſti, adeoque identidem novi conficiendi. Sed textus ſatis indicat de thronis junctim poſitis rem eſſe. Quare oculatior multis Chriſtianis interpretibus hic eſt ABEN-EZRA: *Si Pſalmus hic de Salomone, intelligendi erunt throni Salomonis ejusque fratrum, & ſi de futuro agat, erunt Meſſiæ, filiorumque ejus*; Nempe vox כסא non ſolum thronos Regios, ſed etiam qualescunque Principum aut Magiſtratuum deſignant. 1 Sam. I: 9. IV: 13. 18. Ezech. XXVI: 16. Hic deſignari thronos *judiciales* vox משפט indicat. Quænam fuerit judicii adminiſtrandi forma Hieroſolymis tempore Davidis, non inquirimus. Videtur ſaltem, quando in feſta adſcendebant Iſraëlitæ, ſupremum judicium Regni ab iis, quibus lis quædam intercedebat eſſe ſalutatum, præſertim cum oblatio omnis rejiceretur, antequam reconciliatio facta eſſet. Sed aliud judicium exercet Eccleſia N. T. nempe tum per prædicationem verbi, tum per exercitium diſciplinæ, quod innuitur Jeſ. LVI: 1. LIX: 14. Throni ad judicium ſunt poteſtas judicialis certis quibuſdam perſonis tradita, per conceſſam ejuſdam Spiritus cum Chriſto communionem

Digitized by Google

nem & θεοπνευστίαν infallibilem, ut ſuo verbo & praxi normam docendæ regendæque Eccleſiæ ederent. Tales dicuntur *Principes Juda, Sebulon & Naphthali* Pſ. LXVIII: 28. *Paſtores, qui ſcientia & intelligentia paſcent* Jerem. III: 14. *Lapides coronati* Zach. IX: 16. &c. Hi ſunt *poſiti* firma ſede, ita ut revelli vi humana nequeant.

Throni domui Davidis) *Domus Davidis* eſt familia regia ex Davide oriunda, quin totum aliquando regnum ejus omneſque ei adhærentes 2 Sam. III: 1. 6. Adeoque poſſet emblema eſſe totius Eccleſiæ. Sed quia hic a reliquis habitatoribus Hieroſolymæ & advenis diſtinguitur, hinc malumus ipſos illos judices ſpirituales Eccleſiæ intelligere, per domum Davidis præfiguratos ob cognationem cum Davide coeleſti & gloriam illis datam. Et conſequenter throni domui Davidis non ſunt illi, in quibus domus Davidis judicatur, ſed in quibus judicat. Hinc ſcilicet throni illi omnem ſuam authoritatem nanciſcuntur, quod ſunt throni domus Davidis, atque conſequentur ſecundum notum coeleſtis Davidis judicium exercentes.

VERSUS. 6.

Rogate pacem Hieroſolymæ) Pax vel ſenſu generali ſolet poni pro quacunque felicitate, præſertim in ſalutationibus & precibus, vel in ſpeciali pro ſtatu omnis inimicitiæ ac turbarum experte. Huc potiſſimum reſpicitur, quia varia pericula imminebant, quæ pacem Eccleſiæ turbare poterant. Cum autem pax illa ſit aut cum Deo aut cum hominibus, utramque hic comprehendere implementum permittit. Elegans eſt alluſio ad nomen *Jeruſchalaim*, quod tacitam involvit promiſſionem, populum Dei *viſurum* eſſe *pacem*. Eo magis competit omnibus membris populi Dei, ut *pacem Hieroſolymæ petant*. Phraſis parallela eſt Jerem. XV: 5. vox שאל deſignat generatim *poſtulare*, unde ad preces transfertur, ut ardorem & parrheſiam precantium exprimat 1 Reg. III: 30. Pſ. XXI: 5. Ardorem procurat amor, parrheſiam fiducia in promiſſionibus divinis.

Digitized by Google

Tranquilli ſint amantes te) Amor terreſtris Hieroſolymæ alte infixus erat Iſraelitis Pſ. CXXXVII: 5. 6. Sic & coeleſtis ſuos habet amatores Jeſ. LXVI: 10. Hi ſunt ipſi cives hujus urbis. Vera enim Eccleſia non poteſt alios amantes habere, quam qui membra ejus ſunt. שלה notat ita tranquillum eſſe, ut deſit omnis perturbatio & moleſtia, neque ſit, quem timeas Job. III: 25. Jer. XII: 1. Tranquilli igitur ſunt amici Eccleſiæ, quando a judiciis Dei, a tentationibus & perſecutionibus liberi & ſecuri bonis ſuis fruuntur.

VERSUS. 7.

Sit pax in antemurali tuo) Hebraicum nomen חיל omnis generis *robur* notat, & quicquid defenſionem præſtare poteſt. Inde ſæpe ponitur pro exercitu valido. Cum relatione ad urbem notat ejus munitiones. Speciatim poteſt verti per antemurale, quod, ut KIMCHIUS explicat, fuit parvus murus exterior ante murum magnum. Nam a חומה diſtinguitur 2 Sam. XX: 15. 1 Reg. XXI: 23. Thren. II: 8. Hieroſolyma myſtica itidem ſuos muros habet Jeſ. XLIX: 16. LX: 18. Apoc. XXII: 17. & antemurale Jeſ. XXVI: 1. Huc quoque ſpectat. Jeſ. LIV: 12.

Et ponam propugnacula tua in rubinis, qui locus ad tempora eadem reſpicit, de quibus hic Pſalmus agit. Per hæc propugnacula aptiſſime intelliguntur Viri, qui cauſſam doctrinæ & veritatis publica defenſione fortiter ſuſtinent voce atque ſcriptis. Hi eleganter diſtinguuntur a muris Eccleſiæ, qui tum Deus ipſe, Zach. II: 5. tum Leges Eccleſiæ fundamentales ſunt, & ſimiles ſunt antemurali, conſtantia, fortitudine animi, qua vim adverſam hoſtium excipiunt, arcta animorum qua ſibi invicem cohærent unione, quibus virtutibus Eccleſiæ tutamen ac robur præſtant. Pax, quæ iis fovetur, eſt tum externa, quando ab hoſtibus non impetuntur, tum interna, quando ſchismata, contentiones, rixas procul habent, unumque opus in Domino vi unita urgent.

Quies

Quies in palatiis tuis) Cum ארמנות deſignent palatia Principum, voce deducta a רום altum eſſe, quando Eccleſias illa tribuuntur, ut fit Pſ. XLVIII: 4. collato etiam Pſ. XLV: 9. proximum eſt, ut cogitemus de tali tempore, quo Principes & Magiſtratus terræ Chriſto quoque nomen daturi erant. Hi ſunt *pingues in terra* Pſ. XXII: 30. *porta ſeculi* Pſ. XXIV: 7. 9. *Voluntarii populorum & protectiones terræ* Pſ. XLVII: 10. *Reges nutricii & Principes nutrices* Jeſ. XLIX: 23. In illis optatur שלוה Confer vers. 6. Tranquillitate indigebant Principes & Præſides Eccleſiæ, ut eo commodius commodis ejus invigilare poſſent, neque tamen excludenda hic interna mentis tranquillitas, ne per affectus turbatos, quorum ſæpe minime Domini ſunt, qui aliis dominantur, factionibus vel in ipſa Eccleſia ſubnaſcentibus faveant, atque ut omnia non impetu ſed conſilio agant.

VERSUS. 8.

Propter fratres meos) Ita David commilitones ſuos ex Iſraële nominavit 1 Sam. XXX: 23. Sic ipſe Chriſtus in Spiritu Prophetico Pſ. XXII: 23. Unde & *Sponſa* eum nominat fratrem ſuum Cant. VIII: 1. Ipſi Judæi hoc viderunt. In Jalkut p. 11. Pſalmus integer XXII. de Meſſia explicatur. Locum Cantici ita eleganter παραφράζει Targumiſta: *Eo tempore revelabitur Rex Meſſias Eccleſiæ Iſraelis; ac dicent ei filii Iſraelis: Veni, eſto nobiſcum ceu Frater, & adſcendamus Hieroſolymam, ut ſugamus tecum ſenſus Legis, quemadmodum infans ſugit ubera matris ſuæ.* Notabilis quoque in hanc rem eſt R. BECHAI, quem CL. MICHAELIS excerpſit de nomin. div. p. 8: quando locum Lev. XXV: 48. de Göele, qui ſervum Iſraëliticum ex propinquis emancipare in Libertatem tenebatur, ut typum ipſius Meſſiæ conſiderat: *Dicit textus: Unus e fratribus ipſius aſſeret ipſum. Is eſt Meſſias filius Davidis, qui orietur ex tribu Juda, omnium tribuum maxime ſingulari.* &c. Neque etiam Jeſus tergiverſatus eſt hoc nomen dare ſuis diſcipulis Matth. XII: 48. 49. XXVIII: 10. Joh. XX: 17. Unde *primogenitus inter multos fratres* Rom. VIII: 29.

Digitized by Google

VIII: 29. Phraſis emphatica, quæ deſignat 1. cognationem non tantum ſecundum carnem & ſanguinem, cujus particeps fieri debebat, ſed etiam ſpiritualem ex uno Patre Deo per eundem Spiritum, & ex una matre Eccleſia. 2. Similitudinem per eandem imaginem in Chriſto & fidelibus. 3. Communem hæreditatem. 4. Tenerrimam amoris propenſionem. Quicunque enim foedere amicitiæ ſibi invicem conjuncti fratres ſolebant dici 2 Sam. I: 26. 1 Reg. XX: 32.

Et ſocios, amicos meos) Aliquando *fratres* etiam pro *ſociis* ponuntur. Et Eccleſia non ſolum eſt ſoror ſed etiam רעיה *ſocia* Chriſti Cant. I: 9. 15. II: 2. &c. Hic vero ab illis diſtincti procul dubio deſignant tales, qui non tantum diverſis vinculis uniti, ſed etiam in ſocietate operis conjuncti erant. De amicis proximæ admiſſionis Meſſiæ, quales erant Apoſtoli, vox hæc uſurpatur Pſ. LXXXVIII: 19. Primi ſane Evangelii præcones erant *Amici Chriſti* Joh. XV: 14, 15. *Amici ſponſi* Joh. III: 29. collato Jud. XIV: 11. Aut ſi mavis non diſtinguere perſonas, res ipſa tamen diſtingui poteſt, ita ut *fratres* Chriſti dicantur vera Eccleſiæ membra cum reſpectu ad vincula unionis, *amici* vero cum reſpectu ad operationes, per quas vinculorum horum firmitas demonſtratur.

Propter eos omnia facit Dominus, non quaſi aliquid ejusmodi mererentur, ſed propter beneplacitum ac foedus ejus, quæ per conſtantiam ejus irrita reddi nequeunt, & eum in finem, ut eorum ſalutem promoveat.

Loquar nunc pacem in Te) Quid ſit *loqui pacem* obſcurum eſt. Eſth. X: 3. adſcribitur Mardochæo, ubi dicitur, quod *locutus ſit pacem* לכל זרעו *omni ſemini* ejus. Occurrit quoque Pſ. LXXXV: 9. *Audiam quid locuturus ſit Deus Jehova: nam loquetur pacem* אל עמו ואל חסידיו *ut ne revertantur ad vanitatem.* Ex hoc loco coetera explicanda, quia clare iudicat, agi de verbo a Jehova prolato, ad populum & ſanctos ſuos, atque ab ipſis audito eum in finem, ut a vanitate doctrinæ conſerventur. Deſignatur ergo per hunc *Sermonem pacis* Miniſterium Evangelii. Nam id nihil aliud eſt, quam nuntium pacis & reconcilia-

cilia-

Digitized by Google

ciliationis. Et procul dubio Mardochæus quoque in eo occupatus fuit, ut ſemini ſuo verbum iſtud pacis traderet. Hoc pertinet ad illa mirabilia, *quæ dicebantur* מדבר בך *in te, o Sion* Pſ. LXXXVII: 3. per miniſterium pacis ipſe Dominus loquitur ad populum ſuum 2 Cor. V: Declarat igitur Dominus ſe ſanam illam pacis doctrinam conſervaturum. Huc facit particula נא, quæ non eſt mere expletiva, ſed deſignat, ſive quod *illo tempore*, quo Pſalmus collimat, Dominus maxime neceſſarium duxerit, *pacem* illam *eloqui*, ſive quod certo & cum ſumma cura atque applicatione iſtum ſermonem pacis conſervare decreverit.

Hoc fit *propter fratres* & *amicos* Meſſiæ, etiam quando multi alii ſunt indigni, ut ſemen iſtud ſanctum conſervetur, & ut neceſſaria ſolamina non deficiant.

VERSUS. 9.

Propter domum Jehovæ Dei noſtri) De domo Jehovæ Vid. v. 1: Nomini יהוה additur foederalis expreſſio אלהינו *Dei noſtri*, quæ relationem habet ad foedus gratiæ, & ſimul indicat arctam & fraternam Meſſiæ cum populo Dei communionem Joh. XX: 17.

Videtur idem plane ſonare, quod verſu præcedenti *propter fratres & amicos* Meſſiæ; illi enim ſunt domus Dei ſpiritualis. Sed non eſt idem. Illic relationem ſuam ad populum, hic vero ad Patrem ſuum coeleſtem intelligit. Poſterius fundamentum eſt prioris. Propterea enim Meſſias ſuos pro *fratribus* ac *amicis* habet, eorumque bonum promovet, quia illi conſtituunt domum Patris ejus, ſive quia Patris iſtud fuit beneplacitum, ut in illis illuſtre gloriæ ſuæ theatrum conſtitueret. Hoc beneplacitum Patris Filius promovere quærit, & propterea Zelus domus ejus eum comedit Pſ. LXIX.

Quæram bonum tibi) Bonum hic in omni emphaſi. Sic intellige non tantum de corporali, ſed etiam interna & æterna beatitate Eccleſiæ. Speciatim intellige promiſſiones Eccleſiæ de ſtatu glo-

Digitized by Google

glorioſo datas. In loco citato Eſth. X. 3. idem de Mardochæo prædicatur, qui hac quoque in parte poteſt conſiderari ut typus Meſſiæ. Phraſin illuſtrat GEIERUS. Cum autem *quærere* ſolers ſtudium aliquid conſequendi notet, non niſi improprie Davidi coeleſti tribui poteſt, pari ratione ac occurrit Pſ. CXIX: 176. Ezech. XXXIV: 12. ut nempe deſignetur licet magna ſint beneficia, quæ tanquam collata in Eccleſiam hoc Pſalmo prædicantur, majora tamen adhuc deſideranda reſtare, & propterea Davidem coeleſtem una cum interceſſione apud Patrem ſuam potentiam juncturum eſſe, ut id, quod deeſſe videtur, certis gradibus ſiſtatur, atque ita Eccleſia paulatim ad ſuum complementum deducatur.

IMPLEMENTUM.

§. I. Gentes converſæ vim converſionis ſuæ poſt initia N. T. in eo manifeſtabant, quod cum Hieroſolymæ coeleſtis civibus, ſeu Eccleſia ex Judæis ad cultum Dei ſpiritualem ſe adunirent, unumque populum conſtituerent, quod non poterat non gratum eſſe Filio Dei, ſupremo Eccleſiæ Regi, qui ita ſcopum attingebat, in quem regnum a Patre acceperat. De his temporibus agit EUSEBIUS de vita Conſt. III. c. 57. Quotquot antea ſuperſtitioſo Dæmonum cultui addicti erant, cum errorem ſuum confutatum oculis ſuis viderent, & omnium utique templorum ac ſimulacrorum vaſtitatem intuerentur, alii ad ſalutarem Chriſti doctrinam ſe conferebant: alii licet idem facere nollent, majorum tamen ceremonias utpote vanas & inanes condemnabant, & quos antea pro Diis habuiſſent, deridebant.

§. II. Ad communionem hanc ſanctorum in Eccleſia conſervandam pertinebat judicium Eccleſiaſticum exercitum per Synodos & Concilia eum in finem habita, ut doctrina vera conſervaretur, atque contra inſurgentes paulatim hæreſes defenderetur, utque diſciplina eccleſiaſtica, quæ impurum omne a communione Eccleſiæ ſegregabat, rigide exerceretur. Quam in rem

Con-

Concilia Africana, Eliberitanum & præcipue Nicænum tendebat. Licet enim illa quoque non ſine nævis eſſent, non exiguum tamen commodum ad fundamentalia doctrinæ conſervanda hactenus afferebant. Throni ſaltem Epiſcopales tam diu pro thronis domus Davidis poterant haberi, quam diu Apoſtolica doctrina Epiſcopis multis egregiis Eccleſiæ ejus temporis pro Cynoſura judicii erat.

§. III. Habebat igitur Eccleſia antemurale ſuum in talibus Doctoribus, qui ſub regno Conſtantini Magni potiſſimum tam ore quam ſcriptis contra hoſtes divinitatis Chriſti fortiter & non ſine ſucceſſu veritatem tuebantur. Quales erant, Hoſius, Hilarius, Athanaſius. Lactantius, Alexander, Epiſcopus Alexandrinus, ο γενναιος των εκκλησιαςικων δογματων προμαχος, Eccleſiaſticæ doctrinæ vindex acerrimus, ut Theodoretus ait, Euſtathius eterim.

§. IV. Sed & in palatiis regnabat Chriſtus, ex quo Conſtantinus M. ad Chriſtianos ſe adjunxit, & Eccleſias opibus ac privilegiis ditavit. Unde SULPIT. SEVERUS lib. II. Hiſt. Sacr. c. 33. *Exinde* (poſt Licinium) *tranquillis rebus, pace perfruimur, neque ulterius perſecutionem fore credimus, niſi eam, quam ſub fine jam ſeculi Antichriſtus exercebit.*

§. V. In illo rerum ſtatu nihil magis optandum & pro Eccleſia petendum erat, quam ut pax & tranquillitas in ea conſervaretur. Hæc enim ſtatim ab illo initio, quo externa ejus forma in melius videbatur eſſe mutata, incipiebat deficere, per varios & graviſſimos tumultus, diſſidia, ſchiſmata, hæreſes, quæ eam ſub Conſtantino & ejus ſucceſſoribus miſere dilacerarunt. Exemplo ſit Arianiſmus eo adhuc ſuperſtite lacertos movens, & ſub ejus ſucceſſoribus invaleſcens, qui quam cruentis bellis & perſecutionibus, quibus in viſcera propria ſævitum eſt, anſam dederit, hiſtoria ejus ævi docet. Sic primo antemuralia ſunt concuſſa, plurimis Epiſcopis & Antiſtitibus Eccleſiæ pulſis atque concuſſis, iiſque ipſis inter ſe diſcordibus, ſeque invicem anathemati dantibus. Exigua quoque in ipſis palatiis erat quies. Quidam ex ſucceſſoribus Conſtantini manifeſte Aria-

niſmum protegebant. Unus ex iis Julianus Apoſtata gentiliſmum amplexus exſtirpare Chriſtianiſmum doloſe Antiſtitum diſcordia in rem ſuam abutens quærebat. Jure igitur merito pii ad conſueta arma, ad preces ſcilicet, confugiebant, ut Deus hæc vulnera ſanaret.

§. VI. Coeleſtis interea David propoſiti ſui memor manſit. Illius providentia factum eſt, ut ſermo pacis ſuos hactenus publicos defenſores & aſſertores contra hoſtes Deitatis & meriti Chriſti nanciſceretur. Idem omnes hos tumultus ita eſt moderatus, ut ad ſeminis ſancti purificationem inſervirent, utque Eccleſia vera in meliora tempora conſervaretur.

USUS.

§. I. Ex hoc Pſalmo exſculpi poſſunt criteria veræ Eccleſiæ, & quicquid tam ad internam ejus eſſentiam, quam ad externam ejus felicitatem ac gloriam pertinet.

§. II. Interna ejus forma in eo conſiſtit, ut membra ejus ad cultum Dei in Spiritu ac veritate ſe conſocient, ut doctrina Apoſtolica pro fundamento fidei ac judicii ſpiritualis ponatur, ut ſuperſint in Eccleſia, qui ſincere matrem ſuam amant, qui illo amore urgentur ad petendum & quærendum pacem ejus, quique communionem cum coeleſti Davide per foedus gratiæ adeo arctam colunt, ut digni ab eo habeantur, quos pro fratribus ac ſociis reputet, quorumque cauſſa invigilare Eccleſiæ commodis pergat. Externum vero decus Eccleſiæ in eo conſiſtit, ut diſciplina Eccleſiaſtica exerceatur, ut Paſtores & Doctores, qui antemurale Eccleſiæ conficiunt, per Spiritum pacis inter ſe conglutinentur, ut Principes & Magiſtratus vere ſint nutricii ejus. Habent ergo ſingula Eccleſiæ membra hic expreſſum officium, quod iis incumbit, ſi pro vivis membris cenſeri volunt.

§. III. Sed & habent quod eos confortare poteſt, 1. ſplendorem & decus intuentes, quo Eccleſia radiat in oculis Domini, eo uſque ut delicietur in populo ſuo, quando ille in cultu Dei fervidus eſt, utque eum pro fratribus & ſociis habeat, quæ maxima eſt,

crea-

creaturæ rationalis prærogativa: 2. conſiderantes ſingularem Davidis coeleſtis circa populum ſuum curam, promiſſioneſque uberrimas, quibus fidem ſuam Eccleſiæ ad ejus tum conſervationem tum perfectionem obſtrinxit.

ANALYSIS Pſalmi CXXIII.

		Verſio Cl. COCCEJI
שיר המעלות אליך נשאתי את־עיני הישבי בשמים׃	1.	*Carmen graduum. Ad te attollo oculos meos, qui ſedes in coelo.*
הנה כעיני עבדים אל־יד אדוניהם כעיני שפחה אל־יד גברתה כן עינינו אל־יהוה אלהינו עד שיחננו׃	2.	*Ecce, ut oculi ſervorum ad manum Domini ſui, ut oculi ancillæ ad manum heræ ipſius, ſic oculi noſtri ad Dominum, Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.*
חננו יהוה חננו כי־רב שבענו בוז׃	3.	*Gratioſus eſto nobis! gratioſus eſto nobis! Nam multùm ſatiati ſumus contumelia.*
רבת שבעה־לה נפשנו הלעג השאננים הבוז לגאונים׃	4.	*Multùm ſatiata eſt ſibi anima noſtra irriſione tranquillorum, contumelia ſuperborum.*

§. I.

ARgumentum ejus continet deſcriptionem precum piarum cum ſingulari animi ſubmiſſione & fiducia fuſarum in certo aliquo tempore, quo pax & tranquillitas Eccleſiæ non tam per externos hoſtes,

quam per irriſionem & contumeliam eorum, inter quos illa habitabat, turbabatur; idque non ſine intercedente propria culpa, per quam adigebantur ad gratiam Domini exorandam.

§. II. Tempora N. T. exaltationem Chriſti ſequentia innui, ex alloquio illius, qui *ſedet in coelo*, apparet. Nexus autem, in quo hic Pſalmus cum præcedenti & ſequenti eſt poſitus, nos ducit ad cogitandum de tali intervallo, quod inter externam felicitatem Eccleſiæ in terris jam ſtabilitæ, ejusdemque novam violentam per inundationem populorum oppreſſionem atque afflictionem eſt intermedium.

§. III. Artificium Pſalmi ita eſt compoſitum, ut chorus multorum ad ſupplicandum Deo ſe adunientium introducatur, in quo unus præit, atque in numero ſingulari incipit, cui deinceps plures ſe adjungunt, communeque Eccleſiæ deſiderium proponunt atque urgent.

Bipartitus eſt Pſalmus.

I. Primo deſcribitur ſancta precantium ad rite Domino ſupplicandum diſpoſitio vers. 1. 2. & quidem ita ut proponatur.

A. Diſpoſitio Præcentoris vers. 1. *Ad te attollo oculos meos, qui ſedes in coelis.*

B. Diſpoſitio totius chori ei ſe adjungentis, ſimilemque animi habitum profitentis vers. 2. Hic diſtingui poteſt

1. Deſcriptio ipſius habitus animorum cum ſingulari ſubmiſſione & patientia auxilium Domini præſtolantium: *Ecce, ut oculi ſervorum ad manum Dominorum ſuorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ ſuæ, ſic oculi noſtri ad Jehovam Deum noſtrum.*

2. Deſcriptio conſtantiæ ſive finis hujus præſtolationis: *donec gratiam facturus ſit nobis.*

II. Secundo precatio ipſa ſubjungitur vers. 3. 4. in qua diſtinguenda

A. Precatio ipſa vers. 3, p. pr. *Gratioſus eſto nobis, Jehova, gratioſus eſto nobis.*

B. Ra-

B. Ratio, cui precatio innititur
 1. Generalis vers. 3. p. poſt. *Nam multum ſatiati ſumus contumelia.*
 2. Specialis vers. 4. : *Multum ſatiata ſibi eſt anima noſtra ſubſannatione illa ſecurorum contumelia illa ſuperborum.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS.

Ad te attollo oculos meos) Attollere oculos geſtus eſt precantium Thren. III: 41. Matth. XIV: 19. Joh. XI: 41. XVII: 1. Sic & apud Homerum Iliad. VII. 178. dicitur:

Ωδε δε τις ειπεσκεν ιδων εις ουρανον ευρυν.

Sic autem dicebat aliquis ſuſpiciens in coelum latum.

Metaphora indicans 1. profundum precantis de majeſtate Dei ſenſum. 2. mentem ſupra terrena deſideriis ſe extollentem & ſigillatim omnem fiduciam in carne ullisque rebus mundanis abnegantem. 3. parrheſiam, oppoſitam illis, qui ex pudore non audent oculos ſuos attollere in coelum Eſdr. IX: 6. Luc. XVIII: 13. 4. exſpectationem opis, uti oſtendimus ad Pſ. CXXI: 1.

Qui ſedes in coelis) Cœli in ſacris duplices memorantur literales & myſtici. Præſentia Dei in illis nihil aliud indigitat, quam certam relationem, quam ad illos habet per ſuam efficacem in illis operationem. Quando ergo dicitur *eſſe in coelis* literalibus, aëre & æthereo, tum generatim ejus deſcribitur majeſtas, omniſcientia ac potentia, quatenus illam in Regno naturæ exercet. Illa poteſt per ſe fulcrum fiduciæ eorum eſſe, qui e terra in coelum oculos cum manibus tollunt, quia illius potentiæ, qui in vaſtis illis cœlorum ſpatiis dominatur, omnia, adeoque & ipſa terra ſubjacet, quæ undiquaque cœlis illis cingitur. Ma-

gis emphatice autem cogitatur de cœlis myſticis Eccleſiæ, in quibus præſens eſt Dominus per majeſtatis ſuæ in Regno gratiæ demonſtrationem. Idque ſpeciatim requirere videtur phraſis *ſedendi in coelis.* *Seſſio* enim ſive *habitatio*, nam utrumque ישב deſignat, quando Deo tribuitur, procul dubio denotat continuatam quandam operationum ejus præſentiam, qua magis in tali, quam in alio loco ſe revelat. Id nequit dici de coelis elementaribus. Illi enim quoad operationes Dei naturales nullam prærogativam præ terra habent. *Cœlos* enim & *terram implet* Jerem. XXIII: 24. Sed cœlis Eccleſiæ & præcipue triumphantis id multo magis convenit, quia illic ſplendor perfectionum divinarum longe illuſtrius revelatur, & conſtantiſſime revelabitur in omnem æternitatem. Conſideratur enim tunc cœlum ſive ut thronus, in quo Deus alte ſuper omnes hoſtium impetus evectus regnat, judicalemque poteſtatem *ſedendo* exercet, ſive ut *templum*, in quo *habitat*, & per cultum ſpiritualem laudem æternam accipit, unde *altum ſive cœlum* habitatio Dei dicitur 1 Reg. VIII: 43. Jon. II: 8. Jeſ. LXIV: 15. Sigillatim hic per ה emphaticum videtur innui Filius Dei, quem tanquam *ſedentem in cœlis*, poſtquam exaltatus erat ad dextram Patris, Prophetæ deſcribunt Pſal. II: 4. Jeſ. LXVI: 1. ut nempe exprimant tum glorioſam ejus poſt exantlatos labores quietem, tum regiam ejus majeſtatem & gloriam, qua beatis cœlitibus eſt conſpicuus, æquali cum Patre honore gaudens, tum judicialem quam in hoſtes ſuos omnes exercet poteſtatem. Quo etiam pertinet, quod in Gemara Codicis Chagiga excerpta ab HOTTINGERO p. 105. dicitur, Angelo Metatron poteſtatem conceſſam eſſe, ut conſideat ac conſcribat merita Iſraëlis, cum cœteri Angeli ſtare debeant, nam dicitur quod in cœlis לא ישיבה nulla ſeſſio ſit.

Ad hunc *in cœlis ſedentem* oculos attollens declarat, quænam ſint fundamenta fiduciæ ejus, nempe tum generaliter poteſtas & majeſtas Dei, tum ſpecialiter firmatus regni Chriſti in cœlis thronus, qui ſtabilis eſt & perdurans in omnibus hujus mundi viciſſitudinibus Pſ. XCIII: 2. 4. CX: 1. Deut. XXXIII: 26.

26. Pſ. LXVIII: 34-36. Atque ita ſe efficaciter opponit non tantum illis, qui olim ſub Oeconomia Vet. Teſt. oculos tollebant ad ſanctuarium terreſtre, ſed etiam illis, qui uſpiam a montibus in terra auxilium carnale exſpectant.

VERSUS. 2.

Ecce) Conf. Pſ. CXXI: 4. Dubium eſt, ad quem alloquium hoc dirigatur. Poſſet referri ad ipſum Deum in cœlis ſedentem. Sed planius videtur, ut concipiamus cœtum integrum in eodem periculo conſtitutum, per exemplum præeuntis Doctoris incitatum illum alloqui, & ei declarare, ſe eodem animo eſſe. Tale ſchema præcipue convenit tempori, in quo pius quidam Elias in communi corruptione ſe ſolum ſuperſtitem eſſe putat, qui tamen ubi fidem ſuam erga Dominum inconcuſſam declarat, ex improviſo catervam integram animadvertit, quæ ei ſe agglutinat, & quacum Deo ſupplex fieri pergit.

Sicut oculi ſervorum ad manum Dominorum ſuorum) Non opus eſt, ut enallage numeri in אדוניהם ſtatuatur. Reſpondet enim *ſervis* in plurali, ſicut *ancilla* in ſingulari reſpondet *hera*. Oculi ſervorum ad Dominos directi ſunt ſymbolum humilitatis, ſubjectionis, dependentiæ, ſilentii, exſpectationis, venerationis. Confer 1 Reg. I: 20. Sic angeli in cœlo aſpiciunt faciem Patris cœleſtis Matth. XVIII: 10. Sic ſervi Dei ei *ſerviendo vident faciem ejus* Apoc. XXII: 4. Hic illud ſingulare, quod oculi ſervorum non ad faciem, ſed ad *manum Dominorum* directi eſſe dicuntur. Signo manus imperia quoque aliquando ſervis dantur, unde ad manum herorum oculi ſervorum merito reſpiciunt. Sed quia, qui hic loquuntur ſe conjungunt cum illo, qui verſu primo ad ſedentem in cœlis auxilium petiturus oculos tollebat, hinc opportunius manum hic conſiderare tanquam organum auxilii ac defenſionis. Nam manus & præcipue dextra frequens apud veteres eſt ſymbolum protectionis ac defenſionis: manus extenſa figurabat auxilium promtum. GEIERUS hic obſervat, quod mancipia olim utcunque ab aliis læſa ulciſci tamen

ſe

Digitized by Google

ſe haudquaquam potuerint, imo ne telum quidem aut aliud quid armorum geſtare. Omnis igitur eorum defenſio in manu heri ſita erat.

Uti oculi ancillæ ad manum heræ ſuæ) Relatio ancillæ ad manum heræ Gen. XVI: 6. 8. 6. indicatur, & quidem iterum ut non ſolum ab ea penſum accipiat Prov. XXXI: 15. ſed etiam ut per eam protegatur, unde ubi heræ in exilium abducuntur, eadem ancillarum ſors eſt Nah. II: 7. Jeſ. XXIV: 2.

Sic oculi noſtri) Fatentur igiter, ſe eſſe *ſervos* Domini. Nomen hoc de fidelibus in ſacris frequenter occurrit, & ſigillatim de fidelibus. N. T. Pſ. LXIX: 37. CII: 29. Jeſ. LVI: 6. LXV: 8. ſq. &c. Olim datum eſt Iſraëli ex ſervitute Ægypti liberato Levit. XXV: 55. Licet autem humile quid ſonet, nihilominus eſt nomen honoris, quod per emphaſin ſemper præſtantiſſimis Viris in populo Dei eſt datum; & cum ſingulari gloriatione ab illis eſt uſurpatum. Sic dicuntur Patriarchæ Abraham, Iſaac & Jacob Exod. XXXII: 13. Deut. IX: 27. Moſes Exod. IV: 10. &c. David 2 Sam. VII: 20. &c. Quando ergo fideles ſe hic in ſervorum Dei numerum referunt, tum conſiderant ſe tanquam ab illo emtos ac manu forti e ſervitute peccati & Legis liberatos, qui humili corde ſuam totalem a Deo tanquam ſupremo Domino dependentiam agnoſcunt, qui parati ſunt ad omne ſervitium cultumque ei præſtandum, tanquam antitypus Iſraëlis V. T. quique hoc ipſum, quod inter hos ſervos ſe reputare queant pro inſigni prærogativa habent, & pro criterio ex quo poſſunt cum fiducia a Deo auxilium ejus exſpectare, qui iſtud ſervis ſuis exhibere promiſit Deut. XXXII: 43. Pſ. XXXIV: 23. Dum autem non ſolum *ſervis* ſed etiam ancillis ſe comparant, id vel proprie, vel per metaphoram intelligi poteſt. Proprie, ut deſignetur cœtus ex hominibus varii ſexus ac conditionis ſublato perſonarum diſcrimine conſtans. Sic *filii & filiæ* conjunguntur Jeſ. XLIX: 22. LVI: 5. Pſ. CXLIV: 12. Metaphorice, ut illi, qui auxilium hic exſpectant, debilitatem ſuam exprimant.

Ad Jehovam Deum noſtrum) Confer Pſalm. Præced. vers. 9.

Hæc

Hæc nomina divina continent fundamenta & ſubjectionis fidelium tanquam ſervorum ſub Domino & fiduciæ de impetrando auxilio.

Donec gratiam facturus ſit nobis) Vox חנן deſignat generatim benignam voluntatem de benefaciendo miſeris & indignis peccatoribus Exod. XXXIII: 19. Hic ſpeciatim exprimit beneficium auxilii in præſenti neceſſitate, quod ita exſpectant fideles, ut ſe agnoſcant in tali periculo conſtitutos, ex quo emergere ſine auxilio divino nequeunt, & ſimul indignos propter peccata, quibus id præſtetur. Sed & auxilium, quod exſpectant, conſiderant tanquam conſequens propoſiti gratiæ, ad quod pertinet, ut non tantum e ſervitute peccati eripiat, ſed etiam ereptos contra quoscunque hoſtes tueatur & ad finem conſervet. Vocula עד *donec* hic 1. indicat conſtantiam in precibus & exſpectatione auxilii divini. Licet enim Dominus auxilium aliquando protrahat, ut ſuorum fidem & patientiam exerceat, illi tamen precibus inſtare pergunt. Sic vox occurrit Thren. III: 50. Confer quoad rem ipſam Pſalm. LV: 17. 18. Luc. XVIII: 2-7. 2. conſiderat preces cum ſpe conjunctas tanquam medium ad gratiam Domini impetrandam ordinatum. Particula enim עד non excludit tempus miſerationem divinam ſequens, ac ſi poſt obtentam exauditionem fideles a precibus velint deſiſtere, ſed aliquando deſignat: *ut*, æque ac Græcorum ἑως ȣ. Exempla apud Glaſſium & Noldium videri poſſunt.

VERSUS. 3.

Gratioſus eſto nobis Jehova) Ita propoſitum actu ipſo implent fideles. Suſpirium hoc admodum frequens eſt in ore fidelium Pſ. LI: 3. LVI: 2. LVII: 2. LXXXVI: 3. CXIX: 58. Ex horum locorum collatione & ex data ſignificatione τȣ חנן patet, eos hic petere 1. remiſſionem peccatorum, quibus ſe ope divina indignos reddidere. 2. ereptionem ex præſentibus periculis. 3. novam gratiæ divinæ per beneficia ſpiritualia ſecundum propoſitum gratiæ in Chriſto exhibenda demonſtrationem. Id petunt

a *Jehova*, quia fidelitati, conſtantiæque ejus, & promiſſorum veritati innituntur. Nec tantum pro ſingulis, ſed pro univerſis: *nobis*.

Gratioſus eſto nobis) Hæc Epizeuxis non eſt battologica, ſed indicat. 1. ardorem deſiderii Matth. XX: 30. 31. Luc. XXIII: 21. 2. conſtans in continuandis precibus propoſitum, unde & ipſe Servator eadem verba precando repetiit Matth. XXVI: 44. 3. periculorum diverſitatem, in quibus gratia Dei indigebant.

Nam multum ſatiati ſumus contumelia) בוז deſignat contumeliam illatam ei, quem non tantum vilipendimus, quod radix בזה denotat, ſed etiam, quem rem pudendam commiſiſſe cenſemus, quod radici בוז eſt proprium Prov. VI: 30. Hinc Prov. XII: 8. dicitur *pravus corde erit* לבוז *in contumeliam*. Adde Prov. XVIII: 3. Illa contumelia infertur tum verbis Gen. XXXVIII: 23. Pſ. XXXI: 19. tum factis Job. XII: 21. Pſ. CVII: 40. & piis ſæpe numero evenit propter confeſſionem veritatis veræque ſanctimoniæ ſtudium Pſ. CXIX: 22. Unde membra Eccleſiæ tum contumeliæ impiorum expoſita ſunt, quando pro deceptoribus aut improbis venditantur, quando confeſſio eorum, tanquam falſa, ſive quoad argumentum, ſive quo ad gloriationem fidelium traducitur, & quando ex hoc fundamento ſupprimuntur atque affliguntur. *Satiati* hac contumelia dicuntur phraſi in ſacris admodum frequente. Job. X: 15. Prov. XXVIII: 19. Thren. III: 30. Simili phraſi ANTONINUS de rebus ſuis lib. IX. §. 2. dixit ψευδολογιας και υποκρισεως και τρυφης και τυφου κορεσθεντα αποπνευσαι *falſiloquii, hypocriſeos, luxus, faſtus ſaturum emori*. Satietas enim per metonymiam cauſſæ ponitur pro tædio ac nauſea Jeſ. I: 11. Pſ. LXXXVIII: 4. CICERO de ſeneƈt. *Omnino rerum omnium ſatietas vitæ affert ſatietatem*. Adeoque indicatur & magna opprobrii menſura, & animi dolor inde contractus, quia intolerabile iſtud animæ fideli, quod ex fonte tam impuro contumelia profluat. Id eſt, quod concoquere nequit, gloriam Dei ita ab hoſtibus veritatis proculcari. Magnitudo contumeliæ intenditur, quando fideles ſe *multum* ſatia-

ſatiatos dicunt, KIMCHI & ABENEZRA agi putant de longo oppreſſionis tempore. Sed optime quoque intelligi poteſt varietas contumeliæ a diverſis adverſariis illatæ.

VERSUS. 4.

Multum ſatiata ſibi eſt anima noſtra) Similem locutionem habuimus ad Pſ. CXX: 6. niſi quod illic activa, hic paſſiva ſit dictio, unde nihil obſtat, quo minus hic dativum dolentis in vocula לה admittamus, cujus illic mentionem fecimus. Adeoque ſpectat ad exaggerationem doloris, quem in ſinu ſuo concoquere fideles debuerunt, præcipue cum ſolamina externa deeſſent, neque eſſet, qui compaſſionem haberet. Eo magis in ſeipſa affligi debuit *anima*, interniſque ac tacitis affectibus & cordis motibus concuti. Repetitio videtur ad continuationem & augmentum afflictionis pertinere.

Subſannatione illa ſecurorum) השאננים generatim deſignat quoscumque externa proſperitate gaudentes, in qua a periculo hoſtium exſortes ſunt. Unde & aliquando in bono ſenſu occurrit Jeſ. XXXII: 18. XXXIII: 20. Hic vero in malo ſenſu tales exprimit, qui externa tranquillitate & brachio carnis confiſi religionem ſuſque deque habent, moliminaque & conatus defenſorum veritatis tanquam evanidos deſpiciunt. Sic Job. XII: 5. uſurpatur de homine in ſeculo hoc felice, cui pius lampas eſt contempta. Adde Amos. VI: 1. Securos hos inter paſtores Eccleſiæ N. T. in terris ſtabilitæ potiſſimum deprehendit Jeſ. c. LVII: 1-4. Talibus convenit *ſubſannatio*. Vox לעג talem ſubſannationem indigitat, qua fides, ſpes, pietas populi Dei tanquam vana ac falſa illuditur Pſ. XLIV: 14. Tales illuſiones illis ſunt propriæ, qui externa felicitate florentes aut ſapientiæ mundanæ faſtu impleti illos pro ſtolidis habent, qui pro veritate afflictiones ſubeunt.

Contumelia illa ſuperborum) Vox גאיונים eſt *ἅπαξ λεγόμενον*. גאון, unde derivatur, deſignat tum eminentiam, tum etiam ſuperbiam ex illa ortam. Unde *ante confractionem* גאון dicitur eſſe

Prov. XVI: 18. ubi utrumque includitur. Hic etiam optime tales deſignantur, qui elati ſuper alios tyrannice ſua poteſtate ad oppreſſionem reliquorum abutuntur. Licet ergo eædem perſonæ queant intelligi per *ſecuros* & *ſuperbos*, cum paſſim externa tranquillitas ac proſperitas ſuperbiæ mater ſit, ita tamen eos quoque diſtinguere poſſumus, ut per *ſecuros* totum hoſtium veritatis gregem, per *ſuperbos* vero capita eorum, in quibus priores confidunt, intelligamus. His ſane, utpote in poteſtate conſtitutis, magis integrum eſt, pios *contumelia* afficere, quod plus dicit, quam *ſubſannationem*. Hæc enim in verbis ſubſiſtit, illa vero, ut vidimus, actualem oppreſſionem & afflictionem involvit. Ad illam afflictionem referri poſſunt prophetiæ Jeſ. LVII: 5. 6. Pſ. XII. Apoc. II: 13. VIII: 3. XII: 13.

IMPLEMENTUM.

§. I. Poſteaquam Eccleſia per pacem & libertatem ei conceſſam ſub Conſtantino M. paullulum firmata videbatur, nova mox certamina ſubeunda habuit, præcipue cum Arianis, qui in magnas anguſtias Eccleſiam deduxerunt, præcipue cum illi faventes ſibi identidem complures Imperatores Chriſtianos haberent, quorum favore ſecuri, uti & numero in immenſum brevi tempore aucti impune orthodoxis inſultabant.

§. II. Speciatim a *ſecuris* ſub brachio carnali Eccleſiaſticis multos ſannos & illuſiones pertulerunt. Huc pertinet, quod apud Epiphanium Hæreſ. LXIX: quærunt: *Quid eſt, quod dicimus? Eadem fides cum veſtra, niſi quod vanam ſectantes gloriam cedere recuſatis.* Huc referri poſſunt Synodi & Conciliabula ab Arianis habita Tyri A. 335. Arimini A. 359. ubi formula fidei Nicænæ adverſa, in qua vox ὁμοούσιος excludebatur, eſt cuſa, Mediolani A. 355. ubi Athanaſius damnatus &c. Et ſingulare eſt, quod THEODORETUS refert lib. II. c. 24. *Clerum plures habuiſſe heretica pravitatis participes, ſed tamen maxima pars populi veram doctrinam ſequebatur.*

§. III. Tres præcipue gradus hic licet diſtinguere. Primus ante

ante Julianum Apoſtatam figi poteſt. Non ſolum enim Conſtantinus M. occulte favoris in Arianiſmum ſuſpectus fuit, ſed etiam Conſtantius aperte eundem promovit, ſub quo Athanaſius ejuſque aſſeclæ magnis contumeliis ſunt affecti, & ipſe cum Liberio, Hilario, Lucifero Calaritano, aliisque multis Catholicis in exilium actus, quæ omnia licet abſque nece & fuſo ſanguine acta, inconſtantiam tamen multorum in fide abunde manifeſtarunt, eo uſque, ut & Liberius Epiſcopus Romanus in Synodo Syrmienſi, & ipſe Hoſius Cordubenſis Epiſcopus jam fere centenarius, poſt tot ex perſecutione Maximini ſtigmata & contra Arianos conflictus formulæ Arianorum ſubſcriberent. Alter gradus *ſecurorum ſubſannationem* comprehendens ad ipſa Juliani Apoſtatæ tempora referri poteſt, qui inter fraudes, per quas Chriſtianam religionem ſupprimere tentavit, hanc quoque exercuit, ut Arianis patrocinaretur, ſummotos ab Eccleſia recipi juberet, Aetium Eunomianæ familiæ Principem ſuæ ſedi reſtitueret, quo favore *ſecuri*, cum minime omnium res Eccleſiæ tranquillæ eſſent, fidelibus inſultabant hæterodoxi. Tertius gradus *contumeliam ſuperborum* comprehendens fuit perſecutio *Valentis* Imperatoris, qui impulſu præcipue Eudoxii Epiſcopi Cplitani Ariani orthodoxis admodum gravis fuit. Unde apud THEODORETUM lib. IV. c. 20. Magnus Satrapa Valentis talem orationem habet: *Obſequimini, o miſeri, Arianorum dogmati, certo perſuaſi, quod ſi obſecundetis, ſitis a Regibus habituri opes, facultates & honores. Renuentes vero carceres, tortura, carnificina, verbera, flagella vos manent, pecuniis, omnibuſque poſſeſſionibus orbati, patria pulſi, ad loca inhoſpita condemnabimini.* Eo uſque progreſſus eſt, ut neque a cædibus abſtinuerit. Ubi iſtud maxime horrendum, quod LXXXI. Eccleſiaſticos Viros de injuria Arianorum queſtos navi imponi & comburi fecerit.

§. IV. Quanta fuerit illa Eccleſiæ anguſtia ex univerſalitate ſeductionis conſtat, eo uſque, ut *hæreſis Arii totum orbem invecto errore turbaverit*, teſtante Sulpitio Severo lib. II. Unde Hieronymus adv. Luciferian. *Tunc* ait, (Valentis nempe tempore)

Uſiæ nomen abolitum, tunc Nicenæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Periclitabatur navicula Apoſtolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam ſupererat ſpei.

§. V. Quo magis Eccleſia his tempeſtatibus exercebatur, eo magis ad illum refugium habebat, qui in coelis ſedet, & ſigillatim ad Filium Dei ad dextram Patris ſedentem, cujus divinus honor ab his hæreticis eorumque patronis proſcindebatur. Hinc apud Theodoretum in l. cit. illi, quos Magnus alloquebatur, reſpondebant: *Deſine tandem, deſine his nos terrere verbis: cohibe te a proferendis verbis inanibus. Nam neque novitium nos neque recentem colimus Deum.* Neque fruſtraneum fuit Eccleſiæ ad Deum refugium, Valente tandem non ſine veſtigiis iræ divinæ ſublato, in prælio quodam contra Gothos, quos ipſe miſſis ad eos Epiſcopis hæreticis Arianiſmo infecerat. Sagitta enim vulneratus in vicinum tugurium ſe recepit, quo ab hoſtibus incenſo miſere conflagravit. Poſt ejus autem obitum Eccleſia ſub Gratiano & Theodoſio Magno ad aliquod tempus halcyoniis gaviſa eſt.

USUS.

§. I. Exemplum hic proponitur omnibus veris Eccleſiæ membris, quomodo ſe gerere debeant, quando nomen Dei ab aliis blaſphematur, fides eorum illuditur, & ſigillatim quando tales errores & hæreſes ingraveſcunt, quibus honor Dei obſcuratur. In talibus enim caſibus fas eſt 1. ut anima eorum medullitus propterea indoleſcat. 2. ut nullis hoſtium veritatis illuſionibus & ſubſannationibus ſuccumbat, tanquam opprobrium Chriſti cum Moſe omnibus theſauris Ægypti præferens. 3. ut unice refugium habeat ad Deum & Servatorem ſuum, qui ſuum honorem ipſe vindicabit, idque cum illa dependentia, humilitate, patientia, conſtantia, quam teſtificatio Pſaltis deſcribit.

§. II. Notandi etiam ab altera parte characteres eorum, qui a veritate ad mendacia deficiunt, qui ſunt *ſecuritas carnalis & ſuperbia.*

ANALYSIS Pſalmi CXXIV.

שיר המעלות לדוד לולי יהוה שהיה לנו יאמר-נא ישראל:	1. *Carmen graduum Davidis. Abſque Domino, qui fuit noſter (dicat Iſraël)*
לולי יהוה שהיה לנו בקום עלינו אדם:	2. *Abſque Domino, qui fuit noſter, quum ſurgerent adverſum nos homines:*
אזי חיים בלעונו בחרות אפם בנו:	3. *Tum vivos abſorpſiſſent nos, effereſcente ira ipſorum in nos.*
אזי המים שטפונו נחלה עבר על-נפשנו:	4. *Tunc aquæ inundaſſent nos, torrens tranſiviſſet per animam noſtram.*
אזי עבר על-נפשנו-המים הזידונים:	5. *Tunc tranſiviſſet ſuper animam noſtram aqua, protervi* ſcilicet.
ברוך יהוה שלא נתננו טרף לשניהם:	6. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos prædam dentibus ipſorum.*
נפשנו כצפור נמלטה מפח יוקשים הפח נשבר ואנחנו נמלטנו:	7. *Anima noſtra ut aviculæ evaſit è laqueo aucupum: laqueus ruptus eſt, & nos evaſimus.*
עזרנו בשם יהוה עשה שמים וארץ:	8. *Auxilium noſtrum in nomine Domini factoris cœli & terræ.*

Quia

§. I.

QUia Pſalmus hic Davidi tanquam authori adſcribitur, hinc nonnulli in ejus vita anſam hujus Pſalmi quæſiverunt. Quidam adeoque compoſitum putant poſt victos Philiſtæos 2 Sam. V: 17. ſq. 1 Paral. XIV: 9. alii poſt Ammonitarum cladem 2 Sam. X. & XI. & 1 Paral. XIX. & XX. Verum emblemata in hoc Pſalmo occurrentia magis emphatica ſunt, quam ut ad hos ſpeciales caſus reſtringantur, & præterea Davidem non in propria perſona, ſed totius Eccleſiæ nomine loqui patet ex numero plurali, quem adhibet.

§. II. Iſtud liquet, occurrere in hoc Pſalmo lætam nominis Jehovæ celebrationem propter ſingularem liberationem ex magno periculo, in quo per multitudinem ac violentiam hoſtium externorum Eccleſiam quaſi inundantium erat poſita.

§. III. Agi autem ſpeciatim de aliqua liberatione Eccleſiæ N. T. colligimus tum ex nexu hujus Pſalmi cum reliquis Canticis Graduum, tum ex eo, quod implementum tale Eccleſiæ periculum præciſe conjunctum fuiſſe cum afflictione in præcedenti Pſalmo deſcripta indicabit.

§. IV. Artificium Pſalmi ita ſe habet, ut unus tantum loquens introducatur, totumque Iſraëlem ad gratitudinem Deo pro præſtito beneficio ferendam exhortans, idque ita ut ſimul verba Iſraëli præſcribat commoda, quibus uti queat.

Bipartitus adeoque eſt hic Pſalmus.

I. Exhortatio ad laudem Deo Redemtori ferendam vers. 1. p. poſt. *Dicat nunc Iſraël.*

II. Præſcriptio formulæ, qua Iſraël in hac occaſione uti debebat vers. 1-8. In illa

A. Deſcribitur magnitudo periculi, ex quo Dominus Iſraëlem eripuit vers. 1-5. Diſtingui hic poteſt

1. Quid in ſummo periculo perniciem extremam averterit. vs. 1. p. pr. vs. 2. p. pr. *Abſque Jehova qui fuit noſter, abſque Jehova, qui fuit noſter.*

Qua-

2. Quanam in re periculum iſtud proprie conſtiterit vs. 2. p. poſt. *Cum inſurgeret contra nos homo.*

3. Quantum iſtud periculum fuerit vs. 3-5. Id quod
   a. Generatim & verbis magis propriis deſcribitur vs. 3. *Tum vivos deglutiviſſent nos, cum exardeſceret ira eorum in nos.*
   b. Speciatim per recenſionem diverſorum graduum metaphoricam exaggeratur vs. 4. 5.
      α. Primus gradus vs. 4. p. pr. *tunc aquà inundaſſent nos.*
      β. Secundus gradus vs. 4. p. poſt. *Torrens tranſiviſſet ſuper animam noſtram.*
      γ. Tertius gradus vs. 5. *Tunc tranſiviſſent ſuper animam noſtram aqua illa ſuperba.*

B. Celebratio Dei propter auxilium in tanto periculo præſtitum vs. 6-8. Hic
   1. Laus Redemtori fertur vs. 6. 7. Diſtingue hic
      a. Officium laudis præſcriptum: vs. 6. p. pr. *Benedictus Jehova.*
      b. Materiam ſeu argumentum laudis additum vs. 6. p. poſt. & vs. 7. Illa comprehendit
         α. Conſervationem a malo vs. 6. p. poſt. *Qui non dedit nos prædam dentibus ipſorum.*
         β. Plenam ex eo liberationem vs. 7. Hic iterum notètur
            א. Liberatio ipſa vs. 7. p. pr. *Anima noſtra, ut avis, evàſit e laqueo aucupum.*
            ב. Modus liberationis vs. 7. p. pr. *Laqueus fractus eſt, & nos liberati ſumus.*
   2. Fides in eum ex hac omniſufficientiæ ejus experientia corroboratur vs. 8. *Auxilium noſtrum in nomine Jehova, qui fecit coelos & terram.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS. 1.

Abſque Jehova, qui fuit noſter) De nomine Jehova ad Pſ. CXX: 1. Emphatice Eccleſia eum appellat ſuum. Præfixum ל in tali conſtructione verti poteſt aut *cum*, aut *pro*, & conſtanter denotat *auxilium* ac *defenſionem* contra hoſtes, qui imminent Joſ. VII: 13. Pſalm. XLVI: 8. 12. LVI: 10. CXVIII: 6. aut contra quaſcunque alias difficultates Gen. XXXI: 42. idque ex Zelo amoris Num. XXV: 13. Fideles ergo Jehovam *ſuum* appellant, quia ad communionem cum eo per fidem adducti, eum propinquum ſibi ſentiunt, atque ejus veracitatem, fidelitatem, nec non magnitudinem amoris ejus in maximis periculis per defenſionem & auxilium experti erant. Numerus pluralis pertinet ad deſignandam communionem ſanctorum, cum uno Domino & capite. Vox לולי *abſque* aut *niſi* hic eſt excluſiva omnis auxilii carnalis, quod vanum eſſe declaratur, atque ita gloria totius ereptionis ſoli in ſolidum Deo tribuitur.

Dicat nunc Iſraël) Iſraël hic ſumendum, ut Pſ. CXXI: 4. pro Eccleſia, quæ ſpirituale Jacobi ſemen eſt. Ille, qui Iſraëlem alloquitur & excitat, eſt Spiritus Sanctus, quo inſtigante non ſolum preces funduntur, ſed etiam gratiæ aguntur Epheſ. V: 18-20. Pſ. XLV: 2. Vocula נא hic verti poteſt 1. *omnino*, quia nihil æquius eſt, quam ut beneficia Dei grato animo agnoſcantur ac prædicentur Pſ. XCII: 2. 2. *nunc*, quia beneficio præſtito illico ſubjungenda eſt Dei celebratio.

VERSUS. 2.

Abſque Jehova, qui fuit noſter) Repetitio hæc per epizeuxin non ſolum exprimit affectus vehementiam in iis, qui impenſe lætabantur de ereptionis miraculoſæ beneficio, quique ardebant

ſancto

Digitized by Google

ſancto deſiderio ad grates eapropter Deo ferendos, ſed etiam pluralitatem tum periculorum, in quibus præſentem Jehovæ opem experti erant, tum ſubjectorum, quæ in laude Jehovæ ſe conſociare, atque identidem Dei fidelitatem ac potentiam agnoſcere debebant. Adde conſtantiam in celebrando Jehova. Nec enim in una hac confeſſione ſubſiſtendum, ſed illa identidem repetenda, ne ita unquam tanti beneficii memoria pereat.

Cum homo) Collectivum hoc eſſe probant ſequentia verba pluralia vs. 3. 4. Indigitatur hac ratione per emphaſin intelligi homines Jehovæ oppoſitos, carnales, inimicitia contra illum actos, uti Pſ. XVII: 4. XXII: 7. LVI: 12. XENOPHON *Cyroped.* l. 5. Το γαρ αμπλακειν ανθρωπους οντας ουδεν οιμαι θαυμαστον. Confer BARTHIUM Adverſ. XXXII: 3. & Commentatores ad Petron. c. LXXV.

Inſurgent contra nos) Phraſis hæc Scripturæ propria, eſt ad deſignandum hoſtilem impetum eorum, qui cum antea quieti ſederent, vehementi ira concitati in pedes ſe erigunt cum ſingulari elatione & violentia, ut in alios irruant, eoſque proſternant. Jud. IX: 18. Pſ. III: 2. LIV: 5. Deſignatur ergo tranquillos illos & ſuperbos, de quibus in fine præcedentis Pſalmi, ab irriſione & contumelia ad violentam invaſionem & oppreſſionem progreſſos eſſe.

VERSUS. 3.

Tum vivos deglutiviſſent nos) Occurrit hic vocula אזי cum י paragogico, cujus aliud exemplum non occurrit, unde Interpretes id emphaſin augere cenſent, quaſi diceretur: *Tunc omnino.* Phraſis *deglutiendi* aliquem *vivum* uſurpatur de hoſtibus maxime formidabilibus Prov. I: 12. Thren. II: 16. Hoſ. VIII: 8. Duplex hic locum habere poteſt alluſio. Aut enim reſpicitur ad immanes & carnivoras belluas, Crocodilos Jer. LI: 34. Dracones Apoc. XII: 4. Cete Jon. II: 1. aut ad mare, quod abſorbere dicitur illos, quos ſuffocat Exod. XV: 12. Pſ.

 LXIX:

LXIX: 16. Cum priori metaphora colludit illud XENOPHONTIS de exped. Cyri lib. 4. Ubi Xenophon milites ad pugnam acuens ait: τȣτȣς ην πως δυνωμεθα και ωμȣς δει καταφαγειν. *Eos nobis, ſi quomodo poſſimus, vel crudos devorandos arbit. or.* Idem. Hiſt. Græc. lib. III. ſummum odium expreſſurus ait ȣδενα δυνασθαι κρυπτειν το μη ȣχ ηδεως αν και ωμων εσθιειν αυτων: *neminem celare poſſe, quam cupide vel crudos ſint devoraturi.* Poſteriorem metaphoram nexus noſter videtur requirere, cum ſtatim de aquarum impetu ſermo ſit. Sed utrumque apte conjungi poteſt, ſi hic ſpeciatim de monſtris marinis, crocodilis, lamiis & ſimilibus cogitemus. Ea enim Scriptura ſæpius adhibet, ut pingat crudeles tyrannos & oppreſſores Jeſ. XXVII: 1. Ezech. XXIX: 3. Pſ. LXVIII: 31. &c. Id apud ARISTOPHANEM Veſpis v. 35. in ſomnio figurabat φαλαινα πανδοκευτρια *Priſtis omnirapa.* In nummis quibuſdam id obtinere ex TRISTANO conſtat Comm. Hiſt. T. I. p. 383. Putem igitur hic exhiberi Principes in mari colluviei populorum multorum contra Eccleſiam ſuſcitatos. Sic exprimitur 1. hoſtium feritas, qui in comparatione cum piis ſunt inſtar truculentarum belluarum in reſpectu ad inermes & innocuos, qui naufragium facientes, aut in litore conſtituti, vivi ſolent deglutiri, quam primum in earum poteſtatem veniunt. 2. Periculi magnitudo, quod tantum erat, ut totalem Eccleſiæ exciſionem videretur exſpectandam eſſe. Qui enim vivi dilaniantur, eorum ne veſtigia quidem ſuperſunt.

Cum exardeſceret ira eorum in nos) אַף *naſus* etiam iram apud Hebræos apte deſignat, quia naſus ejus indicandæ organum eſt, præcipue apud belluas marinas. Unde de Leviathane Job. XLI: 11. *E naribus ejus prodit fumus, ut aheni ferventis & cortina.* Confer BOCHARTUM.

Iræ huic abſcribitur *Exardeſcentia.* Phraſin vide 2 Sam. XXIV: 1. Pſ. CVI: 40. Nihil communius in ſacris & profanis, quam vehementem iram *igni* comparare, quia illa ad perniciem & conſumtionem objecti ſui tendit. Impiorum affectus naturæ pravæ impetum ſequentes ultra omnem modum paſſim pro-

procedunt Jeſ. LVII: 24. Ira autem hæc *exardeſcit*, quando per objectum exoſum incitatur. Nihil magis exoſum eſt hoſtibus veritatis, quam quod ſuperſint pii, quorum verbis factiſque redarguuntur. Hi ſunt objectum ardentis iræ eorum, uti ad. Pſ. CXX: 4. exemplum in Judæis vidimus. Et quo minus eos ſupprimere poſſunt, eo magis exardeſcunt. Exemplum ſit in Nebucadnezare Dan. II: 12. III: 13. 19. Præcipue hic conferri velim Apoc. XII: 12. 15. ubi Diabolus tanquam *Draco excandeſcentia magna plenus* introducitur, qui poſt myſticam Chriſti in gentibus converſis generationem *ejecit ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret rapi a flumine.*

VERSUS. 4.

Tunc aqua) Aquæ in ſacris ſymbolum ſunt populorum magna hominum colluvie conſtantium atque inimicorum Pſ. XVIII: 17, 18. LXVI: 12. XCIII: 4. Jeſ. XVII: 12, 13. Sic ipſe Spiritus S. hoc emblema interpretatur Apoc. XVII: 15. *Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt & turba & gentes & linguæ.* Ut enim magna maris & confluxus aquarum eſt vaſtitas & amplitudo; magni, faciles & vehementiores motus: idemque niſi repagulis quibuſdam coërceatur, vicinos ſibi agros inundat ac vaſtat, ita ampliſſima in orbe regna, populique fortiſſimi Eccleſiæ ſolent imminere.

Inundaſſent nos) Id eſt, actum de nobis fuiſſet, uti fieri ſolet in aquarum irruptionibus, quæ obvia omnia abripiunt, adeo ut nullus evadendi locus ſit. Sic de magnis oppreſſionibus Scriptura loquitur Jeſ. VIII: 8. XLIII: 2. &c.

Torrens) Perperam Græci & Vulgata, ejuſque patroni hoc inciſum reddunt: *Torrentem tranſivit anima noſtra*, neglecta poſt ſequens verbum præpoſitione. Juxta DRUSIUM נחל *fere eſt fluvius temporarius, non e fonte ſed e pluvia naſcens, æſtate ſiccus, hyeme magno impetu fluens.* In ſacris hoc eſt emblema irruentis hoſtis validiſſimi & crudeliſſimi Pſ. XVIII: 5. Jeſ.

VIII: 7. LIX: 19. Apoc. XII: 15. HOMERUS Iliad. λ. v. 492. ſq.

> Ὡς δ' ὁπότε πλήθων πόταμος πεδίον δὲ κάτεισι,
> χειμάρρους κατ' ὀρεσφιν κ. τ. λ.

Ut vero, cum inundans flumen in campum, decurrit Torrens de montibus urgente Jovis imbre, Multas vero quercus aridas, multaſque larices in ſe rapit, multumque limum in mare projicit: Sic inſequebatur turbans per campum tunc illuſtris Ajax, Concidens equoſque & viros. Denotatur igitur hoſtis 1. violentus: 2. cum magno ſtrepitu irruens atque omnia obvia proſternens: 3. impuritatis: 4. durationis non admodum magnæ, ut torrens per terram mox abſorbendus, quæ phraſis Apoc. XII. de eodem hoſte Eccleſiæ uſurpatur, ad quem hic collimari cenſemus.

Tranſiiſſet ſuper animam noſtram) Si animam hic improprie pro vita ſumis, ſummum periclum mortis temporalis & excidii innuitur; ſi proprie, tum innuitur, quod ipſa animæ ſalus in diſcrimen adducta, fideique naufragium imminuerit.

VERSUS. 5.

Tunc. tranſiviſſent ſuper animam noſtram aquæ illæ ſuperbæ) Exaggeratur hic periculum per deſcriptionem qualitatis hoſtium. Sed & commode aliæ afflictionum prioribus, concatenato impetu ſuccedentium aquæ intelliguntur, ſicut in magna eluvie unda undam fluctus fluctum trudit. Similis allegoria occurrit Pſalm. XLII: 8. Pſ. XCIII: 3. 4. Enallage numeri eſt in verbo עבר conſtructo cum מים, quæ diſtributionem ſolet indicare, ita ut indicetur, cum diverſæ aquarum moles alia alii ſuccederet, ſingulas ſine auxilio Dei exitium allaturas fuiſſe, non ſolum propter earum vim, ſed etiam propter imbecillitatem fidelium, quibus in ſe ſpectatis nullum robur aderat ad

ad reſiſtendum tot tantiſque hoſtibus 2 Chron. XX: 12. Ita pii ſe ipſos extenuant & abjiciunt, ut omnis laus conſervationis ſuæ in ſolidum ad Deum redeat.

Superba) Sic fluctibus maris גאון *ſuperbia* adſcribitur Job. XXXVIII: 11. Et Pſ. LXXXIX: 10. dicitur: *tu dominaris in ſuperbia maris*. Hoc deſignat aquas tumentes vento, quæ fluctus ad ſidera tollunt, uti fit in maximis tempeſtatibus. Deſignantur ergo hoſtes ſucceſſu multo elati, animis feroces, ſumma imis in mundo miſcentes, & ſuper maxima regna imminentes.

Dum autem pii conditionate loquuntur, quod tantis periculis ſubruti fuiſſent, niſi Jehova ipſis adfuiſſet, ſimul indicant, quanta fuerit fidelitas ac potentia Jehovæ, quæ in tam præſenti morte eos tamen conſervaverat, atque ex ea valida manu eripuerat. Ita ſimiles fuerant domui in petra ædificatæ, contra quam aquæ in vanum inſurgunt Matth. VII: 25.

VERSUS. 6.

Benedictus Jehova) Hæc formula in celebrationibus divinis valde eſt uſitata Gen. IX: 26. XIV: 20. Pſ. XVIII: 47. XXVIII: 6. CVI: 48. Zach. XI: 5. &c. per ſe patet modo longe excellentiori Deum dici ברוך, quam homines. Deus enim eſt *benedictus*, quatenus eſt omnis benedictionis fons, creaturæ, quatenus illæ ex hoc fonte participantur. Sigillatim ברוך reſpondet voci εὐλογητὸς Luc I: 68. Epheſ. I: 3. Adeoque deſignat, Deum cum propter excellentiſſimas perfectiones ac virtutes ſuas, tum propter maxima ſua opera, & eximia, quibus immerentes inundat, beneficia, omni laude, gratiarum actione ac cultu dignum eſſe, eique eum in finem genua eſſe flectenda. Frequentiſſime ברוך conſtruitur cum יהוה, quia hoc nomen divinum ſignate in compendio exhibet illas perfectiones, illamque in foedere gratiæ ad peccatorem relationem, cujus cauſſa a fidelibus potiſſimum celebrari vult. Coeterum phraſis eſt elliptica, unde ſuppleri poteſt vel *Jehova eſt benedictus*, vel *Jehova ſit benedictus*. Prius declarat, Jehovam gloriam ſuam manifeſtaſſe

Digitized by Google

ſtaſſe & propterea in Eccleſia militante ac triumphante celebrari. Poſterius eſt ad excitandum alios, ut gloriam Jehovæ in operibus ejus agnoſcant, ac propterea omni virium intenſione nomen ejus celebrare ore ac opere ſtudeant.

Qui non dedit nos) ſeu potius *tradidit*. Confer Pſ. CXXI: 3.

Prædam dentibus ipſorum) Qui antea ob furorem ſuum collati erant abſorbenti omnia abyſſo, hic belluis diſcerpentibus prædam conferuntur. Ad belluas marinas, quales ſunt crocodili, potiſſimum hic poſſe reſpici monuimus. Nulla bellua magis dentibus prævalet. Naturalis hiſtoriæ ſcrutatores ſcribunt Crocodilum ſexaginta numero dentes, eoſque majores habere, quam pro ratione corporis; & in illis quoſdam exertos, alios ſerratos & pectinatim cöeuntes, morſum tenaciſſimum, atque ita pernicioſum, ut non curetur aliter, quam morſus validi canis. Adi BOCHARTUM Hieroz. Part. II. Lib. V. c. 16. Quare *dentes* hoſtium Eccleſiæ deſignant quæcunque crudelitatis eorum inſtrumenta, eorumque robur & immanitatem. Pſ. LVII: 5. LVIII: 7. Sed & poteſt ita exprimi ſumma eorum cupiditas ad deglutiendum. Belluæ enim prædæ inhiantes nudare dentes, iiſque frendere ſolent, quod ad iratos ac nocendi cupidos transfertur Pſ. XXXV: 16. XXXVII: 12. Quicquid feræ dentibus apprehendunt, ipſis in *prædam* cedit. Deus autem ſæpius *tradere* dicitur in *prædam* peccatores & quidem ſigillatim externum populum ſuum 2 Reg. XXI: 14. Eſr. IX: 7. Neh. IV: 4. &c. quando ipſe per ſingularem providentiam ſecundum conſilium ſuum tyrannis tanquam *flagellis* utitur, quibus tales puniuntur Jeſ. X: 6. de Aſſyrio: ***In gentem hypocritam immittam ipſum, & contra populum, in quem excandui, dabo mandata ipſi, ut prædetur prædam, & ut diripiat rapinam, denique ut diſponat illum conculcationi, tanquam lutum platearum.*** Id illis, qui hic loquuntur, non evenerat, quia illi verum Iſraëlem conſtituebant.

Hæc materia erat *benedictionis Jehovæ*, qui celebrandus tum propter clementiam, qua illis peccata ſua condonaverat, quibus tale judicium ipſi commeruerant, tum propter potentiam, qua dentes hoſtium confregerat. VER-

Digitized by Google

VERSUS. 7.

Anima noſtra, ut avicula) ſeu mavis, *avis*. Nam BOCHARTUS Hieroz. p. II. Lib. I. c. 21. 22. probavit, licet aliquando צפור *paſſeres*, aut *aviculas* minores deſignet, plerumque tamen generatim pro quibuſcunque avibus poni. Et licet in noſtro loco *per paſſerem* vertant οἱ LXX. Vulgata, Arabs, Apollinaris, magis tamen probat verſionem Hieronymi, *quaſi avis*, hoc utens argumento, quia paſſeres & ſimiles aviculæ viſco, potius, quam laqueo capiuntur. Quod docet Baal Aruch ad vocem שרשף, qua ſignificatur *pertica viſco illita ad aviculas capiendas*. Addi poteſt, quod majoribus avibus aucupandis opera libentius inſumitur, & majore cum fructu. Neque enim hæc omni exceptione majora ſunt. Nam & *laqueum* minoribus avibus adhiberi certum eſt, & aviculæ ſymbolum hic aptius eſt, ad imbecillitatem populi Dei exprimendam. Non igitur abſonum eſſet, de aviculis, quales ſunt paſſeres, ſigillatim cogitare, præcipue cum paſſerum multæ ſint ſpecies. Kimchius הוא רב המין לפיכך כלל כל עוף בזה השם : ספר שרשים *Paſſeris multa ſunt ſpecies: unde eſt, quod hoc nomen ad omnes aves refertur*. Arabes ſub hoc nomine comprehendunt corydalos, philomelas, alaudas &c. Pii ſane ſæpius ſolent avibus conferri Pſ. XI: 1. LXXXIV: 4. CII: 7. Et aptiſſimum eſt emblema non ſolum generatim, quia nulli in terra loco affixi, quia ſupra terram evecti coeleſtia meditantur, quia ſingulare providentiæ divinæ objectum &c. Sed etiam ſpeciatim cum reſpectu ad noſtrum locum, quia frequentibus perſecutionibus machiniſque hoſtium multorum ſunt expoſiti Thren. III: 52. in relatione ad quas timiditate multa laborant, nullaſque reſiſtendi vires habent. Pſ. XI: 1. *Aves* enim pro imbellibus ponuntur. Sic Ὄρνιθες LYCOPHRONI v. 547. ſunt imbelles puellæ. Polyxena apud EURIPIDEM Hecub. Act. I.

-- οικων μ ως τ ορνιν
Θαμβει τωδ εξεπλαξας;

Tectis ceu volucrem pavore trepidantem me evolare cogis! Cui reſpondet Hecuba: Αι, αι, σας ψυχας. *Va, Va, anima tua!*

Evaſit e laqueo) פח inſtrumentum eſt avibus capiendis idoneum Prov. VII: 23. Eccl. IX: 14. non abſimile reti Hoſ. V: 1. Neque tantum ad majores ſed etiam ad minores adhibetur. Nam ut taceam *Pantheron* retis genus, ex eo nomen habens, quod omnes aves includat, certum etiam eſt ex OPPIANO & ex more hodierno, quod aves quædam minores per funiculos ramis certorum arborum annexos illaqueari ſoleant. Confer ALDROVANDUM ornithol. lib. XV. Aliud quoque retium genus avibus capiendis commune eſt id, quod *linea* appellatur, NEMESIANUS:

Linea quin etiam magnos circumdare ſatus
Quæ poſſit, volucresque metu concludere prædas
Digerat innexas non una ex alite pennas.

Confer MEURSIUM in Lycophron. v. 105. Symbolum *laquei* commune eſt, ut quaſcunque fraudes & inſidias, quibus ſub ſpecie oblati boni nocere aliis quærimus deſignent. Hinc inſidiantes hoſtes apud EURIPIDEM in Oreſte Act. IV. ajunt:

Στειχει γαρ εισπεσουσα δικτυων βροχους
Καλον το θηραμ, ην αλω, γενησεται

Opportune ſe nobis dat in plagarum laqueos: Egregia præda, ſi cepero, erit. Quare hic indigitatur, hoſtes Eccleſiæ non ſolum potentia feroces, ſed etiam inſidiarum inſignes ſtructores eſſe, ac ſæpe illic, ubi vis eorum torrenti aquarum comparata evanida

nida fuit reddita, doles nectere, per verba fallacia, & ſigillatim bonorum ac commodorum hujus mundi oblationem, quibus ac ſimilibus incauti ſæpe decipiantur.

Ex tali laqueo anima fidelium *evaſerat*. Hæc phraſis a multis ſumitur tanquam emblema martyrum, quorum licet corpus captum ſit laqueo venantium, anima tamen libera effugit. Sed loquuntur hic tales, qui in terra viventium ſuperſunt. Melius ergo ad ſcopum AUGUSTINUS: *Quare ſicut Paſſer? Quia anima incauta ceciderat, ſicut Paſſer: quomodo ſi videas avem jam cadere in muſcipulam, facit ſtrepitum, ut evolet de muſcipula. Sic & Martyrum jam forte aliqui tendebant collum in dulcedinem vitæ hujus. Sed Dominus, qui erat in illis, fecit ſtrepitum, ſcilicet oſtendens eis poenam gehennarum, quam mererentur: gloriam Dei, quam perderent, ſi ad eſcam delectationis vitæ præſentis intenderent. Et ſic iſto ſtrepitu ereptus eſt Paſſer a laqueo venantium.* Sed hoc tamen nondum ſufficit, quia tales hic loquuntur; qui non niſi rupto laqueo evaſerunt, quod ſupponit, illos actu jam laqueis fuiſſe conſtrictos, id eſt, illos jam aliquatenus propoſitis hoſtium blanditiis aurem præbuiſſe, & a via veritatis ex parte declinaſſe, ex quo ſummo animæ periculo tamen erepti erant.

Aucupum) In omni emphaſi Aucupis emblema de Diabolo uſurpari poteſt, cujus *laqueorum* mentio fit 1 Tim. III: 7. 2 Tim. II: 6. Aucupes ſunt ſymbolum ipſorum tyrannorum aliena deprædantium Pſ. XCI: 3. X: 9. Jeſ. X: 13. 14. Jerem. V: 26. Exemplum ejuſdem eſt apud LYCOPHRONEM Caſſandr. v. 104. 105. Plurale nomen *Aucupum* indicat diverſos tyrannos in conſilio de populo Dei illaqueando manus jungentes.

Laqueus fractus eſt) Fractio hæc ex nexu allegoriæ deſignat, quod doli hoſtium detecti atque eluſi fuerint Non dicit, quis fregerit. Non certe aviculæ viribus id tribuendum, ſed tum laquei ipſius infirmitati, tum ſigillatim auxilio Dei, cui propterea laus tribuitur. Dictio etiam eſt aliquantum abrupta

 re-

Digitized by Google

repræſentans aliquem, qui ſe ereptum videt, & ipſe neſcit quomodo; id tantum ſentit, laqueum fractum eſſe.

Et nos ſumus liberati) PLAUTUS Captivis Act. I. Scen. 2. v. 7.

Liber capteivos avis fera conſimilis eſt;
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt: nunquam poſt illam poſſis prendere.

Sane, qui hic loquuntur, non ſolum lætantur ſe hos laqueos evaſiſſe, ſed etiam ſalvos eſſe redditos. Nam το מלט paſſim cum ereptione contrariam ſalutem ac libertatem includit.

Hæc ampla erat benedictionis Dei materia. Hinc Pſ. LXVIII: 20. 21. *Benedictus Dominus audit, qui habet exitus contra ipſam mortem.* Atque ita expletur mandatum Pſ. CVII: 20. 21. datum illis quos *Jehova liberavit e foveis ipſorum, ut celebrent apud Jehovam benignitatem ejus & opera mirabilia ejus apud filios hominum.*

VERSUS 8.

Auxilium noſtrum in nomine Jehova,) Non repetimus hic notata ad Pſ. CXXI: 2. Duplex in repetitione hac differentia verbalis eſt. Primo, quod hic totus Iſraëlis coetus loquatur. Secundo, quod hic ſigillatim *nomen* Jehovæ pro fundamento fiduciæ habeatur. Si per *Jehova* hic intelligitur Deus triunus, tum præcipue per Nomen ejus intelliguntur perfectiones divinæ, & ſigillatim illæ, quas ipſum illud nomen Jehova complectitur, quales ſunt omniſufficientia, gratia ac veritas Dei, propter quæ facit, quicquid facit. Si autem per Jehova ſpeciatim cenſetur intelligendum eſſe *Filium Dei*, coeleſtem Joſuam ac Davidem, perpetuum eccleſiæ liberatorem, tum per Nomen hoc ejus perfecta juſtitia & per illam acquiſita gloria tanquam conſummati Redemtoris deſignatur. Joh. XIV: 13. Pſ.

Pſ. LXXII: 17. Jerem. XXIII: 6. Phil. II: 9. In hoc nomine Eccleſia quoad futurum auxilii ſpem fundat. Sic Pſ. XX: 6. *In nomine Jehovæ vexillis utemur*. Prov. XVIII: 10. *Arx robuſta nomen Jehovæ*. Videtur ergo coetus hic loquens ſentire, quod licet ex hoc laqueo ereptus, aliis tamen periculis ac malis adhuc implicitus ſit. Unde cum per experientiam agnoverat Redemtoris Creatoriſque ſui fidelitatem ac potentiam, quoad reliquas difficultates bono animo eſt, certus, quod Jehova *rupes ſit, cujus opus perfectum* eſt Deut. XXXII: 4.

IMPLEMENTUM.

§. I. Hoſtium tremendorum innumerabili copia atque inſatiabili crudelitate ſe tantum non oppreſſam Eccleſia ſenſit per Septentrionalium populorum in regnum Romanum irruptiones, totque exercituum, urbium, provinciarum ſtrages & excidia. Quæ afflictio non gravitate tantum ſed etiam duratione in *quartum* uſque *ſeculum* variaque rerum mutatione, qua una tempeſtate vix deſæviente ſtatim premebat altera, admodum notabilis fuit.

§. II. *Tres* ſigillatim illius diuturni judicii Dei *periodi* apte diſtingui poſſunt, quæ cum *triplici* inundatione, quam Pſaltes memorat, apte conferuntur. *Prima* eſt Gothorum & Vandalorum, qui ſub Honorio, illi Italiam & Galliam, hi Hiſpaniam atque Africam vaſtarunt, cædibuſque ac incendiis impleverunt. Secuta eſt *altera* Hunnorum, duce Attila, qui primo Galliam, & cum repellerentur, reparatis viribus Italiam partim vaſtavit, partim terroribus implevit. In hoc Attila inſtar ſingulare torrentis eſt, quia furor ejus, licet ſatis magnus, in quo ſeipſum quoque auſus eſt nominare *Pavorem orbis* & *Flagellum Dei*, brevi deferbuit. Sed licet hic torrens exſiccaretur, novi ſemper fluctus a Vandalis movebantur, donec his ut a Narſete devictis *tertia* inundatio ſeculo ſexto accederet, Longobardorum ſcilicet, qui duce Alboino ex Pannonia in Italiam irruperunt, totumque occidenten ſucceſſive Imperatoribus Græcis eripuerunt.

Digitized by Google

§. III. Ut autem pateſcat, quod hæ mutationes regnorum ad Eccleſiam pertinuerint, notandum eſt has gentes barbaras Chriſto quidem externe nomen dediſſe, verum Arianiſmi veneno fuiſſe infectas & ex illo fundamento in Eccleſiam multas diras moviſſe perſecutiones. Sic *Genſericus* Vandalorum primus in Africa Rex Arianiſmum fovit & in Catholicos ferro & flamma per annos 37 ſævit, iiſdemque veſtigiis filius ejus *Hunerichus* in Africa & frater *Gundericus* in Hiſpania inſtitere, cujus perſecutionis lectu dignam deſcriptionem reliquit VICTOR UTICENSIS *de perſecutione Vandalica.* Maxima ibi martyrum occurrit multitudo horrendis ſuppliciis peremtorum, cujus crudelitatis fax memoratur fuiſſe Arianorum Epiſcoporum invidia, inter quos nominatur quidam Cyrillus, qui Hunnericho ſuaſit, *non poſſe eum pacatum & longævum obtinere regnum, niſi nomen perderet innocentium.*

§. IV. Quod Hunnos attinet, horum numeroſus exercitus, qui ad ſeptingenta millia capitum extenditur, ex multorum populorum tum Arianorum tum gentilium, quos dicto audientes Attila habuit, Marcomannorum, Quadorum, Herulorum, Oſtrogothorum colluvie conſtabat, qui Chriſtianis interitum moliebantur.

§. V. Longobardorum invaſio ab A. 578 ultra ducentos annos protracta propter gentis immanem barbariem Eccleſiæ graviſſima fuit. PAULUS ſane DIACONUS lib. II. de geſtis Longobardorum c. 32. teſtis eſt; *Per eorum Duces, ſpoliatis Eccleſiis, ſacerdotibus interfectis, civitatibus ſubrutis, populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis, Italia maxima ex parte capta Longobardis ſubjugata eſt.* Cum autem melior populi Dei pars hactenus in Eccleſia occidentali ſupereſſet, fata, quæ illius externam pacem ac ſecuritatem peſſumdabant, ipſam ſanctorum catervam e terra ſublatura penitus videbantur. Accedit, quod Longobardis Italiam ſubjungentibus, Galliamque invaſionibus ſuis vexantibus, Weſtgothorum, id eſt, Vandalorum in Hiſpania Reges novas tempeſtates in orthodoxos excitarent. Quos inter Lewigildus, ut erat Arianæ hæreſi immerſus, tempore Theodorici

Cæ-

Digitized by Google

Cæſaris Catholicos crudeliter perſecutus eſt, adeo, ut filium etiam Herminigildum, ſuaſu uxoris catholicam religionem amplexum vita privaverit, cujus perſecutionis hiſtoria eſt apud GREG. TURONENSEM Hiſt. Franc. V. 31. Accedit, quod hæc Longobardorum vaſtatio januam aperuerit Saracenis.

§. VI. In omnibus his periculis Deus nunquam deſtituit Eccleſiam ſuam, ſed identidem eam liberavit 1. per horrenda judicia, quibus in perſecutores animadvertit, eoſque in medio victoriarum ac crudelitatum curſu ſuſtulit. 2. per ipſarum illarum gentium, quæ confeſſores veritates erant perſecutæ, converſionem. Sic circa finem ſeculi ſexti non ſolum in Hiſpania Reccaredus Rex ab Ariana hæreſi ad fidem Chriſti converſus Arianiſmum in publico Toletano Concilio profligavit, ſed etiam Agilulphus, Longobardorum Rex, per Theodolindam ab Arianiſmo ad catholicam fidem eſt adductus. 3. per confirmatum contra hos omnes Europæ depopulationes Francorum Regnum, quod abhinc muri inſtar fuit, vim tot barbarorum hoſtium frangentis, præcipue cum ex eorum ſtirpe exſurgeret Princeps, licet nævis ſuis non deſtitutus, pius tamen, & pro ſuo captu ac virili Eccleſiæ res promovens, novamque ei in terris ſecuritatem procurans, CAROLUS MAGNUS Quamvis enim Romanæ authoritati nimium præbuerit fulcrum, nihilominus magnum inſtrumentum Dei fuit, per quod non ſolum Longobardorum regnum ſublatum, Hunnique & alii populi barbari devicti, atque a Saracenorum imminente jugo illa loca, quæ Eccleſiæ hoſpitium in occidente præbebant, ſunt conſervata, ſed etiam gentibus Septentrionalibus lux veritatis eſt orta, Epiſcopatus inter illas optimo conſilio fundati, Scholæ & Academiæ ad reſtaurandum literarum per barbaros plane oppreſſarum cultum erectæ. Præſertim cum idem Carolus corruptioni, quæ in doctrinam Chriſtianam irruere incipiebat, obicem poneret, Scripturam pro unico controverſiarum judice agnoſceret, imaginum cultui obicem poneret, &c.

USUS.

Digitized by Google

USUS.

§. I. Primo hic Pſalmus ſpectat ad ſolamen fidelium, qui ſub maximis afflictionibus ſunt conſtituti, ne unquam animum deſpondeant, quia nullæ aquæ ſunt, quæ propoſitum gratiæ eluere poſſunt.

§. II. Ut vero hoc ſolamen firmo fundamento nitatur, inquirendum, an Jehova factus ſit noſter? Et qui de eo poſſunt perſuaſi eſſe, illi de ſua imbecillitate convicti ad Jehovam ſolum confugere debent.

§. III. Externæ Eccleſiæ afflictiones picturæ ſunt internarum tentationum, in quibus eodem modo ſe habent; Dracone & Aucupe infernali, qui omnes tyrannos agit, aliquando magis immediate illis imminente. Eadem igitur ratione hic ſe gerere debent.

§. IV. Notanda etiam ſunt officia eorum, qui ex periculis magnis mirandum in modum erepti ſunt. Illis incumbit. 1. ſoli fidelitati ac potentiæ Jehovæ in ſolidum laudes referre: 2. ei benedicere: 3. libertate, in quam vindicati ſunt, ad ſervitium Redemtoris uti: 4. per experientiam in fide quoad futuras difficultates & ſigillatim mortem ipſam magis firmari.

ANALYSIS Pſalmi CXXV.

שיר, המעלות הבטחים ביהוה כהר-ציון לא-ימוט לעלם ישב׃	1.	*Carmen graduum. Qui confidunt Domino*, ſunt *ut mons Tſyon*, qui *non commovetur*, *in ſeculum habitatur*.

2. *Hie-*

ירושלם הרים סביב לה ויהוה סביב לעמו מעתה ועד- עולם:	2. *Hieroſolyma! Montes ſunt circa illam: ſed Dominus eſt circa populum ſuum a nunc uſque in ſeculum.*
כי לא ינוח שבט הרשע על גורל הצדקים למען לא-ישלחו הצדיקים בעולתה דיהם:	3. *Nam non quieſcet ſceptrum improbitatis ſuper ſorte juſtorum, ne porrigant juſti ad injuſtitiam manus ſuas.*
הטיבה יהוה לטובים ולישרים כלבותם:	4. *Benefac, ô Domine, bonis & rectis in cordibus ſuis.*
והמטים עקלקלותם יוליכם יהוה את פעלי האון שלום על-ישראל:	5. *Sed eos, qui deflectunt tortuoſitates ſuas, abire faciet Dominus cum tractatoribus vanitatis. Pax ſuper Iſraëlem.*

§. I.

PSalmi hujus argumentum exhibet ſingularem populi Dei confortationem per conſiderationem conſtantis Eccleſiæ in terris conſervationis, ex qua deducitur ſpes liberationis a nova afflictione, ſub qua Eccleſia per aliquod ſceptrum improbitatis ſorti juſtorum imminens eſt conſtituta.

§. II. De Eccleſia N. T. hic cogitare debemus tum propter nexum hujus Pſalmi cum reliquis Canticis graduum, tum quia *de Iſraële* ſpirituali agitur, uti conſtat ex citatione Apoſtoli Gal. VI: 16. de populo illo, circa quem Jehova eſt in omne ſeculum, cujus ſors dicitur *ſors juſtorum*, id quod in emphaſi

N

phaſi de ſorte Canaanis dici non poterat, tum quia prædicata de Zione immutabilitas in Zione literali itidem non quadrat.

§. III. Artificium Pſalmi hoc eſt. Introducitur perſona quædam in Eccleſia illuſtris, quæ dum afflictionum tempeſtates præcedenti Pſalmo commemoratæ deſæviebant, novo aliquo malo interno, ſceptro improbitatis, eam premi animadvertit, Quare, cum fideles ob porrectam ita in ulterius malorum catenam frangerentur corde, primo, ad eorum erectionem conſtantiam conſilii gratiæ in memoriam revocat, deinceps huic perſuaſioni preces ſuperſtruit, quarum etiam exauditionem in ſpiritu prophetico prævidet ac prænunciat.

§. IV. Cum igitur alloquium perſonæ, quæ hic introducitur, *ter* variet, & *primo* ad fideles, *diende* ad Jehovam, denique *iterum* ad populum Dei convertatur, hinc *tripartitus* etiam eſt Pſalmus; Occurrit enim

I. Solamen Eccleſiæ in præſenti caſu deductum ex firmitate Eccleſiæ vs. 1-3. In quam rem

A. Conſervatio fidelium conſtans ex conſtantia totius Eccleſiæ deducitur vs. 1. 2.

1. Subjecta nominantur, initio vs. 1. *Qui confidunt Jehova.*

2. Illis tribuitur firma & conſtans conſervatio per comparationem cum univerſa Eccleſia vs. 1. p. poſt. & vs. 2. quæ in hanc rem proponitur

a. Sub ſymbolo Zionis v. 1. p. poſt. ubi

α. Comparatio ipſa fit: *ut mons Zion.*

β. Tertium comparationis duplex additur.

א. Negativum. *Non commovebitur*

ב. Poſitivum. *In ſeculum manebit.*

b. Sub ſymbolo Hieroſolymæ vs. 2. cujus duplex munimentum indicatur, tanquam fundamentum firmitatis Zioni adſcriptæ.

α. Munimentum externum: *Hieroſolyma, montes ſunt circa illam.*

β. Mu-

β. Munimentum internum : *Et Jehova eſt circa populum ſuum a nunc & uſque in ſeculum*

B. Solamen hoc ad præſentem caſum applicatur, & ex eo certa ſpes liberationis a nova afflictione deducitur. vs. 3. Ubi

1. Spes declaratur vs. 3. p. pr. *Propterea non quieſcet ſceptrum injuſtitiæ ſuper ſorte juſtorum.*

2. Ratio ſingularis hujus ſpei additur. vs. 3. p. poſt. *Ut non extendant juſti illi ad iniquitatem manus ſuas.*

II. Oratio brevis in hac ſpe fundata vs. 4. *Benefac Jehova bonis & rectis in cordibus ſuis.*

III. Promiſſio de hujus exauditione vers. 5. Idque

A. Per judicia in hoſtes Eccleſiæ vs. 5. p. pr. *Etiam declinantes obliquitatibus ſuis abire faciet Jehova cum operantibus iniquitatem.*

B. Per bonorum in Eccleſiam collationem vs. 5. p. poſt. *Pax ſuper Iſraëlem.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS. 1.

Qui confidunt Jehova) Vox בטח deſignat firmiter alicui rei inniti, & quidem ita, ut ob fiduciam, quam in illa re habes, ſecurus ſis. Non bene vertitur a LUTHERO paſſim *hoffen*, quia multo plus exprimit, & plerumque transfertur ad actum fiducialem fidei confirmatæ, unde diſtinguendum eſt a חסה, ad quod tamen relationem habet, quia ex confugio fidei ad Jehovam ſequitur plena eorum, qui Jehovam apprehenderunt in eo reclinatio. Duo igitur hæc vox includit 1. quod quis cum Deo per fidem unitus cum omni carnis abnegatione eum tanquam ſolum firmamentum, arcem, rupem, turrim ſuam conſideret: 2. quod quis ex hac conſideratione ab omni timore liber ac ſecurus ſit ac tranquille agat. Prius tamen hic magis quadrat.

Objectum hujus fiduciæ eſt *Jehova*. Fiducia enim hæc

Digitized by Google

eſt fundata in omniſufficientia veritate & conſtantia Domini. Pſ. XIII: 6. CXIX: 42. Unde eſt honor ſoli Jehovæ conveniens oppoſite ad idololatras confidentes in idolo Jeſ. XLII: 17. & ad quoſcunque homines confidentes in ſui cordis inventionibus Prov. XXVIII: 26. prudentia Hoſ. X: 13. juſtitia ſua Ezech. XXXIII: 13. fortitudine ſua Pſ. LIV: 7. &c.

Ut mons Zion) Notum eſt montem Zion fuiſſe primarium & maxime excelſum ex illis, quibus Hieroſolyma fuit ſuperſtructa, auſtralem ejus partem occupans, ita conjunctus cum monte Moria, in quo templum, ut hic dicatur *collis montis Zion* Jeſ. XXXI: 4. Quoad originem vox cognata eſt ציון *ſeu*, *ſignum* in altum erectum, qualia ſigillatim ſunt ſigna ſepulchralia, de quibus uſurpatur. 2 Reg. XXIII: 17. cum ſit generalius Jerem. XXXI: 21. nempe quia mos in oriente Mauſolæa, Obeliſcos, Pyramides in honorem mortuorum erigere. Convenit hoc cum radice צוה *Erectum eſſe*, & צי deſertum, quia antiqui in deſertis pecora paſcentes ſignis quibuſdam erectis aut turribus extructis ſolebant cavere, ne aberrarent V. Perizon. Orig. Babyl. cap. XII. Tali forte uſui & mons Zion erat adhibitus propter eminentiam præ reliquis. In hoc loco non poſſe literalem reſpici patet, quia nihil in eo, quod mons ille non ſit commovendus, ex quo Eccleſia ſolamen hauriri poteſt. Sed nec per metonymiam hic poteſt intelligi regnum Iſraëlis, cujus ſedes erat mons Zion, nam in illud non convenit hæc immutabilitas. Quare hic intelligenda eſt Eccleſia N. T. quæ non ſolum ex Zione orta, ſed etiam ejus antitypus fuit Pſ. II: 6. Jeſ. IV: 5. XII: 6. LX: 14. Apoc. XIV: 1. &c. Illa in genere eſt *Mons*, & *ſpeciatim* eſt *mons Zion*: Nam 1. ſicut *turris* aut *ſignum* in loco deſerto: 2. a natura Jebuſitarum arx prædatoria: 3. per coeleſtem Davidem vindicata: 4. per dona Spiritus ſancti egregie ornata Pſ. XLVIII: 3. 5. in altum tanquam regnum coelorum ſuper omnia regna mundi evecta Jeſ. II: 2. 6. bene munita (vide ſequentia) 7. ſedes throni Meſſiæ non ſolum Regii, ſed etiam ſacerdotalis, ut *mons ſanctitatis Jehovæ*: 8. directe

directe monti Sinai & oeconomiæ Moſaicæ oppoſita Hebr. XII.

Cum hoc monte Zion conferuntur, qui confidunt Jehovæ. Zion enim *mater* eſt, cui ſinguli fideles ut filiæ conformes ſunt. Sors univerſæ Eccleſiæ eſt ſors ſingulorum fidelium.

Non commovebitur) Verbum מוט de pedibus habuimus Pſ. CXXI: 3. De montibus itidem uſurpatur, quando illi per horrendos terræ motus vel per fluctuum & ventorum impetum ingentem concutiuntur & in mare conjiciuntur Pſ. XLVI: 3. Jeſ. LIV: 10. Tales montium concuſſiones & caſus ſymbolum ſunt interitus regnorum Apoc. V: 16. VIII: 8. Marc. XI: 23. Indicatur ergo, licet motus maxime contra Zionem in mundo oriundi, licet Diluvia nova ſemper atque nova Eccleſiam inundatura, illius tamen Regnum coeleſte nunquam interiturum, nullaque vi humana reſciſſum iri. Ita Zion N. T. mons eſt monti Sinai per motum terræ cum aliis montibus deſerti, contremiſcenti, totique Oeconomiæ Moſaicæ commovendæ ac tollendæ oppoſitus Pſ. LXVIII: 9. 16. 17. CXIV: 4. ſq. Hebr. XII: 26-28.

In ſeculum manebit) Sunt qui diſtributive conſtruenda eſſe hæc verba volunt. Ut hunc ſenſum fundant: *Quisquis in Domino confiſus fuerit, ſicut mons Zion non movetur, ita ipſe etiam in æternum manebit.* Sed conſuetum id eſt in ſtylo Scripturæ, ut oppoſitiones tales inſtituantur inter id, quod non debet fieri, & debet fieri, Pſ. XXXVII: 19. &c.

Neque id referri debet ad tautologias, quia talis oppoſiti negatio perfectionem rei indicat, & ſigillatim in promiſſionibus indicat, contrarium abſque intercedente gratia divina potuiſſe timeri, ישב *ſedere, habitare*, licet proprium ſit perſonarum, uſurpatur tamen etiam de locis, varieque tum ſumitur. Enallagen modi aliquando admittunt Philologi, pro *habitabitur*. Sed potius eo inclino, ut ſtatuam abſque illa phraſin metaphorice eſſe ſumendam. *Sedere* enim generale ſymbolum eſt ſtatus florentis, pacati & tranquilli. Sic ſumi poteſt Zach. II: 8. *Villis habitabit Hieroſolyma.* Sic apud Latinos: *Rempublicam in ſede*

ſua ſiſtere SUETONIUS Aug. c. 28. Specialius deſignat ſtabilitatem Zach. XIV: 10. *Sedebit ſubter ſe*, de Hieroſolyma, id eſt, in loco ſuo immota & inconcuſſa manebit. HORATIUS Epod. XII: 8.

Deus hæc fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice.

SENECA Quæſt. Nat. c. 1. *Sequitur ut cito intercidant, quia ſine fundamento & ſede creata ſunt.* Specialiſſime aliquando de regno ſumitur. Sic Babylon *ſedet ſuper aquas multas.* Apoc. XVII: 1. Confer v. 9. & XVIII: 7. ubi ait: *Sedeo regina.* Confer Jerem. L: 39. Emblema hoc in multis nummis eſt obvium, ubi urbes, regna, reſpublicæ *ſedentium* inſtar Reginarum occurrunt. Inde patet quantum ſit, quod hic promittitur Eccleſiæ N. T. ſecuritas, firmitas & majeſtas. Duratio ejus additur, dum dicitur: *In ſeculum.* Confer Pſ. CXXI: 8. Hoc convenit cum Prophetiis de glorioſo & conſtanti hujus Eccleſiæ ſtatu. Confer inter alias Pſ. XLVI: 5. Jeſ. LV: 11. 12. Dan. II: 44. &c. Matth. XVI: 18.

VERSUS. 2.

Hieroſolyma) Id eſt, quod ad *Hieroſolymam* attinet. Quomodo illa typum geſſerit Eccleſiæ, & ſigillatim externæ, oſtendimus ad Pſ. CXXII: 2. id quod hic uſu venit, quia a *Zione* diſtinguitur & attributum Eccleſiæ externæ additur.

Montes ſunt circa illam) Non ſolum ipſa urbs ſuper montes erat extructa, ſed etiam montibus adeo altis circumdata, ut reſpectu montium, quibus circumdatur, in loco humili ſita videatur, quandoquidem mons olearum, aliique circumjecti altiores ſunt. Confer RELANDUM lib. 3. p. 838. ſq. Montes eſſe ſymbolum regnorum tutamen præſtantium oſtenſum eſt ad Pſ. CXXI: 1. Eccleſia quoad ſtatum externum conſiderata interdum habet Reges & Principes mundi in defenſores. Sic in

mon-

Digitized by Google

monte oliveti typum imperii Romano-Germanici deprehenderunt Viri ſagaces in prophetiis Zach. XIV: 4.

Et Jehova eſt circa populum ſuum) Eccleſia audit *populus* Dei; quod reſpicit relationem foederalem, per quam factus eſt *in populum*, quem Deus multis beneficiis & ſanctiſſimis legibus ſibi obſtrinxit, per communionem ſpiritualem inter ſe ligavit, & ab omnibus populis mundi diſtinxit. Sigillatim Eccleſia N. T. ita dicitur, quia eſt antitypus Iſraëlis, populus peculii, forti manu ex ſervitute peccati ereptus, ſanguine novi foederis initiatus, Theocratiæ ſpirituali ſubjectus, prærogativa Sacerdotii Regii donatus, hæres coeleſtis Canaanis & totius mundi &c. Plura dabit Cl. D' OUTREINIUS de Clangore Evangel. Diſſ. IV. Hunc jure Jehova pro ſuo reputat, ob Teſtamentum gratiæ, ob redemtionem præſtitam, ob foedus cum eo initum, ob ſcopum in quem eum deſtinavit. Latius ſe extendit itaque ſymbolum *Hieroſolymæ*, quam notio *populi*. Multi enim ſunt in communione Eccleſiæ externa, quos Dominus pro populo ſuo non reputat. Nam in N. T. externum populum non habet. Et veris fidelibus proprie munimentum præſtat. *Circa illos eſt*. Nempe ad inſtar *muri ignei* Zach. II: 9. aut *exercitus circum circa caſtra metantis* Pſ. XXXIV: 8. Hinc nomen צבאות inter ſymbolica Jehovæ. Phraſis hæc *circumdationis* indicat plenum perfectumque ab omnibus partibus tutamen, quod non tantum copias hoſtium undequaque imminentes, ſed etiam plurimas eorum artes & conatus eludit.

Quando circumdatio hæc Jehovæ componitur cum cinctura montium, id fit, aut per *comparationem*, quaſi montes illi Hieroſolymam cingentes ipſius Jehovæ ſymbolum ſint, quæ tamen neſcio an unquam alias occurrat; aut per oppoſitionem & exaggerationem, ut indicetur, non ſolum Eccleſiam externam adhuc quædam externa propugnacula habere, ſed etiam illos, qui in ea verum populum Dei conficiunt, longe fortiori propugnaculo, ipſo ſcilicet Jehova Zebaoth gaudere.

A nunc & uſque in ſeculum. Confer Pſ. CXXI: 8.

VER-

VERSUS. 3.

Propterea) Ita malo, quam cum aliis cauſaliter. Præcedentia enim generatim conſilium Dei de conſtantia regni Eccleſiæ in terris explicant, ex quibus hoc tanquam conſectarium deducitur.

Sceptrum injuſtitiæ) Prophetæ communiter per vocem שבט ſeu *virga* intelligunt ſignum poteſtatis Regiæ, de quo latius egi ad Pſ. XLV: Ex. VI. §. 12. 13. GEIERUS hic cogitat de *virga* aut *baculo* plagas ac verbera infligente, uti Prov. X: 13. quod hic facile conjungi poteſt, quia dominatus tyrannicus innuitur, quale dicitur Jeſ. IX 3. *Sceptrum exactoris*. Unde additur *Sceptrum injuſtitiæ.* Vera τοῦ רשע notio a Spiritu ſancto indicatur per frequentem inter illam & צדקה, inter רשעים & צדיקים oppoſitionem, quam GOUSSETUS notavit. LXX. etiam aliquando, licet rarius, pro iis ἀδικία & ἄδικοι ponunt. Radix vocis eſt רשע *turbidus*, *inquietus fuit*. Hoc proprium eſt injuſtorum, qui juſtos rerum limites exturbant, atque in continuo rebellionis ac nequitiæ motu ſunt, & propterea nulla gaudent conſcientiæ tranquillitate, quod utrumque tam *activum*, quam *paſſivum* conjungi poteſt ſecundum Jeſ. LII: 20. 21. & XLVIII: 22. Hujus *injuſtitiæ* ergo illi potiſſimum rei ſunt, qui licet externe nomen Eccleſiæ dare atque inter ſubditos Regni coelorum numerari velint, juſtitiam tamen Dei rejiciunt, atque ita fundamenta regni Dei nec non bonæ conſcientiæ convellunt, in defenſores autem ejus ſeditioſe irruunt, eoſque multis modis perſequuntur. Et quia hic proprius character eſt Antichriſtianiſmi. Hic pingitur per ***mulierem in Epha ſedentem***, ſub ſpecie ſcilicet juſtitiæ, cujus nomen nihilominus eſt הרשעה *Improbitas illa*. Antichriſtus ipſe dicitur רשע quam dictionem Paulus imitatur, dum eum Ἄνομον appellat 2 Theſſ. II: 8. Tali certe regnum diuturnum atque oneroſum Scriptura tribuit. Eſt enim *Rex Babelis* Jeſ. XIV. *Rex Tyri* Ezech. XXVIII. ***Beſtia decem diadematibus coronata*** Apoc.

Apoc. XIII: 1. Sed eſt *ſceptrum injuſtitiæ.* Non opus eſt, ut injuſtitia hic tanquam perſona conſideretur. Phraſis enim eadem eſt, qua Chriſto tribuitur *ſceptrum ferri* Pſ. II: 9. *rectitudinis* Pſ. XLV: 7. *roboris* Pſ. CX: 2. Deſignatur ergo injuſtitia illius dominii, quod ab *injuſtis injuſte* raptum, *injuſte* exercetur, *baculus improborum & ſceptrum dominantium* Jeſ. XIX: 5. Hinc *homo peccati & filius perditionis* 2 Theſſ. II: 3.

Non quieſcet ſuper ſorte juſtorum) Juſti hic, uti paſſim, opponuntur *injuſtitiæ*, adeoque deſignantur vera internæ Eccleſiæ membra, illi qui juſtitiam regni Dei agnoverunt, apprehenderunt, eique ſe in ſervitium tradiderunt, ad fructus juſtitiæ ferendos.

Illis tribuitur *ſors* ſeu *hæreditas*. גורל proprie notat lapillum vel calculum, qui in ſinum vel urnam projici, ſæpiuſque in bonorum diſtributione adhiberi ſolebat. Prov. XVI: 33. XVIII: 18. Præſertim de modo diſtributionis terræ Canaan uſurpatur. Joſ. XV: 1. XVI: 1. XVII: 1. &c. Hinc per metonymiam indicat rem quæ quaſi ſorte obtingit. Ita Meſſias præmium obedientiæ ſuæ nominat Pſ. XVI: 5. Hic intelliguntur vera & coeleſtia bona, quæ fideles exſpectant & quorum primitias jam poſſident. Dan. XII: 13. quo ſpectant non ſolum bona interna, ſed etiam hæreditas mundi ac terræ juſtis promiſſa Pſ. XXXVII: 29. Illa *ſorti* ſunt ſimilia. 1. quia portio fidelium hic diſtincta eſt a portione injuſtorum, qui ſuam quoque ſortem habent Jeſ. XVII: 14. Jerem. XIII: 25. 2. quia illa eis ſecundum merum Dei beneplacitum immerentibus plane conceſſa. 3. quia per ſortem Iſraëlitarum in Canaane præfigurata.

נוח *quieſcere*, quatenus opponitur commotioni, conſtantem aliquando notat rei in loco commorationem ac reſidentiam, uti Exod. X: 14. de *locuſta* dicitur, quæ in omni Ægypti termino reſidit. Supponitur ergo *ſceptrum injuſtitiæ* ſuper juſtos tyrannidem exerciturum. Dixerat enim Rex Babel in animo ſuo, *in coelos aſcendam, ſupra ſtellas Dei fortis exaltabo ſolium meum & ſedebo in monte conventus, in lateribus Aquilonis* Jeſ.

O XIV: 13.

XIV: 13. Et querelæ ſanctorum in prophetiis id teſtantur Pſ. IX: 4. ſq. XCIV: 3. ſq. Adde Apoc. VI: 10. XI: 2. XIII: 6. 7. &c. Nihilominus in ſorte juſtorum non debebat *quieſcere*, quod dupliciter poteſt intelligi, vel ita, ut innuatur, licet perſonas premeret, ſortem tamen fidelium iis non ereptum iri, quia, qui vitam tollebant, coelum rapere nequibant; vel ita, ut de ſorte externa terræ regno Chriſti ac fidelium deſtinatæ intelligatur, in qua licet per tempus aliquod dominabatur Antichriſtus, tandem tamen ex ea exterminandus atque ita tota terra Domino ſanctificanda erat.

Ut non extendant juſti illi ad iniquitatem manus ſuas) Vox עולה æque ac רשע oppoſitum juſtitiæ exprimit Zeph. III: 5. Sed & oppoſita eſt τῷ ישר Pſ. CVII: 42. Pſ. XCII: 16. omnique ambulationi in viis Domini Pſ. CXIX: 3. In eo differre videtur a רשע quod in ſe involvat ſimul fraudulentiam ac hypocriſin. Hoc clare patet ex Zeph. III: 13. Hinc עול ſpeciatim uſurpatur de iniquitate *in negotiationibus ac commerciis* committi ſolita Deut. XXV: 10. Hoc eſt proprium gnoriſma Antichriſtianiſmi, *Præ multitudine improbitatum tuarum, in iniquitate mercaturæ tuæ profanaſti ſanctuarium tuum* Ezech. XXVIII: 18.

Ad illam *mittuntur* manus, id eſt extenduntur Gen. III: 22. Paſſim hoc ita intelligitur, quaſi dicatur, ne ut victi tentationum diuturnitate vel gravitate ex impatientia cum impiis ad mala abripiantur ac ſeducantur. Neque tamen opus eſt hic plenariam defectionem intelligere, a qua gratia Dei etiam in maximis periculis immunes conſervat veros fideles. Manuum enim extenſio aliquando etiam eſt geſtus eorum, qui ab aliis opem aut auxilium petunt. Et tum deſignatur, quod præſervandi ſint fideles ab omni fraudulentia ac ſimulato cum regno injuſtitiæ commercio, ad quod crimen, ex ſpe levaminis cujuſdam in ſuis malis potuiſſent induci. Sic ſumendum iſtud, quod Pſ. XLIV: 21. *Si obliti fuiſſemus nominis Dei noſtri, aut expandiſſemus manus noſtras ad Deum extraneum.* Hanc enim *expanſionem* non deſignare apoſtaſiam plenariam mentis, ſed

Digitized by Google

ſed ſimulatam duntaxat, colligimus non ſolum ex vs. 18. 19. ſed etiam, quia vs. 22. ſtatim additur: *Nonne Deus perveſtigaſſet iſtud? cum ipſe cognoſcat abſcondita animi.* Quod argumentum proprie ſtringit contra quamcunque hypocriſin. Ab hoc peccato ut electi præſervarentur jugum injuſtitiæ juſto tempore tollendum erat. Confer Pſ. LXXXV: 9. & quoad filum propheticum Matth. XXIV: 24. Hinc jamjam liberandis a tyrannide beſtiæ Apoc. XIV: 4. 5. teſtimonium hoc datur, quod *cum mulieribus non ſint inquinati, quia virgines ſunt*, & quod *in eorum ore non ſit inventus dolus.*

VERSUS. 4.

Benefac Jehova) Verbum הֵטִיב denotare ſolet quorumcunque beneficiorum collationem, præcipue vero illorum, quæ Deus in foedere ſuo electis promiſit Gen. XXXII: 9. 12. Deut. XXX: 5. Jerem. XXXII: 40. Atque eo ſenſu oratur Pſ. LI: 20. ut Dominus *Zioni benefaciat.* Recte autem id petitur a Jehova, quia ille boni omnis fons eſt Pſ. CXIX: 68.

Bonis) Hoc nomine deſignantur veri fideles, qui licet a natura omni bonitate morali careant corda tamen habent per fidem purificata, & eo enituntur, ut bonis operibus eam demonſtrent Prov. XIV: 19. Eccleſ. IX: 2. Merentur hoc nomen, quia revera verſantur in *faciendo bonum* Pſ. XXXIV: 15. dum ad normam Legis divinæ, quæ *bona* eſt, ad exemplar bonitatis & perfectionis ſummæ in Deo magis magiſque renovantur. Elegans eſt conſtructio nominis טוֹב cum verbo ſuo הֵטִיב, qualis illa, quæ occurrit Pſ. XVIII: 26. 27. 1 Sam II: 30. & in comminatione Levit. XXVI: 23. 24. Non quaſi boni quicquam ſua bonitate mererentur, ſed quia in illis ſuum opus Deus coronat & approbat, & quia promiſſis ſuis ſe obſtrinxit ad benefaciendum illis, qui foedus ejus ſervantes, bonum faciunt Gen. IV: 7. Pſ. XXXVII: 27. 28. Jeſ. I: 17. 18. Id quod fluit ex vinculo illo æterno, quod per ſanctitatem Dei inter bonum morale & phyſicum eſt poſitum.

Digitized by Google

Et rectis) Vox ישר de *rectitudine* quacunque uſurpatur, quæ phyſice talibus rebus adeſt, quæ recta linea procedunt, aut via recta ad ſcopum pergunt. Ezech. I: 7. Conf. 1 Sam. VI: 12. 2 Chron. XXXII: 30. Hinc translatum ad rectitudinem moralem denotat illam perfectionem, qua quis ſcopum debitum ſibi ſemper præfixum habet, atque ad illum per media debita tendit. In illa *rectitudine* conſiſtebat imago Dei Eccl. VII: 29. quia Deus ipſe *rectus* eſt Pſ. XXV: 8. XCII: 16. Quare ישר & טוב ferme ſynonyma ſunt. Ubi tamen conjungitur טוב magis videtur principium actionum bonarum per renovationem cordis, earumque internam qualitatem, per ישר autem finem earum intendi, ad quem tum recte ſe habent, quando ad gloriam Dei unice ſunt directæ. Sed & præterea ſenſus vocis ישר limitatur.

In corde eorum) Frequentiſſimum *cordis* in ſacris emblema eſt, ut tum generatim animam ejuſque primarias facultates, tum ſpecialiſſime intimam voluntatis propenſionem ac deſiderium deſignet. Confer Comment. in Pſ. XLV. Exerc. II. §. 8. Adeoque *recti corde* dicuntur, quorum deſideria eo tendunt, ut finem ſummum idque ſecundum viam rectam verbi divini attingant, quod idem eſt, quod alias ſinceritas dicitur, omni fuco & hypocriſi oppoſita 2 Reg. X: 15. Pſ. XXXII: 11. LXIV: 11. XCIV: 15. Imitatur hoc Apoſtolus Act. VIII: 21. η γαρ καρδια σȣ ȣκ εϛιν ευθεια ενωπιον τȣ θεȣ. *Cor tuum non eſt rectum coram Deo.* Sic טוב eſt generale, cujus præcipuum attributum eſt *rectitudo cordis;* ut ſcias non ſolum externe apparere bonos, ſed etiam in corde eſſe: & licet ad gradum ſummum bonitatis nondum pervenerint, multumque mali admixtum habeant, cor tamen purum ac integrum accepiſſe, ac ſincero proficiendi indies deſiderio eſſe imbutos. Singulare iſtud eſt, quod hic occurrant non ſimpliciter *ſinceri corde*, ſed *in corde ſuo*, puta tales, qui ſinceritatis ſuæ teſtimonium in corde ſuo habent. Tales ſunt, quibus Deus vult benefacere, qui nulla re magis, quam cordis ſinceritate delectatur. Et dum ita orat Pſaltes, oſtendit. 1. ſe ſecundum voluntatem Dei petere. 2.

ſe

Digitized by Google

ſe cum illis bonis rectiſque corde vinculo communionis ſpiritualis eſſe connexum.

VERSUS. 5.

Etiam declinantes) Copulam ו hic non ita commode putamus verti per *vero*, uti plerique faciunt, licet agnoſcamus oppoſitionem; quia cum hoc verſu nova inchoatur alloquii converſio, ita ut ille, qui modo ſupplex Deo factus fuerat precibus, coram populo ſuo declaret fiduciam, quam de exauditione precum ſuarum conceperat. Sic ו in principio collocatum fortiter ſolet affirmare adverſus tales, qui rem, quæ aſſeritur in dubium vocant Job. XIX: 25. &c. המטה deſignat declinationem a via tum proprie dicta Gen. XXXVIII: 16. Num. XX: 17. &c. tum ſigillatim a veritatis, legiſque tramite, qualis erat cordis Salomonis 1 Reg. XI: 4. Adde Pſ. LXXIII: 2. Prov. IV: 5. & qualis eſt apoſtaſia in perſecutionibus Pſ. XLIV: 19. Aliquando occurrit non ſolum de ſeductis ſed etiam de ſeducentibus, de adultera, quæ ſymbolum eſt Antichriſtianiſmi Prov. IV: 21. Innuuntur ergo hic tales, qui antea viſi erant recta via incedere, ſed ſeducti eam relinquunt, & per apoſtaſiam quoque aliis offendiculo ſunt. Confer Jeſ. XXXI: 1. 2.

Obliqnitatibus ſuis) Optime GEIERUS obſervat, nomen עקלקלות deſcendens a עקל, *perverſus*, *tortuoſus* fuit, geminata ob auxeſin ſecunda tertiaque radicali nonniſi ſemel adhuc occurrere Jud. V: 6. ubi intrita & deſerta propter hoſtes deſcribuntur itinera, quod ceſſaverint tunc ſemitæ ordinariæ ſeu regiæ & quod ambulaverint per ſemitas עקלקלות *tortuoſas*, puta per nemora opaca, per montana &c. Hoc emblema egregium eſt ratiociniorum cordis humani, ſive φρονηματος σαρκος, quo ſibi ipſis illudunt, qui ut pericula evitent & ſecuritati ſuæ conſulant, a via regia veritatis diſcedunt. Numerus pluralis arguit ratiociniorum multitudinem. Eccleſ. VII: 29. Et nervoſe hæ dicuntur obliquitates eorum, quia ex proprii cordis malitia talia ratiotinia naſcuntur, ſicuti Iſraël dicitur *gens perdita conſi-*

liis ſuis Deut. XXXII: 28. Adde Prov. II: 15. Jeſ. LXV: 2. Jerem. VII: 24. Qui vertunt *ad obliquitates*, ellipſin voculæ ב ſtatuunt. Sed non opus eſt, ut eam ſtatuamus, quia etiam abſolute verti poteſt: *obliquitatibus ſuis*, ita ut non tam terminus indicetur, quo declinant, quam declinationis illius cauſſa, quia non declinarent, niſi cor his obliquitatibus repletum haberent. Hoc ſeductis in Antichriſtianiſmo proprium 2 Theſſ. II: 10.

Abire faciet Jehova) Elegans hic eſt allegoriæ continuatio, qui per obliquitates cordis ſui a via declinant, illi abeunt & ſeparant ſe ipſos a communione cum Deo & populo ejus. Eos autem Jehova abire facit. 1. dum ex juſto judicio ſuam gratiam præſervantem ac retrahentem iis denegat, eoſque tradit judicio indurationis. Sic de Iſraële: *Dimiſi eos ex ſententia animi ſui, ut abeant cum pravis conſiliis ſuis* Pſ. LXXXI: 13. Confer Prov. I: 31. Act. XIV: 16. Hoc judicium ſeductis Antichriſtianiſmi indicatur 2 Theſſ. II: 11. 12. *Ideo mittet eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio: Ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati ſed acquieverint in injuſtitia.* 2. dum eos per æternam condemnationem plene a communione ſua & hæreditatis ſanctorum exterminabit Matth. XXV: 41.

Cum operantibus iniquitatem) און dicitur quæcunque iniquitas, peccatis præcipue gravioribus commiſſa, & maxime per idololatriam Num. XXIII: 21. 1 Sam. XV: 23. Jer. IV: 14. 15. Hoſ. XII: 12. Derivatur ab און *Dolere*, quia moleſtiam & dolorem creat. *Operantes iniquitatem* ſunt tales, qui ſcopum hunc præfracte ſibi præfixere, ut cultum Dei perfectionibus contrarium promoveant, quique in eo opere omnem adhibeant diligentiam. Sigillatim hoc nomen eſt proprium falſis doctoribus, falſa gloriatione & mendacio inſignibus Pſ. V: 6. piorum ſpei illudentibus Pſ. VI: 9. XIV: 4. & in talibus prophetiis frequens, quæ doctores Antichriſtianos propius reſpiciunt, quo referimus Pſ. XXXVI: 12. XCIV: 4. 16. Jeſ. XXXI: 2. uti & Matth. VII: 23. Hi multo magis judicium id timendum habebant, quam *declinantes*, quia multo gravior eſt

eorum

eorum culpa, qui ſeducunt, quam qui ſeducuntur. Hinc Rex Babelis & Tyri extra Templum exterminandus Jeſ. XIV: 15. Ezech. XXVIII: 16. Adde Apoc. XVIII: 2. 21. XIX: 20. Jeſ. LXVI: 24. Jerem. LII: 8. 9. Interea tamen ſeductores cum ſeductis in hoc judicio conjungendi Jeſ. XXXI: 1. Qua de cauſſa monelà inſtituitur Apoc. XVIII: 4.

Pax ſuper Iſraelem) de amplo ſignificatu pacis dictum ad Pſ. CXX: 7. CXXII: 6. Nihil opus hic excludi, quando Iſraëli ſpirituali *pax* adſcribitur. Confer infra Pſ. CXXVIII: 6. *Iſrael* ſane ſpiritualis omnis felicitatis veræ nunc & in æternum poſſeſſor atque hæres eſt. Et ille etiam ſolus, ſecundum reſtrictionem Apoſtoli ad hanc phraſin alludentis Gal. VI: 16. Hujus pax oppoſita ſceptro injuſtitiæ per iſtud infringi non poteſt. In medio afflictionum curſu ut exercitus pacatus citharoedorum ſecure agentium occurrit Apoc. XIV: 1. ſq. *Ingrediuntur pacem, requieſcunt in cubilibus ſuis quiſquis ambulat in æquitate ſua* Jeſ. LVII: 6. Confer Apoc. XIV: 13. Sed & præterea poſt fractum ſceptrum injuſtitiæ pacem exſpectandam habebant, dum pax prædicanda Jeſ. LVII: 23. pax etiam poſſidenda Jeſ. XXXII: 17. 18. Atque ita hic eadem eſt oppoſitio, quæ Jeſ. LVII: 17. fit inter illos, qui manus ſuas dedere idololatris Chriſtianis & eos qui ad Jehovam ſe receperunt.

IMPLEMENTUM.

§. I. Licet Eccleſia ſub Carolo Magno quibuſdam halcyoniis frui videretur, nondum tamen deſævierat hyems, ſed aliæ ex aliis naſcebantur afflictiones. Præcipue multi montes & colles concutiebantur per Saracenorum, Tartarorum, Turcarum alias poſt alias irruptiones, quæ paulatim Eccleſiam orientalem exhauriebant. In Occidente non minus horrendæ erant depopulationes Normannorum, & Hungarorum identidem recrudeſcentes.

§. II. In omnibus his tumultibus Deus providit Eccleſiæ ſuæ. Externe illa gaviſa eſt Imperatoribus fortiſſimis, qui mon-

montium inſtar fluctus barbarorum tum fregerunt, quos inter *Henrici & Ottones* præcipue memorandi, præcipue cum ipſæ illæ gentes Normannorum & Hungarorum, quæ adeo graves ab initio Chriſtianis erant, fidem eorum lapſu temporis ſuſciperent.

§. III. Sed maximum periculum imminebat a ſede Romana, quæ licet hactenus jam a *Gregorii M.* temporibus Eccleſiam premere inceperit, quando Epiſcopi univerſalis titulum ad ſe rapuerat, poſt Carolum M. tamen ulterius graſſata *ſceptrum* quoque per affectationem dominii politici gerere incepit. Ab hoc enim tempore potiſſimum incepit omnia Regum Principumque jura ad ſe rapere, regna pro lubitu dividere, in Reges ac Cæſares immorigeros fulmina excommunicationis vibrare, cui ſceptro ſuam ακμην dedit *Gregorii VII.* dominatus. Hoc ſceptrum in omni emphaſi erat *ſceptrum iniquitatis*, quia poteſtas illa injuſte rapta atque uſurpata; quia homines illi, qui eam rapuere, omni impietatis coeno erant inquinati, quorum horrenda ſcelera ipſi pontificii ſcriptores paſſim fatentur: quia injuſte hoc *ſceptro* abutebantur, eouſque ut pro primo fidei principio poſitum ſit, omnem animam propter ſalutem æternam ſubeſſe debere Papæ, & ſi non directe, indirecte ſaltem omnia & bona & corpora baptizatorum in ejus poteſtate eſſe: quia denique juſtitia Dei per hoc ſceptrum iniquitatis eſt proſcripta, iique qui cum Godeſchalco atque aliis eam audebant defendere ſevere ſunt oppreſſi. Cum dominatione conjuncta fuit idololatria & fraudulentia præſertim in nundinatione ſimoniaca exhibita.

IV. Nihilominus Deus Zionis ſui tutamen fuit. Et cum omnia viderentur eſſe conclamata ſuperfuit populus tenuis in vallibus Pedemontii a Seculo octavo fidei conſervans puritatem, neglectus diu & contemtus ob ſimplicitatem. Ut taceam plurimos veritatis teſtes, qui in ipſo Antichriſtianiſmo illam libere profitebantur: Quorum numerus valde eſt auctus, poſteaquam Petrus Waldus, Johan. Wiclefus aliique in publicum prodire auſi ſunt. In hos competunt emphatice epitheta

theta

theta Prophetæ. Quam gravi modo illorum humeros preſſerit ſceptrum iniquitatis teſtantur horrendæ lanienæ & perſecutiones in illos concitatæ, quæ omnia tamen exſtirpare ſemen Dei non potuere. Et tandem Deus juſto tempore libertatem conceſſit, uti ſequens Pſalmus oſtendet.

§. V. Quantum autem fuerit defectionis a veritate periculum patet ex plurimis exemplis eorum, qui contra conſcientiam aut palinodiam cecinerunt, aut veritatem cum errore commiſcere tentarunt. Solus Berengarius ter metu mortis recantavit, ſed identidem in libertatem reſtitutus retractavit. Plura alia exempla oſtendunt hiſtoriæ perſecutionum & Martyriorum.

USUS.

§. I. Attendendum hic ad oppoſita ſibi invicem attributa Eccleſiæ veræ & Pſeudonymæ. Hujus character eſt, ſceptrum iniquitatis, dominatio injuſta in conſcientias hominum & abnegatio juſtitiæ æternæ regni Dei. Hujus labe infecti ſunt, quicunque *manum* ad illam *extendunt*, quod certa ratione fit ab omnibus, qui in perſecutionibus ex imbecillitate carnis genua etiam Baali flectunt, aut in foederibus cum Principibus Pontificiis nimium confidunt. Porro quicunque per obliquitates cordis ſui ulla ratione a via regia deflectunt.

§. II. E contrario veræ Eccleſiæ membra ex eo probantur, quod Jehovæ confidant, quod ut populus peculii Jehovæ ei ſerviant, quod bonitatem Dei imitentur, quod ſincero corde ſint præditi?

§. III. Prioribus ſub quacunque etiam ſpecie ſibi ipſis illudant, nihil aliud exſpectandum erit, quam extruſio ex populo & hæreditate Dei, qua quid infelicius?

§. IV. Poſteriorum vero *ſors* inæſtimabilis eſt. Pax eorum eſt ampliſſima. Licet aliquando in minora peccata ex lubricitate carnis labantur, gratia tamen divina eos ab atrocioribus præſervat. In omnibus tentationibus præſentiam, quin cin-

Digitized by Google

gens ab omni parte propugnaculum potentiæ Divinæ experiuntur. Foedus, quod Deus illis pepigit, ita conſtans eſt, ut, etiamſi montes cadant & valles ruant, nihil inde mutationis accipiat.

ANALYSIS Pſalmi CXXVI.

שיר המעלות בשוב יהוה את-שיבת ציון היינו כחלמים:	1. *Carmen graduum. Quum Dominus Zyonem reſtitueret in integrum, extitimus ut ſomniantes.*
אז ימלא שחוק פינו ולשוננו רנה אז יאמרו בגוים הגדיל יהוה לעשות עם-אלה:	2. *Tunc implebatur os noſtrum riſu & lingua noſtra jubilo. Tunc dicebant in gentibus: Magna fecit Dominus erga illos.*
הגדיל יהוה לעשות עמנו היינו שמחים	3. *Magna fecit Dominus erga eos: extitimus læti.*
שובה יהוה את-שבותנו באפיקים בנגב:	4. *Reſtitue nos in integrum, ut lacus in meridionali plaga.*
הזרעים בדמעה ברנה יקצרו:	5. *Qui ſeminant cum lacrimis, cum jubilo metent.*
הלוך ילך ובכה נשא משך הזרע בא-יבא ברנה נשא אלמתיו:	6. *Eundo ibat, & flebat ferens ſementem ſeminis: intrando intrat cum jubilo, ferens manipulos ſuos.*

§. Pſal-

Digitized by Google

§. I.

PSalmum hunc non a Davide aut aliquo priorum Prophetarum, ſed a poſteriore aliquo poſt ſolutam captivitatem Babylonicam conſcriptum eſſe, paſſim Interpretes ſentiunt. Apparet in ſe continere teſtimonium ſingulare ſpei, quam perſona loquens habet de magna liberatione, quæ ante fores eſt, & quam omni modo promovere quærit. AMYRALDUS in priori parte Pſalmi reditum ſuum eos ſibimet ipſis gratulari cenſet, qui primi ex Babylonica captivitate reduces facti erant; in altera vero eoſdem precari pro fratribus, qui reliqui in captivitate eſſent, quia conſtat populum Iſraëliticum non ſimul aut ſemel reverſum eſſe.

§. II. Longe melius R. KIMCHI & ABENESRA & *Midras Tillim* de temporibus Meſſiæ accipiunt: niſi quod fingant Meſſiam, quem fruſtra adhuc exſpectant, liberaturum eos ex captivitate hodierna Romana, quam Eſavi ſeu Edomi appellant. Ad tempora enim N. T. hunc Pſalmum eſſe referendum non nexus tantum docet, ſed etiam gentium canticum vs. 2. 3. propoſitum, quod earum converſionem involvit.

§. III. Sunt qui Pſalmum dividentes, partem ad V. T. partem ad N. T. referunt. Sic R. SALOMO Pſalmi initium de reductione ex Babel, finem vero de futura Judæorum reductione loqui autumat, cui etiam TILLIUS accedit. COCCEJUS itidem cenſet, duplicem Eccleſiæ reſtitutionem in integrum prædicari.

§. IV. Omnium horum hypotheſes ſtare nequeunt, quia ratio temporum, ad quam plerique non attenderunt, id non permittit, ſecundum quam verſus tres priores æque cenſendi ſunt futurum tempus reſpicere, quam reliqua, quia commate ſecundo exſerte de futura lætitia propter hanc liberationem agitur. Sed nec prior pars commode ad finem captivitatis Babylonicæ refertur, ex eodem quod modo attulimus argumento.

§. V. Filum autem fatorum Eccleſiæ ſequentes aptiſſimum,

& ſecundum omnia reſpondens temporis punctum inveniemus in Iſraële ex Babele ſpirituali brevi liberando.

§. VI. Artificium Pſalmi producit chorum integrum piorum in ſcenam, qui ante fores eſſe promiſſam Eccleſiæ liberationem ſentit, qui jam in Spiritu prævidet gaudia inde oritura, unde promovere conſilium Dei conatur, idque partim precibus ad Deum directis, partim aliorum incitatione: quæ omnia proponuntur per modum Ecſtaſeos.

§. VII. Varians iterum ter Pſaltis alloquium hunc quoque Pſalmum in tres partes dividit.

I. Ecſtaſis per viſionem inſtantis ſalutis excitata, ejus magnitudinem ab adjunctis deſcribit vs. 1-3.

A. Subjectum de quo agitur vs. 1. p. pr. *In reducere Jehovam captivitatem Zionis.*

B. Adjuncta pro temporis diſtinctione duplicia vs. 1. p. poſt. 3.

1. Adjunctum antecedens vs. 1. p. poſt. *Fueramus ſicut ſommiantes.*

2. Adjuncta conſequentia vs. 2. 3. quæ continent duplicem effectum.

a. In ipſo populo Dei verſ. 2. p. pr. *Tunc implebitur riſu os noſtrum & lingua noſtra jubilo.*

b. In gentibus, qui populo Dei ſe agglutinaturi in celebratione Dei, quod proponitur per elegantem proſopopoeiam, in quo introducuntur gentes Deo canentes. Notentur hic

α. Perſonæ vers 2. med. *Tunc dicent inter gentes.*

β. Dicta eorum vs. 2. fin. & vers. 3. Illa continent

א. Deſcriptionem duplicis beneficii divini vs. 2. fin. & 3. init.

aa. Prius ſpectatur tanquam exhibitum populo Dei vs. 2. fin. *Magnificavit Jehova faciendo cum ipſis.*

bb. Poſterius ſpectatur tanquam exhibitum ipſis gentibus vs. 3. init. *Magnificavit Jehova faciendo nobiſcum*

ב. Effe-

3. Effectum hujus beneficii utriuſque in gentibus: *Extitimus læti.*

II. Suſpirium ad Deum, ut tantam ſpem implere velit vers. 4. Heic occurrit

A. Bonum ipſum, quod petitur vs. 4. init. *Reduc Jehova captivitatem noſtram.*

B. Modus vs. 4. p. poſt. *Sicut alvei in meridie.*

III. Incitamentum fidelium & ſigillatim miniſtrorum verbi ſub allegoria ſeminantium propoſitum verſ. 5. 6. Hic.

A. Generatim difficultatis in laborando felix promittitur exitus vers. 5.

1. Perſonæ vers. 5. p. pr. *Seminantes in fletu.*

2. Promiſſio iis facta: *Cum jubilo metent.*

B. Ad augendum promiſſionis hujus magnitudinem, difficultas antecedentis laboris & exuberantia ſequentis lætitiæ inter ſe conferuntur vs. 6.

1. Antecedentis laboris difficultas vs. 6. p. pr. *Eundo ibit & flendo portans protractionem* (: jactum :) *ſeminis.*

2. Sequentis lætitiæ magnitudo vs. 6. p. poſt. *Veniendo veniet cum jubilo portans faſciculos ſuos.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERSUS. 1.

In reducere Jehovam) Optime hic poſt LUTHERUM Schmidius in FUTURO vertit: *Quando reducet Jehova.* Infinitivi enim apud Hebræos pro re nata præteriti aut futuri ſignificatum induunt. Cum igitur vers. 4. eiſdem verbis beneficium quod hic laudatur, a Deo petatur, inde ſatis patet, in futuro heic quoque eſſe vertendum. Exſpectatur igitur beneficium hic a Jehova, in quo ille fidem & veritatem ſuam denuo eſſet revelaturus. Beneficium eſt *reductio*, adeoque ſupponit aliquam triſtiorem populi Dei ex ſtatu priſtino exturbationem, quæ iterum tollenda. Qualis illa reductio ſit futura patet ex perſonis quibus hoc beneficium exhibendum, quos propheta nominat.

Captivitatem Zionis) De *Zione* viſum ad Pſ. præcedentem. Vox שיבה eſt *ἁπαξ λεγομενη*. Dubium eſt, an derivanda a שוב *reducere*, an a שבה *captivum ducere*. Prius ſuadet inſertum י, poſterius vero conſtructio cum verbo שוב, quod alias frequenter cum voce שבות ſolet componi Deut. XXXII: 3. Job. XLII: 10. Pſ. XIV: 7. LXXXV: 2. In poſteriori derivatione vertendum eſſet per *captivitas*, in priori per *reductio*. Non male utrumque in hac eleganti paronomaſia conjungitur. Populus enim Dei poteſt dici *captivitas*, id eſt, perſonæ in omni emphaſi *captivæ*, non ſolum quando prælio victi in externam captivitatem ſunt abducti, ſed etiam quando per eccleſiaſticum quendam dominatum ita ſunt coërciti, ut libera profeſſio veritatis ſit oppreſſa, utque dura onera illis imponantur, & conſcientiæ eorum vis inferatur, qui ſtatus eſt inſtar captivorum triſtis, ſervilis & probroſus. Ita deſcribitur ſtatus Eccleſiæ ſub Antichriſtianiſmo Joel. III: 3. 6. 7. Alluſum eſt ad captivitatem aut Ægyptiacam aut Babylonicam, quæ utraque typus fuit captivitatis Antichriſtianæ: magis tamen ad ultimam, quia *captivitas Zionis* dicitur. Iidem autem poſſunt dici *reductio*, quia in id deſtinati, ut reducerentur ſecundum promiſſiones Dei, quas ille ratas faciet. Confer prophetiam Zephan. III: 20.

Fueramus ſicut ſomniantes) τὸ היינו præteritum deſignans pleriſque interpretibus anſam dedit, ut enallagen temporis commate ſequenti ſtatuerent, & futura in præterita mutarent. *Schmidius* autem in hac voce enallagen ſive ellipſin ו converſivi ſtatuit, vertendo: *erimus*. Sed neutrum neceſſum eſt, ſi tantum per pluſquam perfectum vertatur q. d. *Quando nos ex captivitate reducemur, tum priſtinus ſtatus miſerrimus nobis obverſabitur, quaſi ſomnium fuiſſet.* Ita temporum proprietas ſervatur, cujus ſemper in propheticis habenda ratio. In eo autem differimus ab Interpretibus, ut ſub figura ſomniantium putemus non intelligi ſtatum, in quo tum futuri Zionitæ, quando liberabantur, ſed in quo antea fuerant, antequam liberatio illis contingeret. In quam rem nobis non diſplicet paraphraſis GATAKERI inter alias de hoc loco ſententias propoſita Adv.

Miſc.

Digitized by Google

Miſc. II: 10. *Iſtic una cum captivitate ipſa, moleſtia memoria omnis avolaverat, nec in ea amplius herebat reducum animus; ſed quaſi nec extitiſſet unquam, pra gaudii magnitudine abſorpta penitus, & ex animis etiam & cogitationibus obliterata prorſus videbatur. Quo modo de puerpera prolem maſculam jam enixa Chriſtus* Joh. XVI: 21. *parturientis dolorum, licet acerrimi fuerint, pra gaudio, quod de partu edito jam concepit, nec reminiſcitur quidem.* Sicut enim de proſperitate, quæ ad tempus adfuit & cito evaneſcit dicitur Jobi. XX: 7. *Ut inſomnium avolat, neque inveniunt ipſum; & diſjicitur ut ſpectrum noctis*, ita idem quoque de tranſitoria afflictione populi Dei dici poteſt. Sed & nihil obſtat, quominus conſuetum ſymbolum ſomniantium hic ſervemus, quatenus nempe ſolet deſignare tales, qui ab initio maximi beneficii, quod exſpectationem omnem ſuperat, ſtupentes & quaſi ſomniantes hærent, qui nondum audent credere, quæ vident atque audiunt, ſed pro ſomnio ea reputant. Hanc metaphoram interpretes ad h. l. ſatis illuſtrarunt, quibuſcum conferri poteſt BOCHARTUS Hieroz. P. I. lib. I. c. 8. & GATAKERUS l. c. Agnoſcunt ergo Zionitæ ſtuporem ſuum; in quo ad tempus hæſerunt, cum Jehova adeſſet, ut eos liberaret, ex ignorantia conſilii ejus & carnis in credendo debilitate, a quo tamen ſtupore mox per actualem redemtionem exſolvendi, atque ita lætitiis ſummis inceſſuri erant.

VERSUS. 2.

Tunc) Remittente ſcilicet ſtupore, cum actu ſe præter omnem exſpectationem liberatos ſenſuri eſſent.

Implebitur riſu os noſtrum) *Riſus* uti effectus eſt gaudii, ita in ſacris nonnunquam ponitur pro gaudio fidelium in Domino per Spiritum ſanctum Jerem. XXX: 19. Luc. VI: 21. Id indigitatum eſſe per riſum Iſaaci ipſe *Philo* agnovit, uti locis ex eo adductis docent *Morus*. & *Petitus* Obſ. Miſc. II: 18. Sigillatim id convenit gaudio tali, quod fideles non gerunt in pectore clauſum, ſed etiam aliis communicant: quodque rem

plane

plane inexſpectatam & ſimul hoſtibus probroſam pro objecto habet. Nam ridere paſſim ponitur pro irridere, & non ſolum hoc ſenſu Deo tribuitur Pſ. II: 4. XXXVII: 13. ſed etiam piis Pſ. LII: 8. *Os impletum riſu* gaudii illius magnitudinem exprimit, ut Job. VIII: 21. Maxima certe gaudii materies ſubnaſcitur piis, quando talis captivitas ſolvitur, quæ non ſolum corporibus ſed etiam animabus incubuit.

Et lingua noſtra jubilo) Per exergaſiam in ſacris conſuetam hoc dicitur, ita tamen, ut non mere res eadem per ἐπιμονὴν mutatis inculcetur verbis, quemadmodum GEIERO videtur, ſed ut plus ſimul exprimatur, quam præcedenti phraſi dictum erat. רנה enim ſeu *jubilum* eſt vociferatio ſeu cantus, qui riſum ſequitur in lætis occaſionibus, quæ poſt triſtiora fata emergunt Pſ. XXX: 6. XLII: 5. CXVIII: 15. Tale jubilum Eccleſiæ ab Antichriſtianiſmo liberatæ tribuitur Jeſ. XIV: 7. XXXV: 10. Cum autem argumentum cantus fidelium ſit celebratio Dei, qui ſuas perfectiones in liberatione Eccleſiæ exſeruit, hinc indigitatur, pios non ſolum gaviſuros in bono, quod iis contigit, ſed etiam gratitudinem erga Deum teſtaturos, eique beneficia exhibita in ſolidum accepta relaturos eſſe. Innuitur ergo hic canticum novum, ſeu canticum Moſis & agni per citharoedos ſpiritualis decinendum. Pſ. LXVIII: 26. 27. Jeſ. XII: 5. 6. XXVI: 1. XCVIII: 1. Apoc. XIV: 2. XV: 3. Inſtrumentum jubili ſeu cantici eſt *lingua*, quæ eo *repleta* dicitur, quando non ſolum ampliſſima laudis materia eſt præſtita, ſed etiam omnes facultates & vires ad Deum celebrandum impenduntur.

Tunc dicent inter gentes) גוים aliquando deſignare gentiles in oppoſitione Judæorum notum eſt. Num. XXIII: 9. Jeſ. XLIX: 6. Hinc transfertur, ad quoſcunque homines carnales, populo Dei adverſos, atque idololatriæ Spiritualis reos, quales præciſe ſunt Antichriſtianiſmi aſſeclæ Pſalm. X: 16. Apoc. XI: 2. *Inter* illas occurrunt *dicentes*. Confer Pſ. XCVI: 3. 10. Qui cum diſtinguantur a choro populi Dei ex captivitate liberati, innuitur, quod hi dicentes ex ipſo gentium numero excitandi

ſint

Digitized by Google

ſint. Atque adeo hic innuitur, fore ut ex ipſis gentibus Antichriſtianis quidam convertendi, atque ad celebranda magnalia Dei excitandi ſint Jeſ. XIX: 18.

Magnificavit Jehova faciendo cum ipſis) Phraſis הגדיל לעשות apte poſſet reddi *magna facere faciendo*, uti Joel. II: 20. 21. עשה aliquando eſt illuſtri modo *benefacere* Jeſ. V: 4. 1 Sam. XII: 6. 7. Sigillatim quando conſtruitur cum vocula עם. Sic Gen. XL: 14. Illi, quibus Jehova hic benefecit, diſtinguuntur ab iis, qui propterea Deum laudant. Cum igitur per illos nequeant alii intelligi, quam liberati e Zione, hinc qui hæc dicunt ſunt ipſe converſarum gentium chorus, quibus oculi ſunt aperti, ad agnoſcendam ſalutem populo Dei exhitam. In hac beneficentia ſimul conjunctam agnoſcunt magnificentiam. To הגדיל 1. ſimpliciter poteſt deſignare *magna facere* cum emphaſi, qualia facit Deus, quando inſignibus operibus & miraculoſo modo opem populo præſtat 1 Sam. XII: 24. Jeſ. XXVIII: 29. Speciatim de liberatione ex Babylone Joel II: 20. 21. Declaratur igitur, Deum modo plane miraculoſo quoque liberaturum Eccleſiam ex Antichriſtianiſmo. Hoc ſpeciatim miracula Dei in Ægypto patrata figurarunt. 2. Poſſet etiam intranſitive ſumi, pro *magnificavit* ſe, *extulit* ſe: quod in malo ſenſu de hoſtibus Dei uſurpatum Jerem. XLVIII: 26. 42. in bono ſenſu Deo competit, qui revera magnalia ſua eum in finem facit, ut nomen ejus magnum agnoſcatur & celebretur. In hac magnificentia per beneficentiam totum latet ſalutis myſterium. Sicuti hic ſcopus eſt totius operis gratiæ, in quo Deus omnia agit εις επαινον δοξης της χαριτος αυτου, Eph. I: 6. ita idem quoque finis eſt omnium beneficiorum & liberationum particularium, quæ generali illi ſcopo ſubſerviunt. Hoc qui agnoſcunt in populo Dei fieri, illi ipſi jam acceperunt illuminatos mentis oculos.

VERSUS. 3.

Magnificavit Jehova faciendo nobiſcum) Aſſurgimus hic *Schmi-*

dio,

dio, qui obſervat Hebræos & Chriſtianos Interpretes hæc quoque communiter tribuere Judæis, cum tamen nulla ſit ratio, quare hic abrumpendus ſit ſermo gentilium. Quare, qui hunc Pæana canunt, ſeſe in communionem hujus felicitatis cum Zionitis veris vocatos eſſe confitentur.

Extitimus læti) Ita non ſolum in communionem beneficiorum ſed etiam officiorum & ſigillatim lætitiæ ſpiritualis gentes veniunt.

VERSUS. 4.

Reduc, Jehova, captivitatem noſtram) Id, quod pii ab initio Pſalmi futurum præviderant, hic a Jehova expetunt: unde patet perſonas, quæ loquuntur, adhuc illa captivitate preſſos teneri, ſed nihilominus promiſſionibus Dei veracis ac fidelis fidem adhibere, easque in fundamentum precum ſuarum ponere. Sic faciebat Daniel decurrentibus annis captivitatis Babylonicæ c. IX: 2. 3.

Sicut alvei) Vox אפיקים deſignant & torrentes, & alveos quibus illi continentur. Utrumque quadrat. Torrentes reducuntur, alvei reducunt. Plerique Interpretes in bonum ſenſum interpretantur ſymbolum torrentum, quaſi deſignarentur aut ipſi Iſraelitæ reſtituendi alveis ſeu ſedibus prioribus, aut torrentes gratiæ, per quos deſertum in ſtagnum aquarum ponendum. Sed reductio torrentum in alveos eſt allegoria deſumta ab aquis, quæ extra alveos egreſſæ graves incubuere circumjacentibus regionibus, & intra terminos ſuos exercitæ terram liberam præſtant. Quare aptius eſt, ut torrentes hic conſideremus tanquam ſymbolum ipſorum Eccleſiæ hoſtium, quos etiam Pſ. CXXIV: 5. ſpiritus ita conſideraverat. Quare potius hic alluſum putem ad graviſſimas Euphratis inundationes, de quibus Arrianus Exped. Alex. VII: 21. *Euphratem, ait, ex montibus Armeniis fluentem hyberno tempore intra ripas labi, utpote non multum aquæ trahentem; ineunte autem vere & multo magis*

gis ſub ſolſtitium æſtivum grandem incedere, ripiſque ſuperatis Aſſyriorum campos inundare. Tunc enim nives in Armenia montibus liquatas aquas ejus mirum in modum augere, atque ita in magnam altitudinem elatum univerſam circumjectam regionem obruere. Quibuſcum conferri poſſunt, quæ STRABO Geogr. lib. XV. notat de foſſis & divergiis Euphratis, in quæ aquæ ejus hac ipſa de cauſſa abducendæ ſunt, quam in rem immenſi ſumtus præcipue a Nebucadnezare ſunt impenſi. Confer Prideaux Hiſt. Jud. 1 Part. lib. II. p. m. 184. ſq. Cum tali inundatione Jeſ. VIII: 7. 8. captivitas Iſraëlis per Aſſyrios abducti confertur. Et hoc emblema egregie convenit Babeli myſticæ, quæ ad inſtar Babylonis literalis ad ripas Euphratis exſtructæ conſideratur tanquam *ſedens ſuper aquas multas* Jeſ. LI: 12. Apoc. XVII: 1. quæ vs. 15. explicantur eſſe *Populi & Turba & Gentes & Linguæ.* Confer quæ ad illum locum erudite Cl. VITRINGA notavit. Adde GIFFENIUM in Ezech. XLVIII: cap. VIII. & ſq. Atque ita reductio captivitatis populi Dei ad inſtar torrentis in alveum reducti indicat, eam fore per ſingularem potentiam Dei impetum torrentis hoſtium Eccleſiæ frangentis, eoſque per varios quaſi alveos ita dividentis, ut nocere ei deſinant, quod ſigillatim fit per diſcordias inter ipſos hoſtes ſuſcitatas, ſecutura aliquando plena Euphratis exſiccatione Apoc. XVI: 12.

In meridie) Intelligendum hoc non de tempore meridiei, ſed de plaga meridionali, idque non Judææ, ſed regni Babylonici, quam Babylon ipſa ad Euphratem ſita occupabat, cum maxima pars Judæorum a Nebucadnezare in Meſopotamiam ad flumen Chebar eſſet poſita, quæ verſus ſeptentrionem & occidentem Babylonis ſita eſt. Sed & in antitypo ſedes regni Antichriſtiani meridiem occupat.

VERSUS. 5.

Seminantes in fletu) Nihil frequentius in ſacris, quam ab agricultura, quæ magno in pretio apud veteres & ſigillatim

Digitized by Google

in Canaane fuit, emblemata & allegorias ſumi ad Miniſterium verbi in Eccleſia figurandum. In hac igitur allegoria ſeminantes frequenter adumbrant Doctores Jeſ. XXXII: 20. Eccl. XI: 6. Joh. IV. 37. PLUTARCHUS de lib. educandis p. m. 2. *Quemadmodum ad agriculturam primum requiritur bonum ſolum, deinde peritus colonus, denique ſemina frugis, ita plane hic natura ſolo, agricolæ magiſter, ſemini præcepta atque inſtituta reſpondent.* Vide plura de hoc emblemate a nobis notata ad Joh. IV. l. cit.

In fletu) דִּמְעָה deſignat *lacrymam.* Philologi obſervant ſingularem collective ſæpe adhiberi pro plurali, ad deſignandam copioſam lacrymarum ebullitionem, quæ ob perennem fluxum unam tantum lacrymam conſtituere videntur. Fletus riſui eſt oppoſitus tanquam indicium ſummæ triſtitiæ, qua laborat ſeminator, quando tempeſtas eſt minus favens, & terra minus culta, & ſeminis adeſt caritas, & ſegeti imminent hoſtes, unde metus adeſt, ne fruſtraneus labor impendatur. Depingitur ergo ſtatus Eccleſiæ adhuc captivitate preſſæ, in qua Deus excitaturus Doctores, qui laborem multum impendent, ut ſemina veritatis adhuc reſidua aliorum inſtillent animis, verum tempore per afflictiones adeo turbido & mentibus hominum ob ſeculi perverſitatem adeo ſterilibus ac male diſpoſitis, ut inde metus laboris fruſtra impendendi oriatur. Conferri hic debent *teſtes duo prophetantes* 1260. *diebus amicti ſaccis* Apoc. XI: 3.

Cum jubilo metent) Quomodo meſſis exprimat effectus verbi prædicati ſalutares per converſionem eorum, quibus doctrina Evangelii proponitur, docemus ad Joh. IV: l. cit. Tempus liberationis ex Antichriſtianiſmo aliquando meſſi comparatur Joel III: 13. Apoc. XIV: 16. Verum ibi Viri docti non tam meſſem ſalutarem per converſionem, quam nocivam per hoſtium exciſionem indigitari putant. Quid ſit רִנָּה *jubilum*, oſtendimus ad vs. 2. Lætitia *meſſi* & *meſſoribus* eſt propria Jeſ. IX: 2. Feſtiva ſane meſſis tempora tum apud Judæos, tum apud alios

alios populos erant. Et in nummis veterum meſſem lætitiæ publicæ ſymbolum eſſe, docet TRISTANUS Comm. Hiſt. Tom. I. p. 580. 581. Nulla ſane major tum gaudii ſpiritualis tum laudum materia Doctoribus Evangelii exſurgit, quam cum prædicationem verbi efficaciam habere ultra ſpem in animis auditorum conſpiciunt 1 Theſſ. I: 2-5. II: 19.

VERSUS. 6.

Eundo ibit) Ire eſt ſeminatorum, qui totum agrum, quem conſerunt, permeant, ne qua pars temere vacua relinquatur. Deſignantur ergo Doctores tales, qui procul habita omni carnis ſocordia, varias regiones & gentes circumeunt, ad ripas quaſi omnium aquarum ſeminando. Porro *ire* oppoſitum *τῳ* בוא quod ſequitur, idem eſt ac *exire*: quia nempe illis Doctoribus, de quibus hic agitur, exeundum ex populo & domo Patris ſui Pſ. XLV. ex Babylone Apoc. XVIII. Singularis adhibetur: *ibit*, ob raritatem bonorum Mich. VII: 2. Apoc. III: 4. Duplicatio verbi indicat viæ continuationem. Doctorum horum itinera itidem ſingulari patientia & conſtantia erant continuanda, laborque licet ad tempus fruſtraneus identidem repetendus. Huc ſpectat Eccl. XI: 6. *Mane ſere ſemen tuum & veſpere ne remittito manum tuam.*

Et flendo) בכה deſignat fletum cum elevatione vocis & querela conjunctum. Tanta ergo triſtitiæ magnitudo indicatur, ut in ſonos lamentabiles & ejulatus prorumpat, tam coram Deo in precibus, quam coram hominibus in publica moeroris teſtificatione. Quidam exiſtimant, ellipſin hic eſſe, quaſi diceretur: & *flendo flebit*. Sic indicaretur continuatio triſtitiæ. Sed & conſtrui poteſt hoc gerundium cum *ibit*, ut indicetur magna vis conſtantiæ in his Doctoribus, qui licet in triſtiſſimis circumſtantiis poſiti, in ſeminando tamen indefinenter pergent.

Portans protractionem ſeminis) Semen eſt commune ſymbolum Verbi Dei Matth. XIII: 22. 23. 1 Petr. I: 23. Jerem.

Digitized by Google

XXIII: 28. Apud ÆLIANUM quoque Var. Hiſt. IV: 10. *μεγιϛα εις φιλοσοφιαν σπερματα* nominantur dogmata Platonica. Circa doctrinam Evangelii emblema hoc valde emphaticum eſt. Illa enim 1. inſtar ſeminis exigui vilis eſt & deſpecta ſapientiæ carnis: 2. vim vitæ occultam in ſe continet: 3. quam exſerit, quando in bona terra cordis per Spiritum ſanctum diſpoſiti recipitur: 4. mediantibus radiis ſolis juſtitiæ & pluvia operationum Spiritus: 5. quarum cauſſarum concurrens operatio eſt opus admirandum & occultum: 6. atque ita fructum profert bonorum operum gratum Deo, utilemque Eccleſiæ. ה præfixum hic eſt emphaticum, & deſignat ſemen pretioſum. Quid ſit *protractio ſeminis* dubitatur. ALTINGIUS Op. Tom. II. explicat per ſemen, quod ſubtractum eſt uſui quotidiano & neceſſario, & quaſi ex ore ejus & domeſticorum abſtractum, unde tam amaræ lacrymæ. Optime hoc illuſtravit GEJERUS, conferendo locum Amos. IX: 13. ubi radix משך de ſemine uſurpatur: *Attinget arator meſſem & calcator uvarum* במושך הזרע *extrahentem ſemen.* Accedit ei GOUSSETUS dicens: *Eſt ſeminis jacti deſcriptio, quatenus manu e ſacco depromtum jacitur in longam ſeriem juxta ſulci ductum.* Nec incongrue ABEN EZRA de vaſis ſeminis explicat, quando ait: *Captivi ſunt ſeminantes, qui cuſtodiunt legem, vaſa ſunt corpora vel anima.* Intelligi ergo poteſt vel de ſacco, ex quo ſemen depromitur, vel de ipſo ſeminis jactu. Prius tamen magis videtur requirere nexus, quia משך *portatur.* Atque ita innuitur, ſeminatorem, qui hic introducitur largam ſatis copiam ſeminis boni veritatum Evangelicarum in corde puro poſſidere, ex cujus theſauro bono iſtud depromit.

Veniendo veniet) Sicut הלך deſignabat *exitum*, ita בוא hic capiendum de *reditu* & *introitu* in horrea Eccleſiæ, tranquillitate reddita, locisque ad liberum Dei cultum conceſſis.

Cum jubilo) Vide vers. 2. & 5. Non temere inſtituitur hæc repetitio, quia per illam indicatur celebrationis nominis divini continuatio & univerſalitas. Jubilant jam in metendo: multo magis jubilare pergunt in horrea fruges comportando.

Per-

Digitized by Google

Portans faſciculos ſuos) אלמה eſſe faſciculum ex ſpicarum demeſſarum certa proportione colligatum, conſtat ex ſomnio Jacobi Gen. XXXVII: 7. Ex eodem quoque petere licet ſignificationem hujus metaphoræ. Illic enim *faſciculi* ſeu *mergites* ſymbolum ſunt ſingularum tribuum Iſraëlis, ſive tot ſocietatum & coetuum ejuſdem populi Dei certis legibus inter ſe colligatarum. Talium ergo faſciculorum colligatio deſignat erectionem novorum coetuum ordiniſque & diſciplinæ eccleſiaſticæ reſtaurationem Pſ. CVII: 36. 37. Jeſ. LVII: 13. Pſ. XXIII: 5. Hos faſciculos meſſor non ſolum colligavit, ſed etiam *portat*, ut fidelis diligenſque Doctorum cura indigitetur, quâ illos, quos Domino lucrati ſunt, provehere ulterius satagunt, ut ita plena ad Deum laus per eos redeat. Cum autem faſciculi non tam portari, quam plauſtris vehi ſoleant, hinc videtur ſpeciatim alluſum eſſe ad tales faſciculos, qui ſtatim a meſſis initio ſegregari debebant ad *Omer primitiarum* coram Deo agitandum Levit. XXIII: 11. De quo Judæi docent, quod tres faſciculi ſegetis & quidem hordeaceæ in atrium afferendæ, ut ex illis ventilatis, toſtis, molitiſque Omer unus coram Deo verſus omnes mundi plagas porrigeretur, ac deinde partim aræ, partim ſacerdotibus daretur, ante quod fertum nemini licitum erat far recens guſtare. Ita deſignaretur hos priores coetus fore primitias, Deo ſacras, poſt quarum oblationem plena meſſis adhuc in fine ſeculi exſpectanda erat.

Nihil magis ad temperandam ſeminatorum triſtitiam facere poterat, quam ita lætus eventus. Simili parabola ad patientiam Doctores Eccleſiæ excitat Jacobus c. V: 6. 7. Neque obſtat, quod perſonæ videantur diverſæ eſſe, aliaque ætate citeriori viventes, quæ per meſſores adumbrantur. Solet enim Scriptura Prophetica tanquam eaſdem conſiderare, quæ eodem Spiritu aguntur, eandem cauſſam agunt, eandemque imaginem exhibent, ita ut in iis præcedentes Doctores quaſi revixiſſe videantur. Confer reſuſcitationem myſticam duorum teſtium Apoc. XI: 11.

IM-

Digitized by Google

IMPLEMENTUM.

§. I. Antequam Deo placeret jugum improbitatis Antichriſtianæ frangere præceſſerunt tempora diuturnæ captivitatis populi Dei, quæ omnia dura in antitypo habebant, quæ unquam Iſraël aut in Ægypto aut in Babele pertulerat. Vis conſcientiæ inferebatur. Si quis auderet veritatem profiteri ei vincula, tortores, ſupplicia imminebant. Ad hos captivos referimus totum gregem Waldenſium, Albigenſium, Wicleſitarum, Huſſitarum, alioſque, qui teſtes veritatis poſt Hildebrandinam captivitatem Eccleſiæ inductam fuere, quorum tamen vires ita exiguæ erant, ut nihil plane de liberatione populi Dei unquam ſperandum videretur: præcipue cum tot conatus ad reformationem Eccleſiæ tendentes irriti redderentur, Concilio Baſileenſi, Florentino, Conſtantienſi, Piſano, Cæſaris Principumque exſpectationem identidem fruſtrantibus.

§. II. Fuere tamen, qui tum quoque nondum omnem ſpem abjecerunt, ſed promiſſionibus verbi Prophetici corroborati præſenſerunt futuram Eccleſiæ liberationem ampliſſimam, cujus diverſi characteres hic exhibiti eventui reſponderunt. Hic præſenſus fuit in JOANNE A RUPE SCISSA Sec. XIV., quem Papa tenebat vinctum in caſtello Avenionenſi propter res miras, quos eventuros ille dicebat, præſertim ſuper Prælatos in Eccleſia, ob immenſum luxum & ambitionem, quibus dediti erant: quæ omnia ſe probaturum ajebat per Apocalypſin & veteres libros ſanctorum Prophetarum, qui ipſi per gratiam Spiritus Sancti eſſent retecti. Idem præſenſit ANDREAS PROLES, qui Lipſiæ ſub initio ſec. XVI. ſæpe dixiſſe fertur: *Res Chriſtiana opus habet magna & forti Reformatione, quam quidem jam prope inſtare video.* Ipſi Friderico MYCONIO opus Reformationis in ſomnio ſub ſymbolo meſſis A. 1510 exhibitum eſſe narratur. Qua ſpe impleti omni modo eam promovere anniſi ſunt, præcipue precibus & doctrina.

§. III. Excitavit ſane Deus Doctores licet paucos & ſingulos,

los, eximios tamen, qui alii alios exceperunt, atque ſemen veritatis conſtanter conſervarunt. Talis ſeculo XII. fuit Petrus Waldus, civis Lugdunenſis, Henrici Albigenſis & Petri Bruiſii veſtigia ſequens, de quo ipſi hoſtes conqueruntur, quod Apoſtolorum officium ſibi uſurpaverit, prædicans ubique & mittens ſuos ad prædicandum. Quam purum autem fuerit ſemen hoc, ipſe Reinerius inquiſitor teſtatur, dum ait, *Leoniſtas bene omnia de Deo credere* & *omnes articulos, qui in ſymbolo continentur; ſolam autem Romanam Eccleſiam blaſphemare & odiſſe.* Secutus Wiclefus, qui ſcriptis multis idem ſemen ſparſit, atque adeo longos ejus tractus fecit, ut etiam in Bohemiam penetraret. Quam in rem non parum fecit Bibliorum in linguas vernaculas verſio in Gallicam a Waldo, in Anglicam a Wiclefo inſtituta. Neque fruſtratus eorum ſucceſſus Joannem Huſſum, Hieronymum Pragenſem, Joannem Weſſelum Ganſfortum, Hier. Savonarolam, & alios abſterruit, quo minus in eadem ſeminatione pergerent.

IV. Verum hæc opera cum fletu & ejulatu erat conjuncta. Dira enim plane erant illa tempora & horrendæ perſecutiones motæ ac per integra ſecula continuatæ ſunt contra illos, qui veritatis patrocinium ſuſceperunt: quo ſpectant expeditiones cruciatæ, tribunalia inquiſitionis, Wiclefiſtarum proſcriptio & Martyria, Huſſitarum lanienæ & excidia. Unde omnia plena lacrymis & ejulatu confeſſorum opem & vindictam Dei implorantium.

§. V. Poſt probatam ita confeſſorum veritatis conſtantiam tandem opus Reformationis plene perrupit. Omnia ita miraculoſe geſta, ut opus Dei eſſe non dubie potuerit agnoſci, quo pertinet, *quod* Reformatio illa in nervum erupit tempore maxime infeſto, quando potentia Antichriſtiana & corruptio Eccleſiæ cacumen attigerat: *quod* per organa primo pauca & coram mundo contemtibilia: *quod* per media carnis conſilio contraria: *quod* multis eventibus ſtupendis ex hiſtoria eruendis inſignis. Præcipue huc ſpectat celerrimus Evangelii progreſſus, adeo ut inter gentes & a gentibus, quæ populum

Digitized by Google

Dei captivum tenuerant, magnalia Dei celebrarentur. Non abſona ab argumento Pſalmi noſtri ſunt verba LUTHERI in Geneſ. XLI. *Conſiderate noſtrum exemplum, quam tenues & parvarum virium fuerimus ab initio adverſus Papam. Erant tum ſuſpiria noſtra tenerrima inſtar virgulæ fumi, cujus fit mentio in Canticis. Tantam vero lucem & gloriam non audebamus ſperare, quantam hodie cernimus; quod Evangelium humiliat Papæ poteſtatem & frangit tyrannidem Diaboli, tot hominibus ex poteſtate tenebrarum ereptis.* Ita nempe brevi factum, ut voces laudantium in Helvetia, Germania, Hungaria, Polonia, Tranſſylvania, Gallia, Anglia, Scotia, regnisque reliquis ſeptentrionalibus audirentur. Meſſe adeo ampla matureſcente manipuli ſunt facti, coetusque plurimi erecti, qui gaudium maximum ſuis inſtructoribus crearunt.

USUS.

§. I. Pſalmus hic quam maxime inſervit ad conſtantiam & patientiam fidelium in maximis etiam tentationibus & afflictionibus, tum privatis, tum Eccleſiæ publicis. Nunquam deſpondendus animus, licet impoſſibilis carni videri poſſit liberatio, quia in miraculis Reformationis Deus oſtendit, nihil eſſe ei impoſſibile. Sic etiam fideles Dei Miniſtri, licet littus arare & conſerere videantur, de ſucceſſu tamen aut cito aut tardius deſperare non debent. Tempora auxilii divini per ſapientiam ejus ſunt poſita.

§. II. Eruantur etiam officia, tum quæ ſub afflictionibus tum iis finitis obſervanda.

§. III. Ad priorem claſſem pertinent 1. Promiſſionum Dei de futura liberatione fidelis conſideratio, ut ita per futuræ ſalutis magnitudinem ſenſus præſentis oppreſſionis diminuatur. 2. Preces pro ſalute Eccleſiæ fundendæ. 3. Incitatio aliorum ad perſeverantiam. Miniſtris etiam Evangelii ſigillatim incumbit, ut in ſeminando omnem diligentiam adhibeant, atque eum

Digitized by Google

eum in finem pectora getant ſemine bono impleta, neque per moleſtas operis circumſtantias unquam deterreantur.

§. IV. Ad poſteriorem claſſem referri poſſunt 1. lætitia in Spiritu ſancto. 2. Celebratio beneficentiæ & magnificentiæ Dei. 3. Studium eoſdem affectus & motus in aliis quoque excitandi.

§. V. Miniſtrorum Evangelii eſt, non ſolum in ſerendo, ſed etiam in metendo operam ponere. Uti prius fit, quando poenitentiam & fidem prædicant, ita poſterius, quando rite attendunt ad effectus, quos verbum eorum in animis hominum habuit, atque opus Domini in converſis promovere quærunt, quem in finem faſciculos per ſtudium concordiæ & exercitium diſciplinæ colligare, curaque perpetua portare debent.

ANALYSIS Pſalmi CXXVII.

שיר המעלות לשלמה אם־יהוה לא־יבנה בית שוא עמלו בוניו בו אם־יהוה לא־ישמר־עיר שוא שקד שומר׃	1. *Carmen graduum Salomonis. Si Dominus non ædificet domum, fruſtra laborarent coædificantes eam. Si Dominus non cuſtodiat civitatem, fruſtra vigilat excubitor.*
שוא לכם משכימי קום מאחרי־שבת אכלי לחם העצבים כן יתן לידידו שנא׃	2. *Fruſtra vobis eſt, qui mane ſurgitis & tardè ſedetis, editis panem dolorum. Sic dat dilecto ſuo ſomnum.*
הנה נחלת יהוה בנים שכר פרי הבטן׃	3. *Ecce hæreditas Domini filii, & merces fructus ventris.*

Digitized by Google

כחצים ביד-גבור כן- בני הנעורים:

4. *Ut tela in manu herois, ſic filii juventutis.*

אשרי הגבר אשר מלא את--אשפתו
מהם לא-- יבשו כי-- ידברו
את-אויבים בשער:

5. *Beatus vir, qui implet pharetram ſuam illis. Non pudeſient, quando loquentur cum hoſtibus in porta.*

§. I.

INſcriptio Pſalmum hunc Salomoni attribuit, non quaſi Salomoni a Davide eſſet traditus, ut multi volunt, ſed quia ipſe Salomo ejus author eſt, ſecundum conſuetam talium inſcriptionum ſignificationem. Unde & Chaldæus recte: *Per manum Salomonis.*

§. II. Anſa apta ei ſubnata eſt per templi initiationem, quæ facta eſt ſeptimo menſe in feſto tabernaculorum 1 Reg. VIII: 2.

§. III. Qui hic in Oeconomicæ politicæque felicitatis deſcriptione ſubſiſtunt, nimis humiliter ſentiunt de Pſalmo publico Eccleſiæ uſui deſtinato, in quo vix cogitandum eſt, Regem ſapientiſſimum felicitatem numeroſæ prolis adeo exaggerare voluiſſe. Aliud ſuadet & nexus hujus Pſalmi cum reliquis Canticis graduum, & mentio Salomonis ſub nomine Jedidja, in quo excellens Meſſiæ typus fuit. Non longe ergo a veritate abſuit KIMCHIUS, qui tres diverſas dat Pſalmi expoſitiones, inter quas ſecunda eſt *de Chriſto, qui dictus eſt Salomo in Canticis.* Unde & ad verba *Surgentes diluculo*) notat: *Roma primo ſubjugavit Jeruſalem & Iſraël ſequebatur, ſed Chriſtus dilectus Dei facillime quaſi ſomno eos ſubjugabit.*

§. IV. CALOVIUS non de templo Domini ſed de domo privata hic agi aſſerit, hoc argumento, quia nullum indicium eſt, de Templo Domini hic agi: mentio fit generatim domus,

non

non vero domus Domini, nec domus dicitur cum He demonſtrativo. Verum nec opus eſt, ut per domum hic intelligatur Templum aut antitypus ejus, vera Eccleſia, cum aptiſſime hic cogitari poſſit de tali *domo* & *civitate*, quæ domui & civitati Dei eſt oppoſita.

§. V. Argumentum enim hujus Pſalmi in eo verſatur, ut ſibi invicem opponantur inanes labores eorum, qui domum domui ſapientiæ contrariam ædificare & civitatem ſpiritualis Babelis cuſtodire quærebant, & felix operis Chriſti, ejusque contra hanc civitatem moliminis ſucceſſus.

§. VI. Artificium ergo Pſalmi ita ſe habet, ut introducatur membrum aliquod veræ Eccleſiæ, quod intuens labores & curas in Eccleſia Antichriſtiana ad ſe defendendum contra incurſus teſtium veritatis, eos inanes fore, & hoc non obſtante opus Domini per filios eos maſcule pro veritate decertantes eousque progreſſurum, ut in ipſa quoque porta adverſæ illius civitatis ſint conſtituri.

Duæ ergo partes generales ſunt hujus Pſalmi

I. Fruſtraneus labor adverſariorum regni coeleſtis Salomonis deſcribitur vs. 1. 2. p. pr. Iſque triplex

A. Ædificantium domum vs. 1. p. pr. *Si Jehova non ædificabit domum, fruſtra laboraverunt ædificatores ejus in ea.*

B. Cuſtodientium urbem vs. 1. p. poſt. *Si Jehova non cuſtodiet urbem, fruſtra vigilavit cuſtos.*

C. In operibus diurnis verſantium vs. 2. p. pr. *Fruſtra vobis matutinantibus ſurgendo, retardantibus ſedendo, edentibus panem dolorum.*

II. Felicior ſucceſſus operis Domini vs. 2. p. poſt. -5.

A. Eventus certus, quem iſtud, fruſtra in contrarium nitentibus hoſtibus Meſſiæ eſſet habiturum v. 2. p. poſt. *Sic* (vel *Certe*) *dabit Dilecto ſuo ſomnum.*

B. Inſtrumenta, per quæ Meſſias hunc ſucceſſum erat obtenturus vs. 3-5. Illa

1. Quaſi digito monſtrantur vs. 3. *Ecce hæreditas Jehovæ filii, merces fructus ventris illius.*

2, Aptitudo eorum ad felicem ſucceſſum obtinendum deſcibitur vs. 4. 5. Et quidem ita

a. Ut aptitudo illa ſub eleganti allegoria in ſe deſcribatur vs. 4. *Ut ſagittæ in manu herois, ſic filii juventutum.*

b. Ut ea propter gratulatio inſtituatur ad horum inſtrumentorum poſſeſſorem vs. 5.

α. Gratulatio ipſa de poſeſſione vs. 5. p. pr. *Beatitudines Viri illius, qui implevit pharetram ſuam ipſis.*

β. Cauſa hujus gratulationis ſperatus eſt eventus, deſcriptus

א. Negative vs. 5. med. *Non pudeſient.*

ב. Poſitive vs. 5. fin. *Quia loquentur cum hoſtibus in porta.*

NOTÆ EXEGETICÆ

VERS. 1.

Si Jehova non ædificabit domum) Non putem per domum hic ad Templum reſpici aut intelligi veram Eccleſiam, quia in relatione ad hanc domum deſcribuntur fruſtra laborantes, de auxilio Jehovæ incurii, quorumque curæ omnes in vanum evaſuræ declarantur. Potius ergo hic intelligenda eſt *domus improborum* & *ſtulti*, *quæ domui juſtorum* & *prudentis* eſt oppoſita Prov. III: 33. XII: 7. XIV. &c. Sigillatim Antichriſtianiſmo *domus* adſcribitur, ſed quæ *domus maleficorum* appellatur Jeſ. XXXI: 2. & *domus meretricis* Prov. V: 8. VII: 8. IX: 14. & *domicilium dæmoniorum* Apoc. XVIII: 3. Cumque hoc ſymbolum *domus* tacite Antichriſtianiſmum opponat Templo veri Dei, hinc ſigillatim ſtatus eccleſiaſticus innuitur.

Eam domum Jehova non ædificabit.) Notum eſt ædificare in latiori ſenſu non ſolum externam domus exſtructionem denotare, ſed etiam quamcunque familiæ in illa domo viventis benedictionem, dando ei ſobolem numeroſam, opes, honores. Deut.

Digitized by Google

Deut. XXV: 9. 1 Reg. II: 24. Prov. XIV: 1. 11. &c. id quod hic eo magis admittendum, quia ita patet, quomodo ultima hujus Pſalmi allegoriam eandem continuent, dum ad ædificationem oppoſitæ domus Eccleſiæ ejus numeroſa & læta proles refertur. Quo ſenſu ipſi Deo *ædificatio domus* piorum adſcribitur Exod. I: 21. 1 Sam. II: 35. 2 Sam. VII: 11. 27. &c. Atque in eo ſe revelat ut Jehova omniſufficientiam ſuam & veritatem in promiſſis probans, utpote qui unicus eſt omnis proſperitatis author, omnium bonorum ſuorum diſtributor, a quo tamen nihil exſpectandum habent, qui eum relinquunt, quia bonitatem ſuam tantum populo ſuo addixit.

Fruſtra laboraverunt ædificatores ejus in ea). Ædificatores Templi olim erant Sacerdotes Pſ. CXVIII: 22. Unde hic quoque aptiſſime Clerus intelligitur omnem operam impendens ut ſtatum Eccleſiæ ſuæ florentem numeroſisque confeſſoribus auctiorem reddat. Sic mulier in Epha ſedens *ſibi ædificat domum in terra Sinear, uti ſtabiliatur & collocetur in baſi ſua.* Zach. V: 11. Hinc Antichriſtus deſcribitur ut *deditus quæſtui malo pro domo ſua, ut diſponat in excelſo nidum ſuum, quo eripiatur e poteſtate mali* Hab. II: 9. Hi introducuntur tanquam *laborantes in ea.* Vox עמל uſurpatur de labore difficili & in dolorem ejus, qui laborat, deſituro Prov. XVI: 26. Eccleſ. I: 3. V: 15. 16. Sic & Antichriſtus deſcribitur Pſ. XCIV: 20. ut *formans laborem ærumnoſum ſuper definitionem*; i. e. labores multos graveſque injungens præter verbum Dei. Verum hic labor eſt *vanus*. שוא denotat & *vanitatem* & *falſitatem* id quod huic labori competit, tum quia veritati verbi divini eſt contrarius, tum quia deſinet in vanitatem, adeoque ſpem laborantis fallet. Sic de Clero Antichriſtiano Zach. X: 2. *Imagines loquuntur vanitatem & divini vident falſum & ſomnia vana loquuntur, vanitate conſolantur.* Hoc præfiguravit exſtructio turris Babylonicæ. Neque aliter poteſt eſſe, quia *Jehova* ita ædificantibus non opitulatur. Nihil enim magis ab iis quam & veracitas & omniſufficientia Jehovæ abnegatur. Et quo modo domus illa ſtabilis eſſet, in qua *conſilium domui pudendum eſt initum*

Digitized by Google

tum ita ut lapis ex pariete exclamet & nodus e ligno teſtificetur iſtud Hab. II: 10, 11.

Si Jehova non cuſtodiet urbem) Frequenter Antichriſtianiſmus ut ſingularis quædam urbs & civitas introducitur Jeſ. XXIII. 16. XXIV: 10. XXV: 2. 3. Apoc. XI: 2. Hæc eſt *urbs in ſanguine ædificata & civitas compacta per injuſtitiam* Hab. II: 12. Et cum hic commemoretur ejus cuſtodia ſpeciatim reſpicitur urbs munita Jeſ. XXV: 2. per Babylonem, Jerichuntem, Niniven, Botzram, Tyrum præfigurata. Symbolum hoc pluribus illuſtravimus Exerc. X. ad Pſ XLV. §. 8. Hic urbs ea domo ſingulari, quaſi templo inſignis opponitur urbi Hieroſolymæ, tanquam ejus æmula, eique imminens. Sicut ergo per *domum* intelleximus ſtatum eccleſiaſticum, ita *urbs* nobis poteſt repræſentare ſtatum politicum, omnemque populum Antichriſtianiſmo ſubjectum. Et quatenus urbs hæc tanquam munita muris ſiſtitur, ſpeciatim Reges atque Principes involvit, qui ſunt quaſi muri & turres hujus urbis Jeſ. II: 15. XXX: 25.

Verum ſecuritas urbis potiſſimum dependet a *cuſtodia Jehovæ.* Nam civitatem habitabilem conſtituere & condere eſt a Deo Pſ. CVII: 36. Adde Pſ. XLVI: 5. 6. 7. Ipſi gentiles inde anſam captarunt fingendi Deos πολιȣχȣς ſeu *Urbium Cuſtodes.* Verum hæc civitas Antichriſtiana præſidio Veri Dei indigna erat, per crimina ſua, populique Dei perſecutionem. *Cuſtos eſt Iſraëlis* Pſ. CXXI: 3. 4. non vero hoſtium ejus.

Fruſtra vigilavit cuſtos) i. *e vigilatum erit a cuſtode.* Cum hic in ſingulari de *cuſtode* ſermo ſit, præfectus præſidii militaris intelligi poteſt. HORAPOLLO Hierogl. 1. 60. *Aliter quoque Regem cuſtodem ſignantes anguem quidem vigilantem jungunt, ſed pro Regis nomine cuſtodem adſcribunt. Hic enim totius orbis cuſtos eſt. Itaque Regem aſſidue vigilantem eſſe oportere.* Licet igitur hic intelligere ipſum Babelis & Tyri myſticæ Regem deſcriptum Jeſ. XIV. Ezech. XXVIII. cuſtos hic *vigilavit.* Id proprium eſt Regum ſumma cum cura attendentium ad pericula ſtatui imminentia, ut illa avertant. PEDO ALBINOVANUS Eleg: 1. 61. *Me*

Me VIGIL, ſumma ſacer ille locatus in arce
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.

Deſignatur ergo Regem Tyri myſtice nihil neglexiſſe humanæ curæ, ut imminens per ſuſcitatos veritatis confeſſores periculum averteret. Sed id quoque fruſtra & in vanum cecidit, quia Jehovam cuſtodem neglexit, ſuiſque viribus confiſus eſt. Irrita hæc ſuperbia deſcribitur Pſ. X: 5. 6. Apoc. XVIII: 7.

VERS. 2.

Fruſtra vobis) Alloquium hic convertitur ad perſonas ab ædificantibus & cuſtode diſtinctas: adeoque ad quoſcunque regni Antichriſtiani ſubditos, quos Propheta convincere ſtudet de fruſtraneo labore, quo exercebantur, ut illos ad deſerendam tyrannidem Antichriſtianam permoveat.

Matutinantibus ſurgendo, retardantibus ſedendo) *ſurgere* & *ſedere* ſæpius alternant eo ſenſu ut prius deſignet accinctum ad opus, poſterius quietem Pſ. CXXXIX: 2. Thren. III: 63. Deſignantur ergo tales, qui ſummo mane ſurgunt ad laborandum, quique operi inſtant cum tanto fervore, ut tardi reſideant ad quietem ſive etiam ad cibum capiendum, uti ſequentia ſtatim videntur indigitare. Hoc emblema eſt duræ ſervitutis, quam ſerviunt in ſpirituali Ægypto ſubditi ejus ab operariis iniquitatis adacti ad labores difficiles jugumque intolerabile geſtandum abſque remiſſione. Hi labores ſunt *ementium & vendentium, nautarum, artificum*, quorum in Babylone myſtica mentio fit Apoc. XVIII. Vanitatem hujus laboris in civitate Antichriſtiana prædicit Habacuc c. II. 13. *Nonne ecce a Jehova Deo exercituum erit, quod defatigabuntur populi pro eo, quod tanti eſt atque ignis? & nationes pro eo, quod tanti eſt atque vanitas, delaſſabuntur?* Confer omnino Jerem. LI: 58. ubi populi Babylonis *præ inanitate laboraſſe, & nationes pro igne, ac defatigatas eſſe* dicitur. Adde Prov. V: 10. 11.

Edentibus panem dolorum) *Panis* generali ſenſu quæcunque alimenta comprehendit. *Panem edere* hinc totum prandium aut coenam ſignificat Gen. XLIII: 24. 1 Sam. XX: 23. Prov. XXIII: 6. Confer VORSTIUM de Hebr. Part. 11. p. 255. ſq. *Panis dolorum* eſt vel cibus in multis doloribus manuum acquiſitus, vel qui cum anguſtia comeditur, ſive quia non ſufficit ad alendum, qualis etiam dicitur *panis anguſtiæ* 1 Reg. XXII: 27. 2 Chron. XVIII: 26. ſive quia ſub graviſſimis afflictionibus ſumitur, qualis dicitur *panis cineris & lacrymarum* Pſ. CII: 10. Meretrix Antichriſtiana quoque habet *panem* ſuum Prov. IX: 17. offam ſuam, quam cultoribus ſuis objicit, verum *panem dolorum*, non ſolum quia ſpem deſtituit, animamque ſatiare nequit, ſed etiam quia cum graviſſimis judiciis eſt conjunctus. Vide Apoc. XVI: 8-11.

Sic vel *certe*) Voculum כן plerique reddunt per *ſic*, comparative q. d. ut vos inquieti fruſtra mane ſurgendo &c. vos ſomno privatis, *ita* &c. Verum non opus erit hac ellipſi & major emphaſis erit, ſi vertas per *certe*, uti 1 Sam. IX: 13. 1 Reg. XX: 40. ſive etiam per *tamen* Jeſ. LII: 15. ut nempe quaſi poſitum ſit pro אכן Pſ. LXXXII: 7. Jeſ. XLIX: 4. Hoc pacto ratio jam ſubjungitur, cur omnis labor ille vanus ſit, quia nempe nihilominus Jehova conſilium ſuum in actum deducet.

Dilecto ſuo) Alluditur ad nomen Salomonis, qui dilectus Domini ידיד יה 2 Sam. XXII: 25. appellatur. In hujus nominis geſtatione, uti in tota perſona ſua typus fuit Meſſiæ: qui *Dilectus Dei* Deut. XXXIII: 12. Jeſ. V: 1. quia nempe a Patre *diligitur* Joh. III: 35. tanquam *Filius amoris* Col. I.

Dabit ſomnum) Somnus quietus in ſacris ſymbolum eſt pacis, ſecuritatis & quietis poſt tranſactos labores Job. XI: 19. IV: 9. Prov. III: 24. unde talis *ſomnus* iis negatur, qui intempeſtivi ſunt opum aut vitæ voluptuoſæ ſectatores Eccleſ. V: 11. VIII: 16. In promtu ergo per ſomnum Dilecti Jehovæ intelligitur ſumma ſecuritas & quies, qua in membris ſuis fruitur, quando Eccleſia ab hoſtibus liberata tranquille agit. Hoc tanquam

quam futurum conſideratur, quia in illo temporis articulo, quem ſchema hujus Pſalmi exprimit, adhuc multæ ſunt difficultates ſuperandæ, antequam Eccleſia ad quietem ultimorum dierum pertinget, quam tamen indubitato exſpectat Jeſ. XXXII: 17. 18. Jeſ. LX: 11. LXV: 23. 25. Quæ quies tanquam quies ipſius Meſſiæ conſideratur Jeſ. XI: 10. *Et requies ejus erit glorioſa.* Hæc quies Meſſiæ eo efficacius ſomno adſimilatur, quia ſomnus ejus in ſepulchro Pſ. XVI: 9. III: 6. Jerem. XXXI: 26. poſt conſummatam impetrationem ſalutis inſtar fuit hujus conſummationis ſalutis quoad applicationem. Unde illa ultima tempora conſiderantur tanquam Sabbathum novi teſtamenti perpetuum Jeſ. LXVI: 23.

VERS. 3.

Ecce) Quæſtio erat, quonam fundamento tanta ſpes niteretur, cum *vires* populi Dei hactenus eſſent *exiguæ* Apoc. III: 8. & Antichriſtianiſmus licet concuſſus nihilominus adhuc dominaretur, novasque vires reſumeret? Quare Propheta dubitantem in rem præſentem ducit, & vult ut attendat ad qualitatem confeſſorum a Deo excitatorum, quorum ſpiritualis fortitudo & progreſſus inexſpectati ſigilli inſtar erant, Dominum opus ſuum etiam conſummaturum eſſe.

Hæreditas Jehovæ filii,) Filii hic *dilecti Domini* intelligi debent. Alias nulla eſſet cohærentia, quæ hoc ſuppoſito aptiſſime fluit. Nam ita indicatur ſperandam eſſe hanc quietem coeleſtis Salomonis, quia tam egregia prole ad opus ſuum perficiendum apta gaudebat. Ex eodem nexu patet, non poſſe hic cogitari de filiis terreſtris Salomonis, cujus modica ſatis felicitas fuit, quam in filiis ſuis poſſedit. Accedit, quod iis in bello nunquam legitur uſus eſſe. Intellige igitur hic eosdem Meſſiæ *filios*, qui deſcribuntur Pſ. XLV: 17. ubi hoc emblema pluribus illuſtravimus. Quando illi nominantur *hæreditas Jehovæ*, id non deſignat hæreditatem a Jehova dilecto ejus datam, ſed hæreditatem, quam ipſe Jehova poſſidet; ita ut idem, qui modo dilectus Jehovæ dicebatur, ipſe *Jehova*

hic nominetur. Ille filios ſuos ſpirituales conſiderat tanquam *hæreditatem* ſuam Pſ. XVI: 6. Jerem. III: 19. Jeſ. XLIX: 4. &c. Pſ. LXVIII: 10. Et ſigillatim illi, quos ultimis temporibus lucraturus, ita conſiderantur Pſ. XCIV: 5, 14. Jeſ. XIX: 25. LXV: 9. &c. Ratio (1) quia per æternum Teſtamentum Dilecto Dei a Patre addicti: (2) quia eos magni æſtimat, in iis deliciatur, omnemque curam ſpiritualiter circa eos adhibet, quam in vindicanda, ornanda, amplificanda hæreditate pretioſa homines adhibere ſolent: (3) quia ſpeciatim eſt antitypus hæreditatis Dei umbraticæ in Canaane.

Merces) Præter hæreditatem Jehova etiam *mercedem* exſpectat, quæ eſt *fructus ventris*. Ita nominantur liberi cum relatione ad matrem Gen. XXX: 2. ſed aliquando etiam ad Patrem Pſ. CXXXII: 11. Filii certe Chriſti etiam ſpiritualem matrem habent, ex cujus utero per enixa deſideria proferuntur, nempe Eccleſiam, quæ ſigillatim ultimis temporibus tanquam enixa lætam prolem conſideratur Jeſ. LXVI: 7. 8. 9. Confer c. XXVI: 17. 18. 19. nec non Rom. VIII: 19. ſq. Illi ſunt *merces* tum quoad Chriſtum, qui labore & paſſionibus ſuis eos acquiſivit, tanquam præmium ei promiſſum Jeſ. LIII: 11. XLIX: 4. tum quoad Eccleſiam, quæ ipſa quoque in hac ſua amplificatione fructum gratioſum ſuarum perpeſſionum accipit.

Dupliciter autem conſtructio horum vocabulorum absque articulis aut particulis connexivis propoſitorum poteſt admitti. Aut enim *filii* & *fructus ventris* hic ſunt ſubjecta, aut prædicata. Si prius, tum hic eſſet ſenſus, quietem certo eſſe exſpectandam, quia dilecto Jehovæ & hæreditas æterno Teſtamento addicta & merces ſanguinis tam copioſi in corpore tam proprio quam myſtico effuſi negari nequibat. Hæc autem poſtulabat, ut Eccleſia ampliora incrementa caperet. Si poſterius, tum indigitatur præſentes jam adeſſe, qui ut pars hujus *hæreditatis* & *mercedis* ſpectari poterant: quique licet in ſe inepti propterea tamen ſpem certam præbebant, quia *hæreditas* & *merces Jehovæ* fallere nequit.

VERS.

Digitized by Google

VERS. 4.

Ut ſagitta) Non ſolum ipſum verbum veritatis, ut ad Pſalm. XLV. Ex. V. §. 27. probavimus, ſed etiam qui illud pronunciant cum ſagittis comparantur. Ipſe Meſſias Jeſ. XLIX: 2. Alii verbi Miniſtri Hab. III: 11. Zach. IX: 14. R. SALOMO quoque hic intelligit *filios ſapientum*. KIMCHIUS autem magis a re abludens Fratres Salomonis. Sagittis autem Doctores ſimiles, ob verbum, quod tractant & cujus effectus ſagittis ſimiles ſunt Conf. loc. cit.

In manu Herois) גבור deſignare Virum bellicis virtutibus inclytum, atque inter titulos Meſſiæ eſſe patet ex Pſ. XIX: 6. XXIV: 8. XLV: 4. &c. Vide quæ ad hunc locum notavimus. *Manus* Herois eſt emblema magnarum virium. Sunt etiam, qui *manum Jehovæ* volunt eſſe ſymbolum Spiritus ſancti. Quando jam Doctores conſiderantur ut ſagittæ in manu Herois, tum indicatur, eos ex ſe ipſis nihil poſſe; verum quando ejus robore & ſpiritu imbuuntur, tum eorum Miniſterium ſcopum certo certius ferire, atque alte in corda hoſtium veritatis ad eos vincendos & ſubjugandos penetrare.

Sic Filii juventutum) KIMCHIO Filii juventutum ſunt qui homini in ipſius juventute naſcuntur; qui etiam vegetiores aut robuſtiores eſſe ſolent & parentibus defenſionem præſtant, quod de pueris in ſenio demum genitis enuntiari nequit. Verum quia nullum affixum eſt, & ה præfixum adeſt הנעורים, quod utrumque in tali conſtructione inſolitum, hinc malumus per *Filios juventutum* intelligere Filios juvenili robore pollentes, ſive militiæ addictos. Apud Hebræos jam ab antiquiſſimis temporibus nomen juvenum & juventutis nomine milites eſſe deſignatos conſtat ex Gen. XIV: 24. Ezech. XXIII: 6. 12. 23. 2 Sam. XVI: 2. Id idem apud profanos ſcriptores eſt frequentiſſimum. Apud HOMERUM ſæpe mentio fit αρηιθοων αιζηων *bellicoſorum Juvenum* Il. Δ. 280. Θ. 298. & Neptunus Græcos appellat: Αργειοι κȣροι νεοι *Argivi juvenes adoleſcentes* Iliad. N. 95. Apud POLYBIUM frequens eſt milites appellari νεανισκȣς uti

Marc. XIV: 51. Confer RAPHELIUM & Hiſt. Crit. de la Rep. de Lettr. T. II. p. 55. ſq. origo hujus ſignificatus eſt, quia a viginti annis uſque ad quinquaginta arma portare Iſraëlitæ debebant. Conferuntur ergo illi Confeſſores, qui Filii dilecti Dei antea dicti *primo juvenibus deinceps militibus* Pſ. CX: 3. *Juvenes* ſunt Joel. II: 28. Zach. IX: 17. ob decus, alacritatem, robur & fervorem: *Milites* 2 Tim. II: 3. Cant. III: 7. Zach. X: 3. ob hoſtes ſpirituales ad quos vincendos robur ſuum debent impendere.

VERS. 5.

Beatitudines Viri illius) Procul dubio per הגבר hic idem deſignatur, qui commate præcedenti Heroi adſimilatus, ipſe ſtrenuæ illius juventutis *Pater*, *Dilectus Jehovæ*, qui ipſe Jehova. Sic etiam nominatur Meſſias Prov. XXX: 1. Nomen non ſolum virilem ſexum & ætatem ſed etiam virtutem deſignat: adeoque non tam ad humanitatem, quam ad potentiam Meſſiæ in ſuis defendendis ſpectat. Hic *beatus* prædicatur. Infrequens eſt gratulatio per acclamationem vocis אשרי ad Meſſiam directa. Occurrit tamen Pſ. CXII: 1. qui cum noſtro inſignem convenientiam oſtendit. Nihil quidem in ſe μακαριοτητι Filii Dei accedit per Eccleſiæ multiplicationem. Cum tamen bonum Eccleſiæ pro ſua hæreditate & mercede reputet, gratulatio tamen ad eum dirigi poteſt, quando hoc ſui laboris præmio potitur, quando *benedictiones boni* ei *occurrunt* Pſ. XXI: 4.

Qui implevit pharetram ſuam illis) Emblema *pharetræ* putamus optime erui poſſe ex Jeſ. XLIX: 2. ubi ipſe Meſſias de ſe dicit: *poſuit me* (ſc. Pater.) *in telum electum*; *in pharetra ſua me occultavit*. Cl. VITRINGA per pharetram hic intelligit decretum Dei. Verum ordo prædicatorum id non permittit, quia jam deſcriptum erat in præcedentibus munus ejus propheticum in terra geſtum. Melius ergo intelligas Eccleſiam triumphantem, in quam Chriſtus ſuper hoſtes exaltatus & ab iis

iis abſconditus eſt. Ad ejus ſimilitudinem hic *pharetra* adumbrabit Eccleſiam militantem, atque in ea ipſum Miniſterium Evangelii, quatenus ejusdem fidei profeſſione & Spiritus communione inter ſe devinctum eſt. Hoc eſt pharetra Meſſiæ, quia eſt inſtar armamentarii, ex quo depromuntur, qui bella ejus gerunt. Impleta ergo his ſagittis pharetra indicat copioſum numerum Miniſtrorum, quos de tempore in tempus pro beneplacito ſuo Heros Iſraëlis inde promit.

Non pudeſient) Male ABEN EZRA & KIMCHIUS ad parentes hoc referunt, cum unus tantum omnium filiorum parens illuſtris in hoc Pſalmo indigitetur. Quare neceſſario ad filios reſtringendum. Radix בוש uſurpatur de quibusvis rebus pudorem incutientibus; de pudore ex conſcientia facti Jer. VI: 15. Zeph. III: 11. de vanitate ſpei & fiduciæ conceptæ Job. V: 20. Jer. II: 36. de conatuum & machinationum fruſtratione Pſ. VI: 11. XXXI: 18. &c. adeoque de pudore tam coram Deo, quam coram hominibus. Quæ facile ad Miniſtros illos Eccleſiæ, qui tanquam ſagittæ ſunt in pharetra & manu Chriſti applicari poſſunt.

Quia) כי hic poteſt deſignare *quando* aut *quia*. Poſterius magis eſt emphaticum.

Loquentur cum hoſtibus in porta) Hic indigitatur, militiam eorum eſſe ſpiritualem, utpot quæ per colloquia adeoque per verbi prædicationem & defenſionem exercetur: *Hoſtes* ſunt defenſores] Eccleſiæ Antichriſtianæ. *Porta* hic procul dubio eſt intelligenda cum relatione ad illam urbem, de qua in præcedentibus erat actum, adeoque eſt porta ipſius Antichriſtianiſmi. Ad emblema hoc recte intelligendum duo de *portis* obſervanda ſunt 1. Portas urbium eſſe robur earum. Hinc *portæ inferni* Matth. XVI: 18. & *Porta ærea* pro potentia magna Pſ. CVII: 16. Jeſ. XLV: 2. Hinc *debellator in portis* eſt hoſtis munitiones urbis occupans, eique imminens. Hoc ſenſu promiſſum eſt ſemini Abrahami, quod *portas hoſtium ſit obſeſſurum* Gen. XXII: 17. Filii ergo Meſſiæ loquuntur cum hoſtibus in portis, quando propugnacula eorum fortiſſima deſtruxerunt,

runt, atque deditionem urgent. 2. Portæ quoque ſunt locus, in quo olim judicia adminiſtrabantur Deut. XXI: 19. Prov. XXXI: 23. Job. V: 4. Amos V: 15. Zach. VIII: 16. Hujus moris etiam apud Homerum &c. veſtigia reperiuntur. Hoc ſenſu loquuntur confeſſores in portis hoſtium, quando coram ipſis eorum tribunalibus comparent, animoque imperterrito cauſam ſuam in illis defendunt.

IMPLEMENTUM.

§. I. Cum teſtes Evangelici inciperent nuditatem Antichriſtianiſmi detegere, ab ejus Præſidibus omnis labor eſt impenſus, ut contra veritatem ſe defenderent. Huc pertinet magna pars ſeculi XV. perpetuis Conciliis tranſacta, quibus Concilium Tridentinum ſeculo ſequenti acceſſit, variorum novorum Ordinum, qui ſuppetias ferrent, inventio, Tribunalia Inquiſitionis hæreticæ pravitatis invecta, immenſæ pecuniæ per nundinationes indulgentiarum exactæ. Nec deerat vigil in arce Tarpeja claſſicum canens Vigil, qui de periculo Eccleſiæ Romanæ imminenti identidem admonuit, Regeſque & Principes contra Proteſtantes incendere & armare ſtuduit.

§. II. Conſilia hæc identidem confudit Deus & in bonum Eccleſiæ convertit. Illa ipſa Inquiſitionum incendia & diræ Monachorum perſecutiones, eos magis exoſos populo reddiderunt. Ipſum Concilium Tridentinum anathematiſationibus ſuis ulcus Romanæ Eccleſiæ inſanabile fecit. Ipſe CAROLUS V. licet ab Italis & Hiſpanis ſæpe ad opprimendos Evangelicos excitatatus, non raro tamen æquiorem ſe iis præbuit: & palam non ſemel profeſſus eſt, videri ſibi Proteſtantium doctrinam longe ſaniorem, quam ſacrificuli pertendant, neque opus eſſe LUTHERO, ſi ſacrificuli pii eſſent. WILHELMUS Bavariæ Dux diu ſatis Proteſtantibus iniquus, audita Auguſtana Confeſſione melior evaſit, Cleroque Ratisbonenſi patrocinium ejus imploranti reſpondit: *Ich kan mich nicht mehr halten, den es dunkt mich die Sache woll St. Velten holen.* Vos juvare amplius nequeo. Videtur enim veſtra cauſa Diaboli eſſe &c. III.

III. Interea jugum eorum, qui Antichriſtianiſmo ſubjecti erant, indies ingraveſcebat, per avaritiam Cleri, fœdiſſimaſque nundinationes, ordinum novorum Monachalium & præcipue Lojolitarum, erectionem, atque novas ſuperſtitiones invectas. Quare Reformatores omnem operam in eo poſuerunt, ut hanc multitudinem miſere ſeductam a faſcino liberarent.

§. IV. Surrexerunt enim Viri multi Zelo pro veritate & pietate pleni, quorum anteſignani Lutherus, Zwinglius, Calvinus, aliique, digniſſimi, qui pro genuinis Chriſti & Eccleſiæ Filiis haberentur: ſingularique animi fortitudine ad miraculum contra omnes impetus obfirmati. Hinc Zwinglius ad Myconium A. 1525. ſcripſit: *Ni viderem aperte Dominum cuſtodire civitatem, jam dudum clavum abjeciſſem . . . Totum igitur me illius benignitati permittam. Regat, vehat, feſtinet, maneat, acceleret; moretur, mergat, nihil prorſus indignabimur. Ejus enim vaſculum ſumus* &c. Heroicæ Lutheri & aliorum voces atque actiones, ejuſdem intrepidi & in Jehovæ auxilio ac moderamine ſecuri animi indicia ſunt. Sagittis quoque ſimiles ob celeritatem, qua verbum eorum paucis annis pleraſque Europæ regiones pervaſit. Et his ſagittis pharetra Domini erat repleta, cum tanta ubique fidelium Miniſtrorum multitudo exſurgeret, qui non ſunt pudefacti, ſed in porta ipſa cum hoſtibus collocuti ſunt, nulla colloquia, nullos conſeſſus publicos fugientes, & ſigillatim in Comitiis Imperii, quando Confeſſio Auguſtana Imperatori & Principibus Imperii magno animo exhibita & publice prælecta, cum tanto effectu ut Elector & Archiepiſcopus Colonienſis in partes Proteſtantium tranſiret, & Cardinalis Matthæus Langius, Archiepiſcopus Salzburgenſis profeſſus ſit: *Miſſæ reformationem ſibi honeſtam videri & æquam eſſe poſtulationem, ut homines Chriſtiani humanorum mandatorum onere liberentur: id ſolum intolerabile eſſe, ut miſellus Monachus omnes reformet.* Hinc LUTHERUS de hac Confeſſione gloriatur: *Wir haben nicht Mum, Mum, geſagt* e. i. *Non ibi muſſitavimus nec colluſimus, ſed, en! diximus liberrimus*

mus claruſque voces noſtras, ſine obſcuritate & muſſitatione ulla.

USUS.

§. I. Hoc Pſalmo firmum ſolamen omnibus piis in noſtra ætate exhibetur, ne animum deſpondeant in omnibus machinis Antichriſtianiſmi, quæ incaſſum erunt, quia dilectus Jehovæ nihilominus ſecurum ſomnum & quietem adipiſcetur, cujus rei indicium miraculoſa initiorum Reformationis conſervatio.

§. II. Sed & bene notandus unicus fons omnis proſperi ſucceſſus, qui eſt auxilium Jehovæ in ædificando & vigilando. Id igitur quærendum & ab omni vano labore abſtinendum, qui absque Deo & extra ejus communionem ſuſcipitur.

§. III. Præcipue hic obſervandi characteres Miniſtrorum Evangelii aliorumque inſtrumentorum, per quæ Dominus vult celebrari. Huc pertinet 1. quod debeant eſſe filii Chriſti & fructus ventris Eccleſiæ per regenerationem: 2. quod debeant manu Herois Iſraëlis dirigi: 3. confortati eſſe animo in robore Jehovæ: 4. in Pharetra Chriſti eſſe, analogiam fidei communionemque Eccleſiæ ſectantes: 5. cum parrheſia in omnibus occaſionibus publice nomen Domini confiteri, & idonei eſſe ad os contradicentibus occludendum.

ANALYSIS Pſalmi CXXVIII.

שיר המעלות אשרי כל-ירא יהוה ההלך בדרכיו׃	1. *Carmen graduum. Beatus omnis, qui timet Dominum, ambulans in viis ejus.*
יגיע כפיך כי תאכל אשריך וטוב לך׃	2. *Laborem manuum tuarum quando comedis, beatus es & benè tibi.*

3. *Uxor*

Digitized by Google

אשתך כגפן פריה בירכתי ביתך בניך כשתלי זיתים סביב לשלחנך׃	3.	*Uxor tua eſt ut vitis frugifera in lateribus domûs tuæ. Filii tui ut plantæ olearum circa menſam tuam.*
הנה כי-כן יברך גבר ירא יהוה׃	4.	*Ecce! Nam ſic benedicitur vir timens Dominum.*
יברכך יהוה מציון וראה בטוב ירושלם כל ימי חייך׃	5.	*Benedicet tibi Dominus ex Zyone. Et aſpice bonum Hieroſolymæ omnibus diebus vitæ tuæ.*
וראה-בנים לבניך שלום על-ישראל׃	6.	*Et vide filios filiorum tuorum. Pax ſit ſuper Iſraële.*

§. I.

PSalmus hic phraſes varias habet, quæ manifeſto ad feſtum tabernaculorum alludunt, utpote in quo fructus manuum comedebatur, & in Tabernaculis oleæ vitisque frondibus ornatus læta agebantur convivia. Unde occaſione ejus feſti procul dubio compoſitus.

§. II. Neque tamen facile quis perſuaſus erit, nonniſi externam felicitatem domus hic deſcribi. Nam 1. ipſa feſtivitas feſto Tabernaculorum ad grandius myſterium collimabat. 2. Difficulter eſt cogitandum, quod externa tantum conjugii felicitas inter beatitudines ejus, qui timet Jehovam, præcipuo quaſi loco in publico Templi cantu fuerit reputata. Verum eſt inter externas benedictiones V. T. in terra Canaane hanc quoque eſſe reputatam. Sed illa promiſſio non fluebat ex foedere gratiæ, ſed ex foedere Sinaitico, atque eatenus ipſa quo-

que a fidelibus tanquam typica conſiderari debuit. Unde qu[o]amplurima tum in ipſo V. T. tum præcipue in N. T. exempla occurrunt timentium Jehovam, qui externa illa beatitudine carent. 3. Nexus cum reliquis graduum canticis altiora ſpirantibus nos altius evehit. Ipſe KIMCHIUS ad tempora Meſſiæ hunc Pſalmum referendum eſſe judicat, quando eum agere cenſet *de felicitate piorum exulum Iſraëlis, quod viſuri illi tandem ſint ſub Meſſia bonum Hieroſolymæ, vel vivi adhuc, vel etiam ex mortuis reſuſcitandi.* SYRO quoque interpreti in eo innui creditur *vocationem gentium.* LORINUS: *Etſi temporalia bona exprimantur, magis propria & convenientia hominibus V. T. poſſunt, quæ hic dicuntur, ſaltem ſenſu myſtico de ſpiritualibus bonis exponi. Quem ſenſum Hilarius, Auguſtinus, Arnobius, dictus Hieronymus, Caſſiodorus, Latini fere alii, maxime perſequuntur, ne quis offendatur, ſi viderit timentes Deum bonis in Pſalmo promiſſis ac temporaliter acceptis deſtitutos. Conſentit* AMYRALDUS.

§. III. Quoad materiam eleganter cohæret cum Pſalmo præcedenti. Cum enim illic promiſſa eſſet dilecto Jehovæ quies, & filii fructusque ventris tanquam hæreditas & merces ejus eſſet deſcripta, hic oſtenditur quomodo in communionem hujus felicitatis quicunque Vir timens Jehovam eſſet venturus: & quomodo poſt concertationes & bella multa tandem plenà pax ſit exſpectanda.

§. IV. Quare in hoc Pſalmo eſt continuatio deſcriptionis proſperi eventus, quem opus Reformationis habiturum, cujus intuitus confirmare Præcones Evangelii in timore Jehovæ debebat.

§. V. In ſchemate ergo Pſalmi nobis videtur chorus Levitarum in templo alloqui Iſraëlem ad feſtivitatem feſti Tabernaculorum confluentem, eumque ad conſtantiam in timore Jehovæ excitare per deſcriptionem bonorum ſpiritualium externa illius feſti lætitia adumbratorum, quæ exſpectanda illi habebant, qui conſtanter in profeſſione veritatis perſiſtebant.

§. VI. Cum autem in priori parte hujus Pſalmi adhibeatur tem-

Digitized by Google

tempus futurum, in poſteriori imperativus; Hinc benedictiones hujus Pſalmi ad duas claſſes referendas eſſe ducimus, quarum prior tanquam proxime inſtans promittitur, poſterior tanquam adhuc remotior vovetur.

Bipartitus ergo eſt Pſalmus. Continet enim

I. Promiſſionem bonorum, quibus brevi perfrui Confeſſores veritatis debebant vs. 1-6. p. pr. Hic

A. Generalis veritas tanquam fundamentum promiſſionis ſubſequentis proponitur vs. 1. *Beatitudines omni timenti Jehovam, ambulanti in viis ejus.*

B. Promiſſiones ipſæ enumerantur vs. 2-5. p. pr.

1. Quoad materiam vs. 2-4. Ubi

a. Benedictiones ipſæ enumerantur vs. 2. 3.

α. Fructus laboris in propria perſona plenius fruendus vs. 2. Quod

א. Proponitur vs. 2. p. pr. *Laborem manuum tuarum comedes.*

ב. Magnitudo hujus boni prædicatur vs. 2. p. poſt. *Beatitudines tibi & bonum tibi.*

β. Totius familiæ felicitas vs. 3.

א. Quoad uxorem vs. 3. p. pr. *Uxor tua ſicut vitis frugifera in lateribus domus tuæ.*

ב. Quoad liberos vs. 3. p. poſt. *Filii tui ut plantulæ olearum circa menſam tuam.*

b. Certitudo earum ex jacto fundamento demonſtratur vs. 4. *Ecce! quia ita benedicetur Vir Timens Jehovam.*

2. Quoad authorem & originem horum beneficiorum vs. 5. p. pr. *Benedicet tibi Jehova ex Zione.*

II. Votum circa præſtationem bonorum magis remotorum v. 5. p. poſt. 6. Hic diſtingue

A. Ipſam voti ſummam, quæ duo bona comprehendit

1. Diuturnitatem boni, quod jam initialiter poſſidebatur vs. 5. p. poſt. *Etiam aſpice bonum Hieroſolymæ, omnibus diebus vitæ tuæ.*

2. Ejus augmentationem vs. 6. p. pr. *Et aſpice filios filiorum tuorum.*

Digitized by Google

B. Fundamentum hujus voti vs. 6. p. poſt. *Pax ſuper Iſraëlem.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1.

Beatitudines) Licet אשרי formam adverbii vel interjectionis aliquando habent, non tamen deſinit eſſe nomen. Pluralis hic præcipue ſpectat ad excellentiam beatitudinis deſignandam. Unde proprius hujus vocis uſus eſt ad exprimendam beatitudinem veram ac ſpiritualem populi Dei. Et vix aliud contrarium exemplum poterit oſtendi. Unde hic quoque ita ſumenda vox eſt, præcipua cum ea notio conveniat & ſubjecto, de quo prædicatur, & fini Pſalmi, ubi *Pax Iſraëli* vero propria tanquam fundamentum omnium votorum hoc Pſalmo expreſſorum proponitur.

Omni timenti Jehovam) ſub voce *timoris Dei* ſolet Scriptura exprimere verum omnis cultus Dei principium, quod nihil aliud eſt, quam ſummi Dei tanquam ſupremi Domini, adeoque Legiſlatoris & Judicis, ὑπεροχῆς propriæque dependentiæ agnitio, ex qua naſcitur cura ſollicita ad defungendum rite omnibus officiis, quæ Lege ejus præſcribuntur, ut anima benignum atque pacatum Judicem inveniat. Hic *Timor* recte conſideratur tanquam *Filialis*, quia talem Dominum pro objecto habet, qui ſimul Pater eſt, adeoque in ſuos non niſi Paternum imperium exercet, ad ſuorum verum bonum tendens, id quod cum fortiſſimum ſit obligationis vinculum, curam quoque reddit majorem. Hinc ſigillatim paſſim ſolet cum nomine *Jehovæ* conſtrui Pſ. XV: 4. XXIV: 12. &c. id quod Deum talem exhibet, qualem ſe exhibuit in fœdere gratiæ, & ad quem timendum eo magis obligamur, quia ab ejus veritate omnium promiſſionum implementum exſpectatur. Hinc quoque patet major emphaſis hujus phraſeos, quando de fidelibus N. T. uſurpatur. Hoc præceptum erat Angeli Evangelium æternum præ-

Digitized by Google

prædicantis Apoc. XIV. Quando dicitur *omni*, excluditur omne diſcrimen citra exceptionem ætatis, ſexus, ſtatus, originis. Sigillatim videtur reſpici verſus ultimus Pſalmi præcedentis. Ibi beatitudines adſcriptæ illi, qui caput eſt Eccleſiæ: Sic eædem extenduntur ad quæcunque membra. Hic etiam videmus beatitudines eſſe generales, quæ in ſequentibus deſcribuntur.

Ambulanti in viis ejus) Per *vias* Dei hic debemus intelligere doctrinam Evangelii, quatenus illa in normam fidei vitæque univerſæ eſt propoſita &c. Illæ ſunt viæ Jehovæ, quia 1. eum authorem habent: 2. ad ejus communionem ducunt: 3. ejus præſentia gaudent. 4. eum præeuntem habent, cum ad exemplar ejus ſint conformatæ: 5. in iis Deus ſe ut Jehovam manifeſtat, fidelitatem erga ſuos demonſtrans eos, non ſolum ducendo, ſed & ad finem ſperatum deducendo. *Ambulare* eſt vivere. Unde ambulare in viis Jehovæ nihil aliud deſignat, quam totam vitam ſecundum præſcriptum Legis Dei componere, & in ea ſervanda ita cum promtitudine & lubentia actuoſum eſſe, ut paulatim magis magisque ad finem propoſitum appropinques. Sicut ergo *timor Jehovæ* indicavit principium totius cultus Dei, ita *ambulare in viis Jehovæ* comprehendit omnes actiones ex illo principio profluentes.

Talibus ſumma beatitudo promittitur. Qui enim ex vero principio ſecundum rectam normam agit, ille nequit fine excidere. Accedunt quamplurimæ promiſſiones id in verbo Dei confirmantes.

VERS. 2.

Laborem manuum tuarum) Phraſis hæc generatim deſignat quodcunque opus, in quo vires corporis animive expenduntur; ſigillatim vero labor per agriculturam impenſus, & per Metonymiam fructus ex illo provenientes Hagg. I: 11. Pſ. LXXVIII: 46. Unde in ſenſu myſtico hic intelligi apte poteſt proventus miniſterii Evangelici.

Certe, propterea) Sunt qui vertunt per *quando* aut *quia*, ut nem-

nempe hoc tmema conjungant cum ſequenti, ſed etiam poteſt verti per *propterea*, ut cum præcedenti jungatur, aut per *certè*, & tum per ſe ſubſiſtit.

Comedes) Hæc generatim erat benedictio in Canaane Iſraelitis legem Dei ſervantibus exſpectanda, unde contrarium ejus tranſgreſſoribus Deus comminatur Levit. XXVI. 16. Deut. XXVIII: 33. In emphaſi hoc faciebat Iſraël in feſto tabernaculorum, quod Exod. XXIII: 16. præcipitur celebrandum, *quum collegerit labores ſuos ex agro.* Adde Levit. XXIII: 39. Talis comeſtio cum maxima lætitia & gratiis ad Dominum conjuncta ſymbolum erat præmii laborum, quod exſpectandum tum ſingulis fidelibus Jeſ. III: 10. tum ſigillatim illis, qui in aliorum ſalutem laborarunt Jeſ. LXV: 21-23.

Beatitudines tibi & bonum tibi) Targum hæc duo ita diſtinguit, ut prius referat ad hoc, poſterius ad futurum ſeculum. Neque tamen ei adſurgo טוב generalioris eſt ſignificationis quam אשרי eo nomine, quod poſterius potiſſimum phyſice, primum vero & phyſice & moraliter bonum conſideret. Quare indicatur per additionem: *Et bonum tibi*, omnis generis veram conſummatamque beatitudinem laborantibus in agro Domini manere non ſolum typicam ſed etiam antitypicam, non ſolum jucundam ſed etiam ſanctam, & propterea realem ac perpetuam.

VERS. 3.

Uxor tua) Licet alias Eccléſia myſtice ſub emblemate uxoris Meſſiæ occurrat, certo tamen reſpectu poteſt conſiderari, ut conjugata cuicunque fideli operario in opere Domini. Eadem ſcilicet ratione, qua Lex conſiderari poteſt ut uxor Iſraëlitarum, quo etiam collimatur Rom. VII: 1. Sigillatim coetus, cui aliquis in Eccleſia tanquam Miniſter eſt præpoſitus ita poteſt adumbrari, quatenus nempe cum eo quoad externum ſtatum vinculo arctiori eſt connexus, curæque & amoris ejus proximum debet eſſe objectum, perque ſemen verbi divini ab

eo

Digitized by Google

eo prædicati foecundatur. Ita emblema uxoris ſervi illius immiſericordis Matth. XVIII: 25. explicari poteſt. Unde quidam etiam anſam ſumſere 1 Tim. III: 2. ita interpretandi, ut Epiſcopus non niſi unius coetus paſtor eſſe debeat.

Sicut vitis frugifera) Non puto abluſurum a vero, ſi quis in hac & ſequenti phraſi putet reſpici ad סכות ſeu tabernacula, quæ per ſeptiduum in menſe Tiſri debebant incoli, quæque ex variis variarum arborum frondibus contexta erant. Verum eſt, quod inter IV. arborum ſpecies Levit. XXIII: 40. neque olea neque vitis compareat. Sed Rabbaniſtæ contra Karræos acriter defendunt, illic non agi de frondibus ex quibus tabernacula conſtruenda, ſed quæ manibus portandæ. Rami ſaltem alii quoque commemorantur Nehem. VIII: 16. inter quos & *rami olivarum* commemorantur. Sed & *de ficu & viti* mentio in alluſione ad hoc feſtum Zach. III: 10. Unde gentiles eo facilius hæc pro Bacchi ſacris potuerunt venditare. Vitem foecundæ conjugis emblema eſſe ex nummis probat TRISTANUS Comment. Hiſt. Tom. II. p. 246. Eccleſia autem cum ſoleat vineæ conferri, ſinguli cœtus non male *Vitibus* comparantur Cant. II: 13. VI: 10. VII: 7. 12. Habac. III: 17. qui licet in ſe debile lignum, per Solem tamen juſtitiæ & Spiritus irrigationem foecundati fructus proferunt, Deum hominesque lætiſicantes, quod viti proprium eſt Judic. IX: 8-13.

In lateribus domus tuæ) Alludit hoc ad uſum vitium, quo non ſolum ſolent fructum inſignem, ſed etiam umbram præſtare: atque ita pingitur talium coetuum optata conſtitutio, qui non ſolum Spiritus ſancti donis abundant, ſed etiam ſuis Miniſtris tutelam & ſecuritatem quandam exhibent.

Filii tui) Scilicet ex illo cum cœtu tuo conjugio per verbum veritatis generati, qui inſtrumenta vitæ ſpiritualis quoque ut Patres conſiderant 1 Cor. IV: 15. Gal. IV: 19.

Ut plantulæ olearum) Quamcumque lætam ſobolem veteres ſurculis & ſuccreſcentibus plantis conferebant. HOMERUS ſigillatim Iliad. P. vs. 53. ſq. & SMYRNÆUS lib. VII.

Juvenem egregium & robore ac forma præſtantem ejus ætati contulerunt. Hoc eo magis hic quadrat, quia oleæ quoque in ſacris Eccleſiæ, piorum, & ſigillatim teſtium veritatis ſymbolum ſunt Apoc. XI: 4. coll. Zach. IV: 1. 2. id eſt talium, qui pinguedine domorum Spiritus ſancti imbuti, perennique vigore conſpicui inſtrumenta ſunt, per quæ lux in Eccleſiæ candelabro conſervatur.

Circa menſam tuam) Menſam confer, quæ Pſ. XXIII: 5. inſtructa coram facie hoſtium cernitur, quæque in nexu abundantiam donorum ſpiritualium & in eorum fruitione ſecuritatem indicat.

VERS. 4.

Ecce) In rem præſentem ſpectator deducitur, quia in tali temporis articulo eſt conſtitutus, in quo primitiæ tantæ ſpei jam apparent. Interdum tamen hæc particula occurrit, ut certitudinem promiſſi deſignet 2 Reg. VII: 2. Jerem. XXX: 10.

Quia) Hic ratio hujus certitudinis deducitur ex veritate generali, quæ commate 1. erat propoſita.

Ita benedicetur) Quomodo ברך de Deo uſurpetur vidimus ad Pſ. CXXIV: 6. Homines autem benedictionis hujus objectum ſunt, non ſolum quando bene ipſis optatur, ſed etiam actu fit, uti heic nexus poſtulat, & tum deſignat privative actionem divinam, unde omne bonum homini accedit Gen. X: 28. XII 2. 3. Num. VI: 24. &c.

Vir timens Jehovam) Pſ. CXXVII: 5. *Viri* nomen ipſi Meſſiæ tributum invenimus. Hic vero cuicunque Confeſſori veritatis Jehovam timenti datur, qui virile robur & conſtantiam in opere Domini oſtendit. Hic exſpectare poteſt tantam benedictionem, quia labor ejus in Domino non poteſt fruſtraneus eſſe.

VERS. 5.

Benedicet tibi Jehova) Omnes benedictiones, queis Iſraël in Ca-

Canaane fruebatur Jehovam pro authore habebant, qui non ſolum eas promiſerat Patribus, ſed etiam ſufficiens erat ad eas dandas. Hunc fontem indicabat benedictio ſacerdotalis Num. VI: 24. Confer Pſ. CXV: 12-15. Idem fons eſt omnium bonorum ſpiritualium, quæ a Jehova originem ſuam habent, ab ejus nempe tum gratioſo Teſtamento tum omniſufficientia.

Ex Zione) Alluditur ad locum cultus ſacri ſolennem, qui Davidis tempore erat ipſe mons Zion, in quo arca illa foederis collocata, ad quam gratioſe ſe præſentem futurum preceſque auditurum Deus promiſerat Pſ. LXXVIII: 68. Inde benedictiones derivantur Pſ. XIV: 6. XX: 3. CXXXIV: 3. Idem hic *Zion* intelligendus, de quo Pſ. CXXV: 1. Ex eo Jehova conſideratur benedicens, tum quia illic myſtice habitat Pſ. IX: 12. LXVIII: 17. LXXIV: 2. CXXXII: 13. tum quia illa ipſa relatio, quam ad Eccleſiam ſuam habet, omnis ſpei fundamentum eſt. Sed & *Zion* hic commode poteſt deſignare Eccleſiam triumphantem ut Hebr. XII: 22. ex qua benedicit Jehova, cujus *thronus eſt coelum* Jeſ. LXVI: 1. quando benedictiones coeleſtes indulget.

Etiam aſpice bonum Hieroſolymæ) Verſio vetus apud CHRYSOSTOMUM: Και ορα εν αγαθοις ιερουσαλημ, quaſi aſpicere conſtruendum ſit cum Hieroſolyma & non cum bono, quod tamen contra uſum phraſeos eſt. Per ſubitam mutationem hic imperativus ſuccedit futuro indicativi: quia in ſequentibus alia bonorum claſſis proponitur, quæ nondum ita præſentia, ſed nec adeo generalia futura. De Hieroſolyma myſtica, ejuſque a Zione diſtinctione dictum eſt ad Pſ. CXXII: 2. CXXV: 2. Quare *bonum* ejus, cum & hic a Zione diſtinguatur, potiſſimum involvit illa, quæ ſtatum ejus externe felicem reddunt, qualia ſunt verbi divini purior ac liberior prædicatio, amplior confeſſorum numerus, ſecuritas &c. Qui ulterius extendunt bonum Hieroſolymæ, non obſervant quod per additamentum *dierum vitæ* id reſtringatur. Id *videre* optime ABENEZRA refert ad feſta ſolennia, ubi Iſraëlitæ Hieroſolymam petentes ſimul conſpiciebant ejus felicitatem. Myſtice *videre* eſt 1. vi-

vendo attingere ut Luc. XVII: 22. 2. eo bono ſimul perfrui quod eſt videre per experientiam Pſ. XXVII: 3. XCI: 16. CVI: 5. Eccl. III: 13. 1 Petr. III: 10. Sic apud HOMERUM Iliad φ v. 61.

- - - Οφρα ιδωμαι ενι φρεσιν, ηδε δαειω.

Ut videam in mentibus & edocear. 3. in eo bono ſingularem habere complacentiam, quem ſignificatum exigit conſtructio cum præfixo ב, quæ ſolet indigitare, quod aliquis oculos alte defixos in ſuo objecto habent, quod ei tanquam amabile obverſatur, uti Pſ. XXVII: 23. L: 22. XCI: 16.

Omnibus diebus vitæ tuæ) Ita deſcribi ſolet omne tempus, quo aliquis vivit in mundo Eccl. IX: 9. Jeſ. XXXIII: 20. Luc. I: 75. Chorus hoc vouentium videtur in Spiritu præſentire, quod novæ inſtant perſecutiones. Inde optat illis veritatis defenſoribus, quorum opera coetus plantati erant, ut ſuos ſaltem dies in pace finiant. Hoc eſt bonum quod Hiſkias ſperabat 2 Reg. XX: 19. & Joſiæ promittebatur ibid. XXII: 20.

VERS. 6.

Et aſpice filios filiorum tuorum) Sic frequenter in ſacris & nepotes & tota poſteritas deſignantur. Gen. XLV: 10. Prov. XVII: 6. &c. Eadem ratione apud HOMERUM Iliad Υ. 308.

Και παιδες παιδων τοι κεν μετοπισθε γενωνται.

Quod VIRGILIUS ita expreſſit Æn. III: 97.

Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Sic & apud Platonem lib. III. de Legibus, adagii loco [illegible] παιδων παιδες. Hac quoque phraſi Spiritus utitur, quando Eccleſiæ conſtantiam gratiæ in ſeros poſteros perennaturæ obſignat Pſ. CIII: 17. Hic vovetur. 1. quoad ipſos ſpirituales Confeſſorum filios, qui hactenus plantularum inſtar erant, ut illi adoleſcerent, eousque, ut ipſi quoque poſſent in opere Domini occupati eſſe. 2. Ut horum quoque labor in Domino eſſet benedictus, adeo-

que

que & ipſi evaderent in ſpirituales patres, per quos novi liberi Domino gignerenter, qui eſſent plantæ in ejus honorem. Hoc pacto implenda promiſſio, quod *filii* Meſſiæ & Eccleſiæ *ponendi in Principes in tota terra* Pſ. XLV: 17. & quod *verba* Domini *non receſſura ex ore* Eccleſiæ, *aut ex ore ſeminis ejus*, *aut ex ore ſeminis ſeminis ejus* Jeſ. LIX: 21. 3. Ut ipſi illi confeſſores, quos Propheta alloquitur, primitias hujus ſucceſſus adhuc ſuperſtites in terra, complementum autem in coelo intueantur, atque in eo lætentur, tanquam inſtrumenta, quibus Dominus uti voluit ad opus hoc fundandum, cujus fructus in ſeram poſteritatem, quin ad conſummationem uſque ſeculi pertingere debebat.

Pax ſuper Iſraelem) Conf. Pſ. CXXV: 5. In pacis ſive voto ſive promiſſione deſinit hic chorus ad exemplum ſacerdotii Aaronici Num. VI: 26. Hæc ſane origo erat. Ex quo tanta bona Doctoribus erant promiſſa, quia nempe Iſrael ſpiritualis non ſolum foedus pacis cum Jehova colebat, ſed etiam paulatim ad pacem ultimorum temporum introducendus.

IMPLEMENTUM.

§. I. Eccleſia ex Papatu liberata ſplendorem ſingularem nacta eſt per Viros tales, qui non ſolum in doctrina, ſed etiam in vero Domini timore viarumque ejus conſtanti cuſtodia lumina Eccleſiæ fuere, eouſque ut omnes tentationes & oblationes Papatus repudiaverint, paupertatemque ac duriores vitæ labores perpeti maluerint, quam a via recti iterum deflectere. Nihil ſane in Antichriſtianiſmo magis timori Dei adverſabatur, quam tum ſecuritas carnalis, nata ex confeſſionum, abſolutionum, ſatisfactionum, miſſarum, indulgentiarum faſcino; tum metus hominum & ſigillatim Antichriſti, cujus præſcripta de frequentandis miſſis, abſtinentia a cibis, preculis ad globulos muſſitandis &c. magis ſollicite quam verbum Dei vivi obſervabatur: tum denique ipſius cultus & reverentiæ Deo debitæ tranſlatio ad Sanctos, Angelos, Papas, Hoſtium Reli-

quias & Imagines. Contraria plane via fuit, quam primi Reformatores tenuere.

§. II. Horum labor non fuit irritus, quia eorum opera plurimi coetus paſſim ex medio Antichriſtianiſmi mari emerſerunt, quibus iidem quorum inſtrumento Deus uſus fuerat ad lucem veritatis accendendam, præfecti, conſtantem conſervationis & amplificationis eorum curam geſſerunt, eo cum ſucceſſu, ut alii quoque eorum Zelo & doctrina incenderentur ad pergendum in eodem opere Domini. Quem in finem ſigillatim uſum inſignem præſtitit Scholarum & Academiarum publicarum apertio Tiguri, Genevæ, Argentorati, Heidelbergæ, aliisque in locis facta, quæ promtuaria fuerunt, multorum ingeniorum præſtantium, ex quibus & nati natorum ſunt producti. Interea diverſa hic in illis coetibus recenter plantatis obtinuit ratio, quibusdam ſtabilioribus & in hunc uſque diem conſervatis, aliis vero per novas afflictionum tempeſtates obrutis, uti ad ſequentem Pſalmum videbitur.

USUS.

§. I. Specialiſſime hic Pſalmus ſpectat ad Miniſtros Evangelicos, eorumque tum officium, tum veram felicitatem exhibet.

§. II. Ad officium eorum pertinet: 1. ut omnes eorum actiones ex timore Jehovæ proveniant: 2. ut in viis Domini conſtanter ambulent: 3. ut eam fidelitatem & curam erga gregem ſuum exerceant, quam maritus debet uxori, omnique niſu id pro unico Miniſterii ſui ſcopo habeant, ut Chriſto filios ſpirituales gignant.

§. III. Ita facientes licet difficiliori præ aliis labore defungantur benedictionis tamen etiam uberiori menſura præ aliis gaudebunt. Non ſolum enim partem habent in illis bonis & beatitudinibus, quæ omnibus fidelibus communes ſunt, ſed etiam præ reliquis gaudent in fructibus ad gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem ſpectantibus, quos Jehova per eorum inſtrumentum ſiſtit.

§. IV. Ne-

Digitized by Google

§. IV. Neque tamen in illis ſolis promiſſiones hujus Pſalmi terminantur, quia ad omnes timentes Jehovam beatitudines, de quibus agitur extenduntur. Uniuscujusque vere Chriſtiani labor in eo verſari debet, ut alios etiam Chriſto lucretur. Hæc ſumma ejus debet eſſe voluptas, ſi per ejus tum verbum tum exemplum Eccleſia poſſit amplificari: Et tum primo loco hæc cura incumbet parentibus proprie dictis. Hic ſcopus debet eſſe matrimonii omnisque de liberis curæ. Videre enim natos & natos natorum nullum emolumentum habet, niſi ſint ſemen ſanctum, taleſque per quos bonum Hieroſolymæ promoveri poteſt.

§. V. Unius autem cujuſque fidelis officium eſt cum choro bene precantium ſe hic conjungere, omnique modo & ſigillatim piis ſuſpiriis a Deo omnis benedictionis authore expetere, ut ille promiſſiones populo ſuo datas etiam ratas facere velit.

ANALYSIS Pſalmi CXXIX.

שיר המעלות רבת צררוני מנעורי יאמר--נא ישראל׃	1. *Carmen graduum. Multum arctarunt me à pueritia mea (dicat age Iſraël).*
רבת צררוני מנעורי גם לא יכלו לי׃	2. *Multùm, inquam, arctarunt me à pueritia mea: etiam non prævaluerunt mihi.*
על-גבי חרשו חרשים האריכו למענותם׃	3. *In dorſo meo araverunt arantes, prolongarunt ſulcum ſuum.*
יהוה צדיק קצץ עבות רשעים׃	4. *Dominus juſtus concidit funem improborum.*

5. *Pu-*

יבשו ויסגו אחור כל שנאי ציון׃

5. *Pudefacti ſunt & retroceſſerunt omnes oſores Zionis.*

יהיו כחציר גגות שקדמת שלף יבש׃

6. *Fiunt, ut gramen tectorum, quod, antequam* falcem quis *evaginaverit, exareſcit.*

שלא מלא כפו קוצר וחצנו מעמר׃

7. *Quo non implet manum ſuam meſſor, multo minus ſinum ſuum manipulos faciens.*

ולא אמרו העברים ברכת־יהוה אליכם ברכנו אתכם בשם יהוה׃

8. *Neque dicent tranſeuntes: Benedictio Domini ſit ſuper vos: Benedicimus vobis in nomine Domini.*

§. I.

PSalmum hunc an David compoſuerit, non liquet. Ejus ſane temporibus non congruit, tum quia Eccleſia loquens provectæ ætatis eſt, tum quia tale hoſtium, quale hic deſcribitur genus, in hiſtoria Davidis non occurrit. Potius eum temporibus N. T. vindicat nexus, in quo cum reliquis Canticis graduum eſt poſitus. Accedit, quod idem Iſraël compelletur in ejus initio, cujus mentione Pſalmus præcedens deſierat.

§. II. Optime ſane reſpondet filo, quod ad tempora Reformationis deduximus. Exprimitur enim ſtatus Eccleſiæ, quæ licet ex multis malis jam emerſerat, nihilominus ſenectuti proprior ab oſoribus Zionis adhuc premitur, & quidem a talibus, qui prætendunt eſſe agricolæ Eccleſiæ, atque qua tales a quibuſcunque tranſeuntibus benedici volunt. Character

hic

hic verus eſt iſtorum, qui ſingularem dominatum in Eccleſiam exerceat.

Aptiſſime ergo hic Pſalmus conſiderari poteſt, tanquam excitatio Eccleſiæ Proteſtantium, quæ ab Antichriſtianiſmo eſt liberata, & nihilominus variis ejus injuriis adhuc expoſita, ut ex conſideratione præcedentium liberationum ſpem concipiat, fore ut omnes hoſtium veritatis machinæ in fumum abeant.

§. III. Schema Pſalmi ita ſe habet, ut Spiritus ſanctus Iſraëli formulam præſcribat, qua uti ſemen ſanctum debet ad ſe invicem, tum commemoratione fidelitatis, quam Deus in præcedentibus temporibus exercuerat, tum declaratione ſpei, quoad imminens hoſtibus judicium, conſolandum.

§. IV. Juſtæ ejus diviſioni iterum anſam dat mutatio temporum. Nam verſibus quatuor prioribus Propheta in præterito, verſibus vero ſequentibus in futuro loquitur.

Bipartitus eſt: Continet enim.

I. Præſcriptionem formulæ ab Iſraële adhibendæ vs. 1. *Dicat nunc Iſraël.*

II. Ipſam verborum formulæ propoſitionem vs. 1-8. in quibus occurrit

A. Commemoratio fidelitatis Jehovæ in præcedentibus Eccleſiæ liberationibus vs. 1-4. quæ deſcribitur

1. Generaliter quoad omnia tempora præcedentia vs. 1. 2. Ubi nota.

a. Mala ab Iſraële perpeſſa vs. 1. 2. p. pr. *Multum anguſtarunt me a pueritia mea: multum anguſtarunt me a pueritia mea.*

b. Conſervatio efficax Dei in illis anguſtiis vs. 2. p. poſt. *Etiam non prævaluerunt mihi.*

2. Specialior, quoad certam quandam afflictionem magis propinquam vs. 3, 4. Ubi iterum

a. Afflictio ipſa depingitur vs. 3. *In dorſo meo ararunt aratores: Protraxerunt ſulcos ſuos.*

b. Imminutio illius afflictionis additur vs. 4. *Jehova juſtus abſcidit funem impiorum.*

B. Excitatio ſpei quoad futurum, de judicio hoſtibus veritatis imminente vs. 5-8.

1. Hoſtes ipſi ſunt vs. 5. p. poſt. *Omnes oſores Zionis.*

2. Judicium duplex vs. 5. p. pr. -8.

a. Triumphus Eccleſiæ de ipſis vs. 5. p. pr. *Pudefiant & vertentur retrorſus.*

b. Maledictio Dei per gradus illis imminens, quod per emphaticam allegoriam exprimitur vs. 6, 7, 8. Ubi

α. Maledictio ipſa a parte Dei vs. 6. *Fient ſicut gramen tectorum, quod antequam extraxit quis, exareſcit.*

β. Sequelæ hujus maledictionis vs. 7. 8.

א. Quoad ſpirituales meſſores & agricolas vs. 7. *Quo non implevit manum ſuam meſſor & brachium ſuum manipulos faciens.*

ב. Quoad univerſum Iſraëlem myſticum vs. 8. *Nec dixerunt tranſeuntes: Benedictio Jehovæ ſuper vos. Benedicimus vobis in nomine Jehovæ.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1.

Multum anguſtarunt me) צרר proprie deſignat *ligare*, *conſtringere*, unde transfertur ad quoſcumque hoſtes in arctum cogentes. Sigillatim hoc verbo exprimi ſolet violentia hoſtium Eccleſiæ, ſive externe limites ejus coarctent, ſive ipſas conſcientias libertate privare & illaqueare tentent. Hoc *multum* factum eſt. De voce vide Pſ. CXX: 6. Quoad rem ipſam certum eſt, anguſtias piorum & numero eſſe plurimas, & menſura ſæpe in immenſum creſcere Act. XIV: 22.

A pueritia mea) Pueritia generatim eſt initium populi, qui per tenuitatem & debilitatem in prima ſua erectione eſt inter populos, quod pueri ſunt inter viros. Sic de pueritia Moabi Jerem. XLVIII: 11. Babyloniorum Jeſ. XLVII: 12. de pue-

Digitized by Google

ritia Iſraëlis legitur Jer. II: 2. XXII: 21. XXXII: 30. Ezech. XXIII: 3. Hinc Hoſ. II: 15. dicitur; *ut canat illic, ſicut diebus pueritia ſua, & quo die aſcendit e terrâ Ægypti.* Ita pueritia Iſraelis ſpiritualis fuit tempus nati Chriſti, & prædicationis Evangelicæ. Confer Pſ. LXXI. 5. 17. CIII: 5.

Dicat nunc Iſraël). Confer Pſ. CXXIV. 1.

VERS. 2.

Multum anguſtarunt me a pueritia mea) Confer de ſimili Epizeuxi Pſ. CXXIV: 2. Duplex ſane Iſraëlis ſpiritualis poteſt diſtingui pueritia, altera myſtica Hoſ. XI. 1. Gal. IV: 1. quæ duravit uſque ad effuſionem Spiritus ſancti; altera magis propria, cum Dominus ex ore infantum fundaret robur Pſ. VIII. Quicquid ſit, cum variis, variique generis anguſtiis Eccleſia jam tum confligere debuit. Potiſſimum cogitandum eſt de afflictionibus Judæorum. Partem earum inſignem vidimus. Pſ. CXX.

Etiam non prævaluerunt mihi) Singularis hic emphaſis eſt in particula גם, q. d. *nihilominus*, *ne ſic quidem*, licet in debili adhuc verſarer pueritia, licet anguſtia anguſtiam premeret. Vox יכל propria eſt victoribus, qui hoſtes ita exſuperant, ut plane ſub jugum redigantur. Id deprecatur Eccleſia Pſ. XIII: 5. *ne dicat hoſtis meus prævalui adverſus eum.* Adeoque hæc expreſſio includit 1. quod Eccleſia in certamen cum hoſtibus illis robore Dei confiſa prodierit: 2. quod impetus eorum fortiter ſuſtinuerit: 3. quod Domino ita fuerit confortata, ut omnis hoſtium vis incaſſum ceciderit.

VERS. 3.

In dorſo meo) גב Dorſum deſignat quamcunque eminentiam: unde transfertur ad dorſum in animalibus quadrupedibus, caput in terram pendulum geſtantibus Ezech. X: 12. Sed & terra habet eminentias ſuas, quarum ſuperficies poteſt dorſo conferri

Digitized by Google

Job. XIII: 12. CURTIUS III: 4. 7. de dorſo *montis*. Suetonius Cæſ. c. 44. de dorſo Apennini agit; quin omnem editiorem tractum dorſum appellari Lexicographi docent. Prior ſenſus Eccleſiam in ſtatu ſervitutis conſiderat, quia dorſum maxime oneribus & flagellis eſt expoſitum. In poſteriori vero adſimilatur agro & quidem editiori, utpote cum mons Domus Domini ſupra reliquos montes evectus ſit.

Ararunt aratores) Qui cenſent de dorſo ſervi agi, hic flagellationes vehementiores intelligunt. Cum agricultura commune ſit emblema miniſterii Evangelici, quod etiam in ſequentibus continuatur, per aratores quoque intelligi debent, qui eidem miniſterio operam dant Luc. IX: 62. Non tamen omnes eadem ratione in hoc opere verſantur. Eſt etiam *aratio improbitatis* Hoſ. XI: 13. cujus rei ſunt, non tantum, qui in alieno fundo arant, ſed etiam, qui non debito modo, lolium non exſtirpantes, neque ſemen bonum ſeminantes. Ita compoſitum eſt cum Doctoribus in Eccleſia Antichriſtiana, quando conſcientiis dominantur, præjudicia carnis fovent, ſemina doctrinæ humanæ ingerunt.

Protraxerunt ſulcos ſuos) ſeu *jugera ſua*. Duplex hic occurrit lectio. כתיב. habet למענותם, atque ita eſſet plurale a מענה, quod extra hunc locum ſemel tantum occurrit. 1 Sam XIV: 14. ubi *jugerum* deſignat. Sed קרי legit למעניתם, & tum cenſetur מענית deſignare *ſulcum*, ſi Judæis credimus. Neque enim in ullo alio loco Scripturæ hæc vox legitur. Interea poſteriorem ſenſum omnes Interpretes præferunt. Nullam tamen rationem video, cur a כתיב recedam. *Protrahere jugera* aptiſſime dicuntur agricolæ, qui agros agris addunt, ſive id per fas aut per nefas fiat, quod poſtremum tanquam atrox Judæorum peccatum damnatur Jeſ. V: 8. Nam terminos agrorum movere ſevera lege Deus vetuit Deut. XIX: 14. Prov. XXIII: 10. Hoc dicitur *multiplicare non ſua* Habac. II: 8. Hujus criminis myſtice reus eſt Antichriſtianiſmus, dum non tantum pomoeria ſua omni opera extendere, ſed etiam ipſam hæreditatem Domini ſubjugare quærit.

VERS 4.

VERS. 4.

Jehova juſtus) Quidam pro integra propoſitione ob accentum Athnach hæc verba habent q. d. *Jehova juſtus eſt*. Prædicatum hoc in Pſalmis ſæpius occurrit Pſ. VII: 10. 12. Pſ. CXIX: 137. CXLV: 17. in quibus & ſimilibus locis duplex exercitium juſtitiæ divinæ conjungitur, non tantum quatenus osores ſunt & populi ſui injuſtæ violentiæ & oppreſſionis juſtorum reos juſto judicio cöercet & punit, ſed etiam quatenus ſecundum foedus ſuum erga fideles agit Luc. XVIII: 7. Hebr. VI: 10. Juſtum enim eſt, ut eorum curam gerat, qui per juſtitiam Chriſti filii Dei facti ſunt, ut jus impleat, quod per juſtitiam Dei ad omnes promiſſiones Eccleſiæ datas acceperunt, ut illos ſevere puniat, qui in populo ſuo nomen Dei, imaginem Chriſti, opus Spiritus odio habent.

Abſcidit funem) Secundum diverſum, qui formatur de allegoria hac, conceptum, hæc metaphora diverſe intelligitur. Qui de ſervorum flagellatione ad comma præcedens cogitarunt, hic ad *funes* alluſum putant, quibus captivi detinentur intra carceres. Qui ad agriculturam phraſes Pſalmi referunt, funes ſubſtituunt quibus boves aratro alligantur aut plauſtra trahuntur Jeſ. V: 8. Sed quid hoc ad agrum, qui proprie ſubjectum patiens hic eſt, quique tanquam injuſte occupatus conſideratur. Quare CAJETANI explicatio nobis non contemnenda videtur, qui *de fune menſorio* agrorum hic cogitavit, quo antiqui debitas cuique terræ portiones dimetiebantur, more ut videtur ab Ægyptiis petito, qui inundationibus Nili terrarum limites ſæpe confundentibus, identidem terminos ſuos per funiculorum dimenſiones reſtituere cogebantur, quos funiculos σχοίνους, funes ex juncis contextos, nominabant, unde ipſas quoque terras σχοίνους dicebant. Hinc 2 Sam. VIII: 2. David funiculo menſus eſſe dicitur Moabitas victos. Et e contrario funes eorum rupti ſunt, quorum termini moti & poteſtas conciſa eſt. Id certum eſt, laudari hic juſtitiam

 Dei,

Dei, quod ab iniqua dominatione populum ſuum liberaverit.

Impiorum) Quorum nempe eſt *ſceptrum* illud *improbitatis* juſtitiæ Dei oppoſitum, quod vidimus Pſ. CXXV: 3. Conferendæ adeoque hic ſunt Prophetiæ de liberatione ex jugo Antichriſtianiſmi agentes, & quidem tali quæ nondum plenaria debebat eſſe, ſed per quam tamen inſignis Eccleſiæ pars tanquam funiculus Jehovæ ex ejus tyrannide liberanda. Confer dicta ad Pſ. CXXVI.

VERS. 5.

Pudefient) A præterito tranſit ad futurum, quia hæc fidei eſt indoles, ut experimenta fidelitatis Dei in viis præcedentibus cognoſcat, inde quid ſit *non pudefieri* ad Pſ. CXXVII: 5. vidimus. E contrario illi *pudefiunt*, qui non tantum coram hominibus ob irrita conſilia contemtui exponuntur, ſed quorum etiam probroſa facinora, turpitudo, iniquitates, mendacia, fraudes ſingulari Dei judicio ita in aprico ſiſtuntur, ut unicuique in abominationem ſint. Futurum, quo Pſaltes ab hoc commate uti incipit, nos docet, licet funis impiorum ruptus ſit, nondum tamen vim hoſtium penitus eſſe conciſam, quin potius novas ab illis machinationes, fraudes, violentias exerceri, quæ tamen in eorum opprobrium aliquando vertendæ. בוש vocabulum eſt, quod de judiciis Dei in hoſtes Eccleſiæ frequenter uſurpatur, & ſigillatim de judicio in Antichriſtum Jeſ. XIX: 9. XXIV: 23. LXV: 13. Pudefient ſane in emphaſi Antichriſtianiſmi aſſeclæ, quando de Rege Babelis parabola illa proferetur, quæ Jeſ. XIV: 4. ſq. commemoratur, quando *abominationi* erunt *omni carni* Jeſ. LXVI: 24.

Et vertentur retrorſus) סוג proprium eſt hoſtium, qui cum magna virium præſumtione irruunt, ſed fortiter excepti reſiliunt & probroſe terga dant. Supponitur ergo hoſtes Eccleſiæ non ſolum fraudibus & machinis, ſed etiam aperta vi denuo contra eam uſuros, ſed per potentiam Dei depulſum iri. Conjungi hoc verbum ſolet cum *pudefieri*, Pſ. XXXV: 4. XL: 15. LXX:

LXX: 3. Jeſ. XLII: 17. ita ut per id exprimatur ſingularis quædam ratio opprobrii. Conferendæ hic ſunt prophetiæ de ultimis Antichriſtianiſmi contra Eccleſiam conatibus, qui tamen cum plena de eo victoria conjuncti erunt. Jeſ. XXV. XXXIII. XXXIV. Zach. XIV. Apoc. XIX. &c.

Omnes oſores Zionis) De Zione myſtica actum ad Pſ. CXXV: 1. Illius oſores ſunt aſſeclæ Antichriſtianiſmi præfigurati per Idumæos, Philiſtæos, Moabitas, Babylonios, Ægyptios, aliosque populos olim Zioni ac Iſraëli literali infeſtos. In hoc nomine latet ratio cur juſto Dei judicio retroagentur. Qui enim Zionem oderunt, ipſum Jehovam oderunt, qui fundavit & conſervat eam. Quia autem de *omnibus* oſoribus agitur, hinc patet, Prophetam oculum intendere ad generalem quandam Eccleſiæ ab omni oppreſſione Antichriſtiana liberationem, quando *non audietur amplius violentia in terra ejus, vaſtatio aut contritio in terminis ejus* Jeſ. LX: 18. Confer Jeſ. XXXII: 18. 19. Joel. III: 17. 19. &c.

VERS. 6.

Fient ſicut gramen tectorum) Cum teta Hebræorum eſſent plana, & coemento illita, ex humore illic facilius ſubſiſtente facile gramen aliquod poterat gigni, quod tamen non tantum rarius ſed etiam nulli uſui erat. Cum hoc comparantur *oſores Zionis*. Dubitari aliquantiſper, quomodo comparatio hæc eſſet concilianda, an ita, ut oſores Zionis ſint *meſſores* fruſtra collocantes operam, an vero ipſum *gramen*. Poſterius tamen eligendum duxi, non ſolum quia gramen proxime cum iis componitur, ſed etiam quia *gramen tectorum* ſymbolum eſt hoſtium Eccleſiæ Aſſyriorum 2 Reg. XIX: 26. Jeſ. XXXVII: 27. Sic etiam de Judæis Evangelio adverſantibus Jeſ. XL: 7. *gramen eſt populus*. Similis ſunt *gramini* ob copiam & ob ineptitudinem ad ſpirituale alimentum. Similes ſunt *gramini tectorum*, ob celſum in quem ſe extulerant locum, cui tamen nul-

nullum ornamentum ſed dedecus potius afferunt, & ſigillatim ob tertium comparationis in textu indicatum.

Quod, antequam extraxit quis, exareſcit.) Cum שלף quoque paſſive uſurpetur Job. XX: 25. pro *eductum eſt*, hinc non incommode ad ipſum gramen applicatur, antequam nempe egrediatur e vaginula & appareat palam in culmo. Malo tamen intelligere de homine, qui extrahit. Cum enim gramen in tectis ea deturpet, hinc illud non meti, ſed cum radice extrahi ſolebat, ne repullulare queat. Sed ſoepe exaruit, antequam id fit, quia ob defectum terræ bonæ & humoris radices altius agere nequit, unde ab æſtu Solis, qui in tectis eſt intenſior, facile conſumitur. Interitus hoſtium Eccleſiæ ſæpius *gramini exareſcenti* confertur. Adde locis modo citatis Pſ. CIII: 15. 16. XCII: 8 Matth. XIII: 5. 6. De tranſitoria felicitate id quoque uſurpant Scriptores. PLAUTUS Pſeudolo Act. I. Sc. 1. *Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui, repente exortus ſum, repentino occido.* Confer ZEHNERUM Simil. LI. Et optime deſignat judicium in membra falſæ Eccleſiæ, quæ nulla fidei radice ſubnixa, neque ſuccum vitæ novæ in ſeipſis habent, & iræ divinæ æſtu conſumuntur. Eccleſiæ Antichriſtianæ ſpeciatim id eventurum, antequam *quis extraxerit*, quia non tam hominum falcibus aut gladiis, quam ipſius Dei ira peribunt Pſ. X: 14-16. XXXVII: 34-36. XCIV: 23. Apoc. XVIII: 8.

VERS. 7.

Quo non implevit manum ſuam meſſor) Doctores Evangelii ſub *meſſorum* emblemate vidimus ad Pſ. CXXVI: 5. 6. *Manus meſſorum impletur*, quando læta & dives eſt ſeges, adeoque deſignat felicem Evangelii progreſſum, quo ii, qui ad converſionem maturuere, tanquam utile frumentum a Præconibus verbi agnoſcuntur. Quando ergo dicitur, meſſores manum non impleviſſe illo gramine, quod ſicut gramen tectorum citius exaruerat, tum ſignificatur, membra falſæ Eccleſiæ reli-

liqua ita cito abſumtum iri, ut Doctores veræ Eccleſiæ multam anſam ſint habituri ad ſalutem eorum laborandi.

Et Brachium ſuum manipulos faciens) Cum חצן non ſolum deſignet *brachium* Jeſ. XLIX: 22. ſed etiam *oram* veſtimenti Neh. V: 13. dubium eſt, quo referas: idque eo magis, quia etiam το מעמר duplicem ſignificatum admittere poteſt. Aut enim deſignat eum, qui faſciculos facit, atque adeo ipſius meſſoris actum exprimit Mich. IV: 12. aut eum, qui manipulos poſt meſſores colligit, ſicut ſolebant olim pauperes Ruth II: 15. Jerem. IX: 22. idque ſecundum expreſſum mandatum Dei Levit. XIX: 9. XXIII: 22. Deut. XXIV: 19. in quo explicando multi ſunt Talmudici in Codice Peah. Priores *brachio* maxime utuntur, poſteriores etiam *ſinu*, in quo collectas ſpicas domum portant. Secundum poſteriorem ſententiam diverſæ perſonæ ſunt *meſſores* & *manipulum facientes*. Hi enim meſſores ſequebantur & prætermiſſa a prioribus colligebant. Collectio autem illa non tantum concernebat ſpicas, quæ demeſſæ erant, ſed etiam angulum quendam agri, quem Magiſtri definiunt, non debuiſſe minus quam ſexageſimam partem eſſe, quique pauperibus metendus relinquebatur. Per avaritiam hominum procul dubio angulus hic meliorem agri partem non confecit. Hoc obſervato patet additamentum Pſalmi non redundare, ſed vilitatem graminis exaggerare, quod non tantum indignum ſit, quo meſſores occupentur, ſed etiam quod pauperes derelicta a meſſoribus congregantes tanti non æſtiment, ut in uſus ſuos convertant. Manipulorum ergo collectores ſunt tales in agro Domini operarii, qui minori modulo donorum ſpiritualium gaudent, aut qui in anguſtias quaſdam redacti ſunt, quique in ordine meſſores antecedentes ſecuturi, iamiam faciliores ſe præbituri eſſent ad membra Eccleſiæ Antichriſtianæ reſidua in communionem recipienda. Sed his quoque nullus laboris fructus exſpectandus, quia antequam collectores hi comparebunt, ſcena horum Zionis oſorum jam peracta erit. Confer Zach. XIV: 18. 19. Jerem. LI: 8. 9.

VERS. 8.

Nec dixerunt tranſeuntes) Viatores tranſeuntes ſolebant meſſoribus benedicere. Id ita generale erat, ut ipſis agri Dominis in more poſitum fuerit benedicendo operarios compellare. Per hos *tranſeuntes* intelligenda ſunt membra quæcunque veræ Eccleſiæ, tum quia agrum illum, gramine tam futili conſitum, tanquam alienum fundum prætereunt, tum quia formula utuntur, quæ populo Dei eſt propria. Supponitur autem in allegoria in agro illo ſterili conſpici quosdam operarios, ſed ab illis meſſoribus & collectoribus, qui verſu præcedenti commemorati erant, quique gramen illud aridum labore ſuo non eſſe dignum judicaverunt, diſtincti. Hi adeoque non erunt alii, quam ipſi reſidui Eccleſiæ Antichriſtianæ Doctores, Mercatores, Gubernatores navium, nautæ & quotquot ex Babylone quæſtum fecerunt Apoc. XVIII.

Benedictio Jehovæ ſuper vos) Confer ſimilem Boaſi formulam Ruth. II: 4. De benedictione Jehovæ in ſenſu myſtico dictum ad Pſ. CXXVIII: 4. 5.

Benedicimus vobis in nomine Jehovæ) Hæc Phraſis de benedictionibus populi Dei maxime ſolennibus uſurpatur, de Sacerdotali Num. VI: 27. Deut. XXI: 5. 1 Chron. XXIII: 13. Adde Sirac. XLV: 19. de Davidica 2 Sam. VI: 18. 1 Chron. XVI: 2. Per *nomen Jehovæ* hic intelligitur tum mandatum & præſcriptum ejus, tum virtutes ſigillatim, quas nomen Jehovæ deſignat. Qui ergo hac formula utuntur, judicant, quod ex præcepto Jehovæ benedicant, quodque illas promiſſiones apprecentur, quæ a Deo tanquam Jehova exſpectandæ. De diſtinctione utriusque formulæ varie poteſt cogitari. Nonnulli pro reſponſo meſſorum ſalutatorum hæc capiunt, ad ſimilitudinem Ruth. II: 4. Elegantem hoc ſenſum fundit, quia certe ſemper alternant pia fidelium & Doctorum erga ſe invicem vota.

Neutrum autem circa agrum ſterilem Antichriſtianiſmi exſpe-

Digitized by Google

ſpectandum, licet ſupereſſent, qui id poſtularent. Nota enim eſt Antichriſtianiſmi ſuperbia, qua vult omnes populos ſibi benedicere, quaque Clerus ſibi ſacerdotale illud jus benedicendi in nomine Jehovæ tribuit.

Contrarium eventurum. Unde recte *Glaſſius* confert Jeſ. LXVI: 24. *Erunt faſtidio omni carni.* Adde Jeſ. LXV: 15. 16.

IMPLEMENTUM.

§. I. Qui hiſtoriam Eccleſiæ N. T. ſtatim ab ejus initio conſulit, illum latere nequit, quam cito illa a variis hoſtibus oppugnari & angi cœperit. Præcipue in ipſo pueritiæ ſtatu duriſſima perpeſſa eſt a Judæis, qui ſuperſtite etiamnum Domino omni modo ſucceſſui doctrinæ ejus obicem ponere quæſiverunt. Quo ſpectat, quod *conſtituerint, ut ſi quis Jeſum profiteretur eſſe Chriſtum, Synagoga moveretur* Joh. IX: 22. Et Acta Apoſtolorum teſtantur quanto molimine Synedrium & Sacerdotium Judæorum, quamdiu ſtabat Hieroſolyma, primitias Eccleſiæ Chriſtianæ ſupprimere conati fuerint.

§. II. Sed cum vix ab his reſpiraret Eccleſia, alii hoſtes ſecuti ſunt, carnales nempe in agro Domini operarii, qui paullatim dominatum in conſcientias erexerunt, atque omnia jura divina & humana ſub prætextu religionis ad ſe rapuerunt.

§. III. Horum funes rupti ſunt per Reformationem, idque non ſine multis judiciis juſtitiæ divinæ. Nam eouſque invaluerat potentia adverſans & Eccleſiæ corruptio, ut connivere amplius Deus non potuerit: præterea multis judiciis in illos *impios*, qui maxime funes ſuos in Eccleſiam Dei volebant extendere, animadvertit. Exemplo eſſe poſſunt Carolus V. tædio fortunæ converſæ thronum relinquens: Philippus II. mortem mœrore ob jacturas, quas religioſis bellis ſuis paſſus eſt, accelerans: Sanguis Valeſiorum in Gallia ſanguine Sanctorum ebrius deletus: Maria utriuſque Anglicæ & Scoticæ tragicus interitus &c.

§. IV. Licet autem pars Eccleſiæ ita liberata ſit, oſores tamen

Zionis non defecerunt, qui omnibus machinis vi ac dolo utuntur ad opprimendum populum Dei. Quos inter ſunt, quos foeno tectorum conferas, Phariſæorum genuina propago, alta ſpirans, ipſaque magnatum palatia ac tecta occupans, quorum conſiliis maxime odia Principum contra Proteſtantes aluntur, & propterea præ aliis in maledictionem ponendi. Reliquam partem implementi eventus dabit.

USUS.

§. I. Unusquiſque Fidelis ex hoc Pſalmo ſolamina haurire poteſt in quocunque fidei certamine, ſive iſtud commune ſit Eccleſiæ, ſive ſpeciale animæ ſuæ.

§. II. Quoties contremiſcit ad pericula Eccleſiæ imminentia recordari debet priſcorum Dei miraculorum, & promiſſiones Dei de conſervatione ac liberatione Dei amplecti.

§. III. Sed & picturam publicorum Eccleſiæ certaminum in corde ſuo deprehendit. Ipſe enim, ex quo infans in Chriſto per regenerationem eſſe cœpit, objectum odii Satanæ & mundi fuit. Quia autem ſemper præſentem Dei opem ſenſit, hinc etiam in poſterum bene ſperare debet.

§. IV. Ut ſolamen hoc eo firmius ſit, excerpi poſſunt criteria, tam hoſtium quam Eccleſiæ, quæ Pſalmus noſter opponit.

§. V. Hoſtes Eccleſiæ periculoſiſſimi ſunt ſœpe interni, qui pro membris ejus videri volunt, ipſis prætenſis agricolis non exceptis, qui ſuperbe pios ſæpe tractant, odio veram pietatem habent, hypocritice ſpeciem quandam religionis affectant.

§. VI. His oppoſita ſunt veræ Eccleſiæ membra 1. per diuturnam patientiam: 2. per attentionem ad vias Dei: 3. per benedictionem eorum, cumque iis in uno ſpiritu conjunctionem, quos tanquam fideles operarios & meſſores agnoſcunt.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXXX.

שיר המעלות ממעמקים קראתיך יהוה׃	1. *Carmen graduum. Ex profundis vocavi te, ô Domine.*
אדני שמעה בקולי תהיינה אזניך קשבות לקול תחנוני׃	2. *O Domine, audi vocem meam; ſint aures tuæ attentæ ad vocem ſupplicationis meæ.*
אם-- עונות תשמר-- יה אדני מי יעמד׃	3. *Si pravitates ſerves, Jah, Domine, quis ſtabit?*
כי-עמך הסליחה למען תורא׃	4. *Nam apud te eſt condonatio, ut timearis.*
קויתי-יהוה קותה נפשי ולדברו הוחלתי׃	5. *Exſpectavi Jehovam, exſpectavit anima mea, & ad verbum ejus præſtolatus ſum.*
נפשי לאדני משמרים לבקר שמרים לבקר׃	6. *Anima mea eſt ad Dominum, præ excubitoribus matutinis obſervantibus matutinum.*
יחל ישראל אל--יהוה כי--עם-יהוה החסד והרבה עמו פדות׃	7. *Spera, ô Iſraël, ad Dominum, quia cum Domino eſt gratia, & multa cum ipſo redemtio.*
והוא יפדה את-ישראל מכל עונותיו׃	8. *Et ipſe redimet Iſraëlem ex omnibus pravitatibus ſuis.*

Digitized by Google

§. I.

CUm authoris nomen non ſit præfixum, Syrus ait: *Dicitur de Nehemia Sacerdote, & innuit in eo preces Martyrum.* Alii tamen Davidem pro authore habent, quem ſecundum 2 Sam. XXIV: 10. 11. vel ex alia ignota occaſione precantem ſtatuunt. De authore non litigamus: Quod vero ad Davidis ſtatum applicatur Pſalmus, id incommodum eſt, quia ex vs. 7. conſtat totum Iſraëlem loqui, id quod hic Pſalmus cum reliquis graduum commune habet. ABENEZRA & KIMCHIUS in Pſalmo hoc orationem agnoſcunt uniuscujuſque fidelis inter exules Judæos, quorum exilium & vilis atque abjecta conditio cum profundis aquis merito compareτur. Hypotheſis hæc eatenus admitti poteſt, ut tantum pro carnali Iſraële ſpiritualis ſubſtituatur. De illo enim non poſſe Pſalmum intelligi putamus tum ob conſtantem *Iſraëlis* in his Pſalmis ſignificatum, tum ob diuturnam exſpectationem Fidei, quæ ei tribuitur vs. 5. Aptius ergo cenſemus, ut filum Pſalmorum noſtrorum ſequentes in hoc Pſalmo obſervemus non tantum reſpici vs. 7. 8. ad bonum Eccleſiæ N. T. proprium, ſed etiam exhiberi delineationem ſtatus Eccleſiæ Proteſtantium in maximis difficultatibus verſantis, in quas juſto Dei judicio propter peccata ſua incidit, atque in iis ad preces ardentes ſolamine ſingulari affectæ.

§. II. Scena hujus Pſalmi ſiſtit Eccleſiam, quæ poſtquam diu jam in magnis periculis verſata erat, ac ſæpe jam exſpectationem fidemque ſuam precibus & clamore teſtata erat, idque ita ad fundum calamitatis ſuæ, qui erant peccata ejus, penetraret & propter ea ſe humiliaret & conſtanter in exſpectatione pergeret: unde ſancte & in parrheſia cum Jehova diſceptans, in fide ſua per Spiritum ſanctum promiſſione auxilii confortatur.

§. III. Bipartitus eſt. Continet enim

I. Teſtimonium fiduciale, quod Eccleſia de fide ſua in maximis

mis anguſtiis demonſtrata edit vs. 1-6. ubi deſcribit

A. Preces coram Deo effuſas vs. 1-4.

1. Quoad externas circumſtantias vs. 1. *Ex profundis vocavi te, Jehova.*

2. Quoad verba quibus uſa erat vs. 2-4. continentia

a. Petitionem vs. 2. quæ

α. Proponitur vs. 2. p. pr. *Jehova auſculta ad vocem meam.*

β. Amplificatur vs. 2. p. poſt. *Sint aures tuæ attentæ ad vocem ſupplicationum mearum.*

b. Argumenta duo, quibus hæc petitio urgetur vs. 3. 4. deſumta

α. A generali omnium indignitate & impotentia vs. 3. *Si iniquitates ſervabis Jah, O Domine, quis conſiſtet,*

β. Ab omniſufficientia Domini vs. 4. *Nam tecum eſt condonatio illa, ut timearis.*

B. Conſtantem in fide perſeverantiam vs. 5. 6. quæ

1. Proponitur vs. 5. *Exſpectavi Jehovam, exſpectavit anima mea & ad verbum ejus præſtolatus ſum.*

2. Per comparationem exaggeratur vs. 6. *Anima mea ad Dominum præ cuſtodibus ad diluculum, cuſtodibus ad diluculum.*

II. Reſponſum Spiritus ſancti vs. 7. 8. in quo continetur

A. Præceptum de perſeverantia ulteriori in hac ſancta animi diſpoſitione vs. 7. p. pr. *Spera Iſrael ad Jehovam.*

B. Argumenta confortantia vs. 7. p. poſt. 8.

1. Primum deſumtum ab omniſufficientia & propoſito gratiæ Dei vs. 7. p. poſt. *Quia cum Jehova eſt gratia & multa cum ipſo redemtio.*

2. Secundum deſumtum à ſpeciali liberationis promiſſione vs. 8. *Et ipſe redimet Iſraelem ex omnibus pravitatibus ſuis.*

NO-

Digitized by Google

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1.

Ex profunditatibus) Vox מעמקים ſolet ſigillatim de *profunditatibus aquarum* uſurpari Jeſ. LI: 10. Pſ. LXIX: 3. 15. Ezech. XXVII: 34. ſed tum ים aut מים additur. Quod cum hic non fiat, generatim quæcunque *profunditates* poſſunt intelligi; ſtatum adeoque depreſſum intelligit, cum magno miſeriarum cumulo conjunctum. Quomodo apud EURIPIDEM Helen. Act. I. dicitur:

Εις γαρ τοσουτον ηλθομεν βαθος κακων

In tantum enim malorum profundum venimus. Loca ſane profunda ſeu valles ſunt loca tenebricoſa, colluvie aquarum ſordida & propter obſtantes montes non facile pervia. Adeoque in talibus verſans Eccleſia concipi poteſt lucis gratiæ minori modulo gaudere, multis peccatorum ſordibus inquinata eſſe, atque inter montes regnorum mundi progreſſum ejus impedientium conſtricta hærere.

Vocavi te) Verbum de precibus obvium Pſ. CXLV: 18. CXIX: 145. &c. Metaphorice exprimit petentium tum ſummum periculum, tum enixum deſiderium exauditionis. Confer Pſ. CXX: 1. Præteritum hic non eſt negligendum. Qui enim hic loquitur, non ſolum indicat, quid in præſenti faciat, ſed etiam quid jam fecerit in præcedenti tempore, ut aſſiduitatem in precibus oſtendat. Unde verba ſequentia formulam illam exhibent, qua Pſaltes ſe uſum in precibus refert. Confer de clamore Eccleſiæ Proteſtantis in anguſtiis ſuis ad Deum Jeſ. XXVI. 16. 17.

Jehova) Vide Pſ. CXX: 1.

VERS. 2.

Jehova auſculta ad vocem meam) *Audire* paſſim Deo tribuitur pro

pro *exaudire* Pſ. V: 3. XVII: 1. &c. *Audire ad vocem* eſt voci obſervanti morem gerere. Nam verbum cum ב conſtructum obſequium & aſſenſum ſolet exprimere etiam erga inferiorem, ut Gen. XXI: 12. XXVII: 13. XXX: 6. Tanta eſt confidentia animæ fidelis, quæ ſibi conſcia eſt, quod in clamore ſuo ſecundum voluntatem Dei petierit, quæque novit, quam grata Deo vox ſit afflictæ turturis Eccleſiæ ſuæ Cant. II: 14. Pſ. X: 17.

Sint aures tuæ attentæ) Aures Deo tributæ Symbolum omniſcientiæ providæque curæ ejus præcipue circa populum ſuum. CLEMENS ALEXANDRINUS ſtrom. V. de Ægyptiis. *Aures & oculos fabricantes ex materia pretioſa conſecrant, Diis in templis dedicantes, hoc utique tacite ſignificantes, quod Deus omnia videt & audit.* Verbum, קשב, unde קשבות, idem eſt, quod attendere, idque arrectis auribus, ut eo accuratius dicta alterius percipiantur. Nomen noſtrum non niſi duobus præter noſtrum locis legitur 2 Chron. VI: 40. VII: 15. ubi itidem Deo adſcribitur, & ſingularem favorem Dei notat. Non ſolum ergo Eccleſia vult exaudiri ad ſuam liberationem, ſed etiam deſiderat, ut illa liberatio ex paterno affectu Jehovæ procedat. Poſſet etiam auxilium feſtinatum indicari.

Ad vocem ſupplicationum mearum) תחנונים eſt a חנן *gratioſus fuit, miſertus fuit*, unde quascunque deprecationes humiles deſignat, etiam quæ fiunt ad hominem a pauperibus Prov. XVIII: 23. Frequentiſſime autem de precibus fidelium uſurpatur, & ſigillatim talium, qui miſeriis ſe preſſos ſentiunt 2 Chron. VI: 21. Pſ. XXVIII: 2. XXXI. 23. CXVI: 1. Dan. IX: 3. 17. &c. Indicatur ergo in precante 1. magna anguſtia illiuſque ſenſus: 2. humiliatio ſincera propter indignitatem per peccata contractam: 3. perſuaſio de benevola Dei voluntate, qua in ſanguine foederis vult gratiam facere: 4. confugium ad eam cum paupertate Spiritus. Numerus pluralis repetitas ſæpius cum inſtantia ſupplicationes indicat.

Patet ergo in poſteriori hujus commatis tmemate, licet idem videatur velle dicere cum priore, ſecundum conſuetam in ſa-

cris exergaſiam tacite contineri duplex argumentum exauditionis, alterum deſumtum ab ipſo Deo, quia is ſolet attentus eſſe ad preces ſuorum, alterum a precante, quia in ſe per fidem ſentit effectas illas qualitates, quæ ad petitionem in fide requiruntur.

VERS. 3.

Si iniquitates) Radix עוה aliquando phyſice quoque ſumitur & tum notionem habet *invertendi* Jeſ. XXIV: 1. 2 Reg. XXI: 13. phraſi alludente ad vas, cujus os deorſum vertitur. Ad actiones igitur morales tranſlatum indicat tales, quibus plane invertitur creatura atque in ſtatum principio, indoli ac fini contrarium redigitur. Invertitur idea Dei, dum loco juſti & ſancti tanquam mali patiens concipitur. Invertitur Lex Dei in conſcientia expreſſa, gloria & excellentia animæ cum imagine Dei indita, ſcopus ad quem homo eſt conditus, uſus quoque creaturarum. Pluralis iniquitatum ingentem cumulum & gravitatem denotat. Horum tempeſtive meminit, quia peccata Eccleſiæ aliquando ante ejus pleniorem reſtitutionem procraſtinatura eſſe attentionem Dei Jeſ. LIX: 1. 2. prædictum, unde ingenue populus Dei eas confitetur, & objectionem, quæ inde contra preces ejus formari poteſt, tollere quærit.

Servabis) Emphaticum eſt שמר cum *iniquitatibus* conſtructum, licet alias non occurrat. Proxime accedit, κρατειν τας αμαρτιας, quod legitur Joh. XX: 23. & opponitur τω αφιεναι: adeoque deſignat rigidam iniquitatum vindictam, excluſa remiſſione, ita, ut peccator in propria perſona ultimum quadrantem luere teneatur. Ubi enim id fit, ibi in emphaſi ſervatur memoria accurata omnium & ſingulorum delictorum ſecundum omnes circumſtantias Pſ. XC: 8. CIX: 14. ita ut in faſciculo quaſi recondantur Hoſ. XIII: 12. idque in æternum, quia tamdiu reatus peccati non remiſſi durat.

Jah) Vide ad Pſ. CXXII: 4. In punctatione conſtruitur cum שמר. Atque ita indicatur poſſe Deum per ſanctitatem ſuam

ſuam ita facere, quin per juſtitiam ſuam id quoque ipſum decere Rom. I: 32.

Jehova) Eleganter cum Jah conjungitur. Quam enim ſpem *Jah* videbatur eripere ad illam recuperandam. *Jehova* viam ſternit.

Quis conſiſtet) Vox hæc ex judiciis eſt petita, in quibus *ſtare* dicebantur, quicunque cauſſam ſuam maſcule & cum parrheſia ita defendebant, ut abſolutio ſequeretur. Huc alluditur, quando illi in judicio Dei ſtare dicuntur, qui bonæ cauſæ ſunt conſcii nullamque condemnationem timendam habent Pſ. I: 5. Nah. I: 6. Mal. III: 2. Interrogatio: *quis conſiſtet?* eſt fortis negatio, æque ac Eccleſ. VII: 13. *quis poteſt rectum facere?* Pſ. XIX: 13. *peccata quis intelligit?* Ita eſt. Nemo mortalium coram judicio Dei propria juſtitia fretus abſolutionem ſperare poteſt Job. IX: 3. Pſ. CXLIII: 2. Rom. III: 19. 20. Speciatim autem hic indigitatur, quam generalis futura ſit in eo tempore, de quo Pſaltes agit totius Eccleſiæ labes, quæ non tantum externos confeſſores hypocriticos, ſed etiam vera Eccleſiæ membra infecit Jeſ. LIX: 11-13.

Ex hac autem generali contagione conficitur, Deum indulgentia uſurum, cum inter illos ipſos, qui iniquitatibus fuerunt inquinati, ſtatuendum tamen ſit, ſemen aliquod electum ſupereſſe, quod Deus propter iniquitates ſuas non rejiciet.

VERS. 4.

Nam tecum eſt condonatio illa) הסליחה LXX. hic & Dan. IX: 6. eleganter vertunt per ιλασμος, quod alias quoque pro חטאת *ſacrificio pro peccato* ponitur Ezech. XLIV: 27. uti ιλασκομαι pro כפר. Adeoque denotat talem condonationem peccatorum, qua non ſolum poena omnis promerita tollitur, ſed etiam ipſe Deus propitius redditur, idque mediante ſacrificio. Hanc emphaſin præſens locus eo magis requirit, quia præfixum ה emphaticum indicat de excellentiſſimo illo condonationis modo rem eſſe, quo Deus in ſacrificio Chriſti non ſolum plenam remiſſionem

peccatorum ex gratia donat, ſed etiam peccatorem in amicitiam recipit. Talis condonatio apud *Deum* eſt. Ille enim eſt *Deus* סליחות *condonationum* Nehem. IX: 17. de quo Dan. IX: 9. dicitur: *Domino Deo noſtro miſerationes* והסליחות *& condonationes.* Illæ ſunt *apud Jehovam*, non ſolum quia ille ſolus hanc omniſufficientiam habet, ut peccata remittere queat Mich. VII: 18. Sed etiam quia ille in conſilio gratiæ ſibi propoſuit, quod ſummam ſuam gloriam in condonatione delictorum vellet demonſtrare Exod. XXXIV: 7. ſigillatim in N. T. Jer. XXXI: 34. & ſpecialiſſime in illo tempore quod ultimum ejus & glorioſum ad Eccleſiam adventum antecedit Jeſ. XXXIII: 24.

Ut timearis) LXX. Interpretes in quibuſdam exemplaribus legunt ἕνεκα ὀνόματός σου, in aliis vero ἕνεκα νόμου. Poſteriorem lectionem CAPPELLUS Crit. Sacr. lib. IV. p. 227. veram eſſe judicat, quia cenſet Helleniſtas pro תורא legiſſe תורה, unde quoque Symmachus & Theodotion verterunt νόμον, ſecundum Hieronymum. Priorem tamen verſionem LXX. & Theodotion in Hexaplis Origenis præferunt. Et ſic magis ſenſum, quam verba ſecuti eſſent LXX. Nam quod Deus propter nomen ſuum facit, id eum in finem facit, ut homines nomen ejus reverentur. Id certum eſt, quod hic non *timor* ſervilis, ſed *filialis* intelligatur. Cum enim ſequatur condonationem, non amplius poteſt ex metu poenæ procedere. Timere Deum aliquando idem eſt, quod *credere*: aliquando generalius ſanctam animi diſpoſitionem deſignat, qua electi ex profunda perfectionum Dei agnitione ſibi cavent ab omnibus, quæ ei ingrata ſunt, & in cultu ejus ex corde ſincero occupantur Pſ. CXII: 1. Pſ. LXXXVI: 11. Prov. III: 7. Joſ. XXIV: 14. &c. Utrumque hic quadrat. Propterea enim, quia apud Deum eſt condonatio, objectum fidei peccatoris eſt ad illum confugientis omnemque fiduciam ſuam in eo collocantis. Præterea effectus condonationis ejus eſt, non ut peccatum vilipendatur, ſed ut eo magis caveatur, utque anima tanto beneficio ditata ſollicite gratiam ſe Deo exhibere quærat.

VERS. 5.

VERS. 5.

Exſpectavi Jehovam) קוה in ſenſu phyſico deſignat corporeus motus per lineam quantum pote rectam ad finem, qualis ſigillatim eſt fluviorum petentium mare Gen. I: 19. Job. VI: 19. Jer. III: 17. Quod elegans ſymbolum eſt illius affectus, quem exſpectationem dicimus, in quo conjuncta ſunt deſiderium ſpes & patientia. *Exſpectare Jehovam* tanquam proprium populi Dei attributum conſideratur Pſ. XXXVII: 9. Jeſ. XL: 31. &c. Quod ſupponit Jehovam eſſe ſummum finem ſeu oceanum, ad quem omnia fluenta deſideriorum animæ tendunt, illum eſſe quodammodo adhuc abſentem, ſed tamen ita ut promiſſionibus multis declaraverit ſe adfuturum. Ipſe vero exſpectationis actus involvit, quod fideles deſiderio communionis propioris cum Jehova ſint impleti; quod vera fide promiſſiones Evangelii amplectantur, atque ex iis ſpem certam concipiant; quod deſiderium hoc indeſinenter urgeant: quod nihilominus non feſtinent, temporiſque diſpoſitionem ſapientiæ divinæ relinquant. Ita exſpectans erat Eccleſia V. T. Zach. IX: 12. Hab. II: 3. Sed ita exſpectare pergit Eccleſia N. T. quamdiu nondum in illum ſtatum glorioſum eſt tranſlata, qui ultimis temporibus eſt promiſſus Pſ. XXVII: 14. Jeſ. XXV: 9. XXXIII: 2.

Exſpectavit anima mea) Animam ſtylus ſacer ſoepe ponit pro illa facultate animæ quæ affectibus eſt expoſita. Quare hæc repetitio cum additione *anima* indicat exſpectationem continuatam, in qua affectus deſiderii magis per moram interjectam eſt incenſus.

Et ad verbum ejus præſtolatus ſum) ſive *in eo ſperavi*. Radix יחל prope convenit cum קוה, niſi quod hæc magis exprimat deſiderium, illa vero ſimul includat fiduciæ firmitatem, quæ animam in ipſa affectus deſiderii vehementia nihilominus tranquillat & patientem facit, ut licet ulterior mora adhuc requiratur, nihilominus voluntati Dei ſe ſubmittat. Objectum præ-

ſtolationis eſt *verbum Jehovæ* Pſ. CXIX: 43, 74. 81. 114. 147. Quod poteſt intelligi tum de verbo promiſſionis, in quo Deus fallere nequit, tum de verbo mandati, in quo hanc exſpectationem præſcripſit. Atque ita in hac poſteriori commatis noſtri parte ratio datur, cur exſpectet, & tam indefinenter in exſpectando pergat.

VERS. 6.

Animus mea ad Jehovam) Pæfixum ל indicat, quod Jehova ſit abſens, & quod anima ad ejus adventum intenta ſit. Confer Luc. XXI: 28. Mich. VII: 7.

Præ cuſtodibus ad diluculum) Ex Hebræorum annotationibus conſtat in Templo per Sacerdotes & Levitas excubias eſſe actas in tribus locis per Sacerdotes, & 21. per Levitas, ſingulis catervis denario conſtantibus. Hi exſpectabant diluculum. Nam MAIMONIDES in Hilco: Beth Habbechim Cap. VIII. §. 11. author eſt, quod mane antequam aſcenderet aurora circa ortum fere ejus venerit Præfectus Templi & pulſaverit fores ſacerdotum, qui in domo erant incendii (excubias illic agentes) & quod deinde cum illis totum atrium exploraverit & circumiverit luſtrantes an omnia recte ſe haberent. Sed & urbes munitæ ac caſtra ſuos *vigiles* habebant Jud. I: 24. VII: 19. Cant. V: 7. qui propter *timorem mortis* intenſe deſiderant, ut dies oriatur, quæ ab inſidiis hoſtium liberos præſtet, & quo exorto a ſuis dimittuntur excubiis, capturi ſomnum, quo per moleſta noctis prolixæ ſpatia erat abſtinendum. Dum his ſe præfert Eccleſia, declarat 1. quod nox Eccleſiæ incumbat Jeſ. XXVI: 9. LIX: 9. 10. Mich. VII: 8. Zach. XIV: 7. 2. quod ſpem habeat, lucem novam brevi orituram Jeſ. LX: 1. 3. quod deſiderio enixo feratur, ut lux illa tandem oriatur, atque in illo deſiderio vincat quoſcunque cuſtodes, lucem corporalem anhelantes.

Cuſtodibus ad diluculum) Repetitionis hujus diverſæ afferuntur cauſſæ. SYRUS: a *cuſtodia matutina ad cuſtodiam matutinam*.

nam. COCCEJUS & alii prius שומרים cenſent poni nominaliter, poſterius participialiter h. m. *præ cuſtodibus ad diluculum obſervantibus diluculum.* Et ſimile exemplum videtur occurrere Jerem. XXIII: 7. ſed obſtat, quod tum non opus fuiſſet vocem *diluculum* repetere. Alii ergo affectus fervorem per repetitionem indicari cenſent. Mihi placeret, ad continuationem operis dictionem hanc referri, ita ut indicetur cuſtodes hos in obſervatione diluculi pergere. Ita phraſin accepit R. SAL. JARCHI, cujus explicatio eo magis notanda, quia hæc accipit de piis redemtionem Meſſiæ anhelantibus, dicens: הריני מן המצפים לגאולה שומרים לבוקר מצפין וחוזרין קץ אחר קץ: *Ecce egoſum ex ſpeculantibus redemtionem, qui obſervant mane i. e. qui ſpeculantur uno termino poſt alterum.* In eo ſaltem eſſe Pſalten, ut perſeverantiam ſuam in exſpectando edoceat, verſus præcedens judicavit. Et aptiſſime id convenit tali tempori, in quo POPULUS Dei exſpectationem ſuam ſæpius prorogatam eſſe ſentit, ita ut, cum jam diluculum imminere putaret, intercedentibus novis afflictionum nubibus, lucis ſperatæ ortum differri perciperet, quo non obſtante in exſpectando Jehova pergit.

VERS. 7.

Spera Iſrael ad Jehovam) De Iſraële Pſ. XXI: 4. Hic idem eſt, qui hactenus in Pſalmo erat locutus, quique verſibus ultimis duobus reſponſum Spiritus Sancti in cordibus eorum teſtantis accipit. De ſpe modo vs. 6. Sicut autem illic declaraverat fundamentum ſpei eſſe *verbum Jehovæ*, ſic hic ſperare *ad ipſum Jehovam* jubetur, quod non ſolum indicat Jehovam eſſe fundamentum, ſed etiam objectum ſpei. Nullum aliud bonum quærunt fideles, quam Jehovam ipſum. Sigillatim hic de Filio cogitandum eſt, qui ſtatim ut Redemtor Iſraëlis deſcribitur. Ille qua perfectiſſimus Deus eſt objectum ſpei & qua omniſufficiens mediator ejuſdem eſt fundamentum. Dum autem Iſraëli idem præcipitur, quod ſe jam agere declaraverat, 1. illa ſancta animi diſpoſitio approbatur: 2. monetur ut, licet jam

jam diu ſperaverit, in ſperando non defetiſcat: 3. tacite implementum ſpei promittitur. Deus enim non vult, ut quis fruſtra in eum ſperet.

Quia cum Jehova eſt gratia illa) חסד denotare beneficentiam gratuitam atque intenſam notum eſt. Præfixum ה emphaticum nos hic monet de excellentiori ſenſu quem חסד habere ſolet in ſacris, quando ipſum conſilium & Teſtamentum gratiæ omniaque beneficia inde ad peccatorem promanantia deſignat, eodem modo ut Deut. VII: 12. 1 Reg. VIII: 23. Jerem. XVI: 5. Dan. IX: 4. Illa gratia eſt cum Jehova, quia illius fons & author eſt, unde, qui, cum eo communionem per fidem habent, illi propria hujus gratiæ ac beneplaciti objecta ſunt, quare impoſſibile eſt, ut fruſtra in eum ſperent.

Et multa cum ipſo redemtio) Vox פדות ter extra hunc locum in ſacris occurrit, ſemel de redemtione Iſraëlis a plagis Ægypti Exod. VIII: 23. bis de redemtione Meſſiæ per illam præfigurata Pſ. CXI: 9. Jeſ. L: 2. Frequentius etiam פדה de redemtione per Meſſiam uſurpatur Jeſ. I: 27. Hoſ. XIII: 14. LXX. reddunt per λυτρωσις, ut indicent talem redemtionem, quæ fit intercedente λυτρῳ. In redemtione ex Ægypto duo conjuncta erant, quia fiebat & per typicum pretium ſanguinis agni Paſchalis Mich. VI: 4. & per manum fortem. Sic etiam redemtio Chriſti quoad acquiſitionem æque ac applicationem ſalutis utrumque requirebat. הרבה non ſolum de quantitate diſcreta, ſed etiam aliquando de quantitate continua ſeu magnitudine uſurpatur Gen. XV: 1. 1 Reg. V: 9. Redemtio ſane Chriſti eſt & magna tum quoad pretium vireſque impenſas, tum quoad pleniſſimum effectum & ampliſſimum fructum: eſt multiplex quoad varias electorum miſerias & afflictiones, ex quibus identidem populum liberat. Utrumque ſpem Iſraëlis confirmat.

VERS. 8.

Et ipſe) Singularis emphaſis eſt demonſtrativi הוא de Jehova

Fi-

ſii Dei uſurpati. Judæi inter nomina divina id referunt, qua de re pluribus egimus ad Pſ. XLV. Exerc. IX. §. 21. Iſtud certum eſt, quod hoc pacto Spiritus ſanctus indicare voluerit, quomodo abſque omni auxilio humano per propriam omniſufficientiam & potentiam Eccleſiam ſit liberaturus. Atque id ipſum tanquam criterium ultimæ liberationis Eccleſiæ Prophetæ commemorant Deut. XXXII: 39-41. Jeſ. LIX: 16, 17. LXIII: 3, 5.

Redimet Iſraelem) De glorioſa Eccleſiæ per Chriſtum in ultimis temporibus redemtione Prophetæ uno ore loquuntur. Adde dictis modo citatis Hoſ. XIII: 14. Apoc. XIX. &c.

Ex omnibus pravitatibus ſuis) Quid ſint *iniquitates* ad vs. 3. vidimus. Redemtio ex iis involvit non ſolum eorum remiſſionem propter λυτρον ſanguinis Chriſti, ſed & eorundem liberationem ex ipſa ſervitute peccati, quod involvit effuſionem Spiritus ſancti in majori menſura, quam eædem prophetiæ his temporibus promittunt Jeſ. XXXII: 15. ſq. LXV: 20. Zach. XIV: 8. ſq. nec non remotionem peccatorum ex communione Eccleſiæ Zachar. XIV: 21. Pſalm. CIV: 35. Apoc. XXI: 27. Redemtio hæc maxime illuſtris erit per ſuam univerſalitatem *ex omnibus* pravitatibus ſuis. Ita ſolet Scriptura perfectionem meriti Chriſti exprimere Pſ. CIII: 3. 1 Joh. I: 7. Emphatice autem non promittitur redemtio ab hoſtibus, ſed a pravitatibus, quia cauſſa poenarum ſublata poenæ per ſe ceſſant.

IMPLEMENTUM.

§. I. Quam concinne hic Pſalmus poſſit ut talis conſiderari, qui jam noſtro tempore incepit implementum ſuum habere, patet ex ſtatu triſtiſſimo Eccleſiæ Proteſtantium, quæ ſecundum externam faciem, in valle tenebroſa eſt conſtituta & per oppoſitos montes talium regnorum, quæ Antichriſtianiſmo ſerviunt in via media præpeditur, ut non tantum ulterius progredi nequeat, ſed etiam periculo oppreſſionis totalis ſemper maneat expoſita. Sed graviſſimum vulnus Eccleſiæ eſt interna

vitæ morumque corruptio, quæ in dies ulterius graſſatur.

§. II. Superſunt nihilominus, qui ex verbo prophetico, cujus ſtudium noſtro tempore magis, quam unquam alias, florere coepit, meliora tempora exſpectare inceperunt, quique agnoſcentes rupturas Zionis, ad eas indoleſcunt & querulas voces e propter coram Deo profundunt, quorum ſuſpiria quin Deus ſuo tempore ſit exauditurus, dubitari nequit.

USUS.

Pſalmus hic præ aliis accommodatus eſt ad docendum, quomodo illi ſe gerere debeant, qui de malitia temporum conquerentes, quantum in ſe eſt, meliorum exſpectationem promovere volunt. Illis incumbit 1. ad omnium malorum radicem penetrare, quam conſtituunt propria & aliorum peccata: 2. propter illa profunde coram Deo humiliari & propitiationem tam ſuam quam totius populi in ſanguine Chriſti quærere: 3. maximi æſtimare verbum illud Jehovæ, in quo fundamenta ſpei comprehenduntur: 4. precibus ardentibus apud Deum inſtare, ut populi ſui miſereatur. Ut autem preces hæ Deo placere queant, ſecundum exemplar hic propoſitum ſunt formandæ, quo pertinet, ut ſint ex profundo miſeriæ ſenſu, ut ſint clamore fervidæ, ut ſint ſupplices, cum paupertate Spiritus conjunctæ, ut ſint indeſinentes: 5. ſpem non abjicere, licet auxilium protrahatur: 6. vigili obſervantia ad ſigna temporum attendere. Facile autem, quæ hic occurrunt tanquam communem Eccleſiæ ſtatum concernentia, unaquæque anima fidelis ad ſimilem ſtatum ſibi privum transferet, qualis ille eſt, quando novis peccatis caſtigationes paternas Dei prolicuit, ſub quibus ingemiſcit, dum faciem ejus ſimul a ſe in ira abſconditam eſſe animadvertit. In tali enim caſu ſimili via procedere debet ad ſenſum gratiæ Dei recuperandum. Sigillatim autem ei opus eſt patientia, ne animum deſpondeat, dummodo in ſe deprehendit potiſſimum iſtud ſinceritatis criterium, quod conſiſtit in deſiderio irrequieto, ut poſt nubila ſol juſtitiæ oriatur.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXXXI.

שיר המעלות לדוד יהוה לא-גבה
לבי ולא-- רמו עיני ולא-
הלכתי בגדלות ובנפלאות
ממני :

1. *Carmen graduum Davidis. Domine, non extulit ſecor meum, neque extulerunt ſe oculi mei: Et non ambulavi in magnis & mirabilibus præ me.*

אם-לא שויתי ודוממתי נפשי
כגמל עלי אמו כגמל עלי נפשי :

2. *Si non ſedavi & compeſcui animam meam! Ut infantis ablactati apud matrem ſuam, ut ablactati apud matrem ſuam, ut ablactati* eſt *anima mea apud me.*

יחל ישראל אל-יהוה מעתה
ועד- עולם :

3. *Spera, Iſraël, ad Dominum, à nunc & in ſeculum.*

§. I.

DAvidem Pſalmi Authorem eſſe inſcriptio indicat. De occaſione compoſitionis ejus res eſt incerta. Reliquis probabilior eſt ſententia AMYRALDI, qui cenſet, Davidi eam ſubnatam eſſe per promiſſionem de regno ei dando, propter quam ſpem Saul & aſſentatores ejus Davidem inſimulabant, quaſi viam ad principatum non modo præpropere, ſed etiam nefariis artibus affectaret 1 Sam. XXIV: 10. XXVI: 19 &c. Quam calumniam ut refelleret, hic ſolenniter declarat ſe ab omni ambitione eſſe alienum, nihilque ſpirare, quod ſit ſupra conditionem

 ſuam,

ſuam, haud magis, quam infantem, qui recens ablactatus eſt.

§. II. Neque tamen in his ſubſiſtendum eſt, quia niſi altius quid Davides intendiſſet, hoc ſolum non promeruiſſet in uſum Templi Eccleſiæ tradi, neque ſuffeciſſet ad *ſpem Iſraëlis nunc & in ſeculum* confirmandam, quod vs. 3. indicatur ſcopum hujus cantici eſſe. Unde etiam KIMCHIUS cenſet, pro exulibus nunc Judæis in humilitatis exemplum a Davide de ſeſe ſcriptum eſſe.

§. III. Aptiſſime omnia fluunt, ſi ſtatuas, Pſalmum hunc quoad materiam cum Pſalmo præcedenti connexionem habere, quia eodem præcepto finit, quod vs. 7. vidimus talemque animi faciem delineat, quæ exſpectantibus in patientia maxime convenit.

§. IV. Reſpectum ergo habet ad magnam illam redemtionem Iſraëlis illic prædictam, & pulcherrime pingit primarium aliquod attributum eorum, qui ad tantam redemtionem ſe rite præparare volebant, quod conſiſtit in conſtrictione ac ſuppreſſione affectuum nimis ſe efferentium & ſubjectione tranquilla ſub voluntate Domini.

§. V In ſcena hujus Pſalmi nobis proponere debemus populum Dei ſtantem contra hoſtes ſpem Eccleſiæ contemnentes & vituperantes tanquam nimis alte gradientem, contra quos ut ſe confirmet, coram Domino ſe effundit, conteſtans quam longe diverſa ſit animi ſui diſpoſitio ab illa, quam hoſtes affingebant. Quod cum ex ſincero corde proveniret denuo per Spiritum ſanctum in ſpe ſua confirmatur.

§. VI. Bipartitus ergo hic eſt Pſalmus, continens

I. Conteſtationem animæ fidelis coram Deo cordis ſcrutatore de ſancta ſua diſpoſitione vs. 1. 2. in qua indicat

A. Quomodo aliena ſit a crimine objectæ ſuperbiæ variiſque ejus gradibus vs. 1.

1. Quoad cor vs. 1. princ. *Jehova, non extulit ſe cor meum.*

2. Quoad oculos vs. 1. med: *Et non alti fuerunt oculi mei.*

3. Quoad

3. Quoad ambulationem vs. 1. fin. *Et non ambulavi in magnalibus & mirabilibus præ me.*

B. Quomodo contraria ratione affecta ſit vs. 2. Ubi

1. Deſcribit ſtudium quod impendit ad omnes pravos & tumidos affectus compeſcendos vs. 2. p. pr. *An non ſedavi & compeſcui animam meam ut infantis ablactati apud matrem ſuam?*

2. Indicat effectum, quem hoc ſtudium habuit vs. 2. p. poſt. *Sicut ablactati eſt apud me anima mea.*

II. Reſponſum divinum per excitationem ad conſtantiam in ſpe vs. 3. *Speret Iſraël ad Jehovam a nunc & uſque in ſeculum.*

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1.

Jehova) Ad ipſum Jehovam provocat, quia ille eſt Judex piorum, non homines Jeſ. XXXIII: 22. Ipſius etiam nominis Jehova memoria in piis omnem faſtum ſupprimit. Dum enim iſtud nominant, declarant, quod omnem ſpem ſuam non in ſuo merito ſed in ſola promiſſorum ejus veritate repoſitam habeant.

Non extulit ſe cor meum) Cor hic eſt voluntas. Confer Pſ. CXXV: 4. Iſtud dicitur *ſe exaltare*, quæ conſtructio verbo גבה propria eſt & occurrit de Uzia ſacerdotalia munia uſurpante 2 Chron. XXVI: 16. de Hiſkia poſt miraculum Domini in eo editum 2 Chron. XXXII: 25. de Rege Tyri Ezech. XXVIII: 2. quod antecedere confractionem dicitur Prov. XVIII: 12. Superbia ſane ſedem ſuam habet in corde, perverſo judicio ſibi ipſi imponente, & in quacunque præſtantia ſeu naturali ſeu acquiſita ſe ſive coram Deo, ſive coram hominibus efferente; coram Deo, quando meritum ſibi aliquod ineſſe putat; coram hominibus, quando alios præ ſe contemnit aut ab iis honorem exigit. Quando ab hoc vitio ſe excuſat Pſaltes

non abſolute ſed ſecundum quid intelligendus eſt, in certa ſcilicet cauſa, quæ ei ab hoſtibus objiciebatur. Solent enim oſores veritatis fidelibus ſuperbiam exprobrare, quando præ illis in gratia Dei gloriantur.

Et non alti fuerunt oculi mei) Ita externum ſignum faſtus etiam declinat. Nam ſicut humiles & modeſti oculos deprimunt, aliorum honoratiorum aſpectum non ferentes, ita e contrario ſuperbi oculos in altum tollunt Pſ. XVIII: 28. Prov. VI: 17. XXX: 13. Jeſ. II: 11. Hinc ſupercilium arrogantium ſymbolum. Hinc Αιρειν τας οφρυς apud DIPHILUM, id eſt, *ſupercilium tollere*. SUIDAS: *Οφρυς ανασπωντες, και γναθυς φυσωντες. επι των αλαζονων και υπεροπτικων. Supercilia attollentes & buccas inflantes: Dicitur in arrogantes & elatos* HESYCHIUS: Κατοφρυομενος, μεγαλοφρονων. JUVENALIS Sat. VI.

- - Si cum magnis virtutibus adfers
Grande Supercilium - - -

PLINIUS etiam H. N. lib. XI: 37. teſtis eſt, quod ſupercilia maxime faſtum indicent & in iis ſedem habeat ſuperbia. Judicare ergo vult Pſaltes, quod nullam ſignum faſtus ſui externe ediderit. Hoc faciebat ad criminationem hoſtium eo fortius refutandam. Cum enim de corde non niſi Jehova teſtis eſſe queat, ſi hoſtes voluiſſent ſpeciem criminationi obtendere, ex ſuperbis quibuſdam geſtibus aut factis eam debuiſſent probare, quæ cum deeſſent, clare pellucebat eorum iniquitas.

Et non ambulavi in magnalibus & mirabilibus præ me) גדולה uſurpatur de quacunque dignitate ex excellentia Eph. VI: 3. Pſ. LXXI: 24. unde *magnalia præ me* ſunt talia quorum ego non ſum capax, quæ ſortem meam ſuperant. נפלאות deſignant opera Dei admiranda, quæ humanæ rationis captum & finitæ naturæ fines excedentia in admirationem ſapientiæ, potentiæ, bonitatis divinæ abripiunt. Qualia ſolus Deus facere dicitur Pſ. LXXII: 18. LXXXVI: 10. XCVIII: 1. &c. Quare *admiran-*

randa præ me ſunt talia, quæ aut irrito labore imitarer, aut fruſtraneo & temerario conatu ſcrutarer. Poſterius hanc phraſin clarius a præcedente diſtinguit. הלך apud Hebræos aliquando eſt idem ac *ſectari*. Sic ſectari ſapientiam Prov. XXVIII: 26. juſtitiam Jeſ. XXXI: 13. integritatem Pſ. CI: 2. &c. Sic magnalia & mirabilia non hic conſiderantur ut *via*, in qua ſuperbus ambulat, ſed ut ſcopus, ad quem tendit. Impii culpant fideles, quod ſectentur nimis magna, quando magnitudinem ſpei eorum rejiciunt: & quod ſectentur nimis mirabilia, quia illa pro ſomniis imaginariis habent, quorum promiſſiones ad ſolamen piorum pertinent. Putant etiam illos ultra debitum in ſcrutandis viis Domini progredi, quando ſigna temporum ex verbo Prophetico obſervant. Hæc poſteriora verba conſiderari poſſunt ut inſtantia nova, quam hoſtes probaturi crimen ſuperbiæ faciebant, cauſſantes, iſtud tamen judicium ſingularis faſtus eſſe, quod ſe ab aliis ſeparando illis præferant & tantarum rerum ſpe ſe diſtinguant. Verum id eo ſenſu, quem adverſarii intendebant, itidem falſum eſſe fideles hic pronuntiant, idque eo meliori jure, quia talis faſtus & elatio maxime proprius Antichriſtianismi character eſt 2 Theſſ. II: 4. Pſ. X: 2-6. Jeſ. XIV: 12. ſq. Ezech. XXVIII: 2. 17. Dan. XI: 36. ſq. Apoc. XVIII: 7. &c.

VERS. 2.

An non) Conſtructionem hanc varie Interpretes concipiunt. Quidam cum SCHMIDIO: *ſi non pone rem*, ut Gen. IV: 7. *tunc eſſet apud me anima mea* &c. aut cum ABEN EZRA: Si non compoſui animam meam, fiat illa ſicut ablactatus. Sed tum emblema ablactati in malum ſenſum eſſet accipienda. Multoplures cum KIMCHIO ellipſin ſtatuunt. *Si non compoſui animam meam, Deus mihi ſic faxit*. Simpliciſſimum nobis apparet אם לא interrogative accipere ut Job. XVII: 2. XXX: 25. Quales quæſtiones vehementiam ac parrheſiam in dicente notant. Ita ſumta verba juramenti vim ſervant ab-

abſque dura illa imperatione. Qui enim quæſtionem de ſtatu & actionibus ſuis Deo proponit, ille ſimul ad eum tanquam teſtem provocat Job. XVI: 19. Hoc vere eſt επερωτημα της αγαθης συνειδησεως. 1 Petr. III: 21. Jeſ. I: 18.

Sedavi animam meam) Per animam intelligi affectus ad Pſ. CXX: 6. notavimus. Sigillatim ita ſolent vehementiora deſideria exprimi Pſ. XXIV: 4. XXVII: 12. &c. שוה *ſedare* uſurpatur de explanatione ſuperficiei per ſuppreſſionem protuberantiarum Jeſ. XXVIII: 25. unde transfertur ad deſignandam exæquationem animæ Jeſ. XXXVIII: 13. quæ per affectuum intemperiem, tanquam per eminentes colles aut fluctus inæqualis eſſe ſolet. Unde ad hanc ſedationem pertinet, ut media rite adhibeantur per quæ affectuum irregularitas coërcetur, deſideria rerum mundanarum ſupprimuntur, totaque anima gubernationi divinæ tam in proſperis quam in adverſis ſubmittitur, cujus rei egregium exemplum dedit David 2 Sam. XV: 25. 26. ipſeque Chriſtus Matth. XI: 29. 1 Petr. II: 23.

Et compeſcui ut infantis ablactati apud matrem ſuam) Vocem דמם conſtruendam putamus cum ſequenti infantis ſimili. Ita ut hæc altera phraſis per concinnum ſimile illuſtret id, quod in priori jam dictum erat. Symbolum infantis ablactati de illis in quibus initia gratiæ ſunt, reperitur Jeſ. XI: 8. *Infanti* ſimiles ſunt propter debilitatem: *ablactato* propter abnegationem variorum mediorum, quibus ab initio uſi erant. Sic in Chriſtianiſmi initio cathedræ Moſis, Legis, Canaanis relictio erat ablactatio Spiritualis. Sic & Eccleſiæ poſt liberationem ex Antichriſtianiſmo ſua potuit contingere ablactatio per pacis tam politicæ quam eccleſiaſticæ, aliorumque mediorum gratiæ imminutionem, variorumque tutaminum, a quibus non minimam exſpectationem ſibi formaverat, ablationem. In omnibus tamen his tentationibus fideles ſimiles manent *ablactato apud matrem*. Intellige per hanc matrem coeleſtem Hieroſolymam Gal. IV: 26. Apud quam manent etiam poſt ablactationem propter indiſſolubile Spiritus vinculum. Atque hoc eſt ſalutare medium, per quod animam ſuam compeſcunt ſive ad ſilentium permo-

vent. *Reticentia* Symbolum eſt compreſſionis affectuum, & præcipue impatientiæ contra voluntatem Dei ſe efferentis Jeſ. LIII: 7. Pſ. XXXVII: 7. Levit. X: 3. Apud ipſos gentiles eapropter *Deum ſilentio coli* creditum eſt, ut habet JAMBLICHUS de Myſter. lib. III. c. 3.

Sicut ablactati eſt anima mea apud me) Ut tautologiæ præſcindatur locus, hæc verba conſideramus ut declarationem, quod labor ad cohibendos affectus impenſus non fuerit irritus, quod dominium in animam obtinuerit, quodque licet tentationes nondum deſiderent, aliæque ex aliis moleſtiæ ingruerent, nihilominus in patienti ſub viis Dei ſubjectione perſeveraret. Emphaſis quoque in eo videtur eſſe, quod dicatur: *apud me*, ſive *in me*, ut teſtetur, ſubmiſſionem illam non in externa ſpecie ſubſiſtere, ſed intus in corde eſſe radicatam atque in occulto coram Domino exerceri. Hæc vera facies eſt Eccleſiæ Antichriſtianiſmi plenariam abolitionem exſpectantis Jeſ. XXX: 15. Pſalm. XXXVII: 8. 9. 11. XCIV: 12. 13. Mich. VII: 8. ſq. Hab. III: 16. Apoc. VI: 21.

VERS. 3.

Speret Iſraël in Jehovam) Vide Pſ. CXXX: 7.

A nunc & uſque in ſeculum) Vide Pſ. CXXI: 8. Si phraſis ſumitur de futuris in hac vita Eccleſiæ fatis, tum commendatur perpetuum ſpei exercitium: ſi vero eam ſimul extendere velis ad vitam futuram, tum innuitur objectum ſpei, quod a nunc exhibere Iſraeli Deus parabat, & quod tantæ erat extenſionis, ut in omnem æternitatem porrigeretur.

IMPLEMENTUM.

I. Qui faciem Eccleſiæ Proteſtantium præſentem intuetur, ille facile ſentit, nihil magis fidelibus noſtro tempore reliquis convenire, quam eum animæ, qui hic deſcribitur ſtatum. Quicunque enim ex ſincero animi deſiderio meliora tempora ap-

Digitized by Google

petunt, & ex verbo prophetico perſuaſi ſunt, ea inſtare, atque eapropter nolunt attendere ad cantum Tyri meretricium, illi traducuntur tanquam ſtolide ſuperbi, vanaque ſpe ſe efferentes. Quod ita commune eſt, ut etiam illi, qui in eadem communione vivunt, vere fidelibus paſſim inſultent, tanquam talibus qui hypocritico fuco turgeant, alios præ ſe condemnent, in ſtudio Prophetico ultra, quam fas eſt, progrediantur. &c.

II. Quare fidelium in eo potiſſimum ſtudium verſatur, ut contrarium oſtendant, veramque humilitatem exerceant: idque eo magis, quia talia vivunt tempora, in quibus Deus eos adhuc humiliare pergit & patientiam eorum exercet, dum perſecutiones in multis locis vigent, dum exilia, direptio bonorum, privatio ab uſu tranquillo mediorum gratiæ perpetienda ſunt, dum Principes, a quibus auxilium ſperabatur, ſpem fallunt; in quibus ſimilibuſque caſibus veri confeſſores matri Eccleſiæ conſtanter adhærent, atque ita ad hæreditatem ſpei Iſraëlis præparantur.

USUS.

Hinc facile eruitur, quodnam ſit officium & criterion verorum Eccleſiæ membrorum, quæ contra nullum vitium magis debent pugnare, quam ſuperbiam, & quidem ita, ut illam non ſolum externe non præ ſe ferant, ſed etiam in corde ſupprimant: Ipſam ſuperbiam ſpiritualem evitare debent. E contrario a Domino diſcenda eſt vera cordis humilitas.

Eum in finem affectus magis magiſque in ordinem ſunt redigendi.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Pſalmi CXXXII.

שיר המעלות זכור-- יהוה לדוד את כל-ענותו :	1. *Carmen graduum. Memento, Domine, Davidi omnem moleſtiam ejus.*
אשר נשבע ליהוה נדר לאביר יעקב :	2. *Qui juravit Domino, vovit Heroi Jacobi.*
אם- אבא באהל ביתי אם- אעלה על- ערש יצועי :	3. *Si intrabo tentorium domûs meæ, ſi adſcendam in ſpondam ſtratorum meorum!*
אם- אתן שנת לעיני לעפעפי תנומה :	4. *Si dabo ſomnum oculis meis, palpebris meis dormitationem!*
עד אמצא מקום ליהוה משכנות לאביר יעקב :	5. *Donec reperero locum Domino, tabernacula Heroi Jacobi.*
הנה שמענוה באפרתה מ מצאנוה בשדי- יער :	6. *Ecce*, qui *audiveramus illam in Ephrata, inveneramus illam in agris nemoris.*
נבואה למשכנותיו נשתחוה להדם רגליו :	7. *Accedamus tabernacula ejus, adoremus ad ſcabellum pedum ejus.*
קומה יהוה למנוחתך אתה וארון עזך :	8. *Surge, Domine, ad locum quietis tuæ, tu & arca roboris tui.*
כהניך ילבשו-- צדק וחסידיך ירננו :	9. *Sacerdotes tui induantur*

tur juſtitia & amantes te jubilent.

בעבור דוד עבדך אל תשב פני משיחך :

10. *Propter Davidem, ſervum tuum. Ne avertas faciem uncti tui.*

נשבע- יהוה לדוד אמת לא- ישוב ממנה מפרי בטנך אשית לכסא- לך :

11. *Juravit Dominus Davidi verum, à quo non recedet: Ex fructu ventris tui ponam in ſolio tibi.*

אם- ישמרו בניך בריתי ועדתי זו אלמדם גם-- בניהם עדי--עד ישבו לכסא- לך :

12. *Si ſervabunt filii tui foedus meum, & teſtimonium meum, quod docebo illos, etiam filii eorum in perpetuum ſedebunt in throno tibi.*

כי בחר יהוה בציון אוה למושב לו :

13. *Nam elegit Dominus Zyonem, appetivit in habitationem ſibi.*

זאת- מנוחתי עדי- עד פה אשב כי אויתיה :

14. *Hæc requies mea in perpetuum: hîc habitabo. Nam appeto illam.*

צידה ברך אברך אביוניה אשביע לחם :

15. *Commeatum ejus benedicendo benedicam: Egenos ejus ſatiabo pane.*

וכהניה אלביש ישע וחסידיה רנן ירננו :

16. *Sacerdotes ejus induam ſalute, pii ejus jubilando jubilabunt.*

שם אצמיח קרן לדוד ערכתי נר

17. *Ibi progerminare fa-*

למשיחי׃ *ciam cornu Davidi, diſpoſui lucernam uncto meo.*

אויביו אלביש בשת ועליו יציץ נזרו׃ 18. *Inimicos ipſius induam pudore. Et ſuper ipſo florebit corona ejus.*

§. I.

INterpretes paſſim cenſent authorem ejus eſſe Davidem, qui eum conſcripſerit ſive occaſione arcæ deportandæ ſecundum Ligtfootum; ſive quum ille de exſtruendo templo cogitaviſſet & illuſtrem de Meſſia promiſſionem accepiſſet, ut Schmidio placet; ſive cum poſt ſuperbam populi numerationem dira peſtis per triduum in Iſraële graſſata eſſet, & arca Ornani in templi exſtructionem eſſet deſignata. Verum eſt, quod Pſalmus de Davide agat. Inde tamen nequit colligi, quod ille author ejus fuerit, quia Pſalmus de eo in tertia perſona tantum loquitur. Et æque incerta eſt conjectura AMYRALDI, LUTHERI atque aliorum, qui Salomonem exſtructo Templo hoc canticum compoſuiſſe volunt. Licet enim certum ſit, verba quædam hujus Pſalmi tanquam a Salomone propoſita 2 Chron. VI: 41. 42. occurrere, inde tamen nihil aliud conficietur, quam Pſalmi hujus compoſitorem Salomonem imitatum fuiſſe.

§. II. De argumento & ſcopo Pſalmi adhuc majus eſt dubium. Ipſe COCCEJUS cenſet eum pertinere ad Vetus Teſtamentum, non, ut præcedentes ad climata & gradus victoriæ Eccleſiæ Novi Teſtamenti: unde in eo cenſet contineri verba Synagogæ ſibi gratulantis de reſtitutione cultus publici in Iſraële per Davidem & ſignificantis deſiderium & ſpem ſuam de Chriſti adventu. Sed obſtat 1. Quod ita turbetur ordo in Pſalmis graduum hucuſque oſtenſus. 2. Quod poſtrema ver-

Digitized by Google

verba Pſalmi ab ipſo COCCEJO de bonis N. T. intelligantur, id quod veteres etiam ſtatuerunt, unde Syrus hunc Pſalmum non ſolum *orationem Davidis*, ſed etiam *revelationem Chriſti* dicit. Jam vero nulla cauſa eſt, cur ultima verba a primis ſejungamus. In verſu ſane 13. non poteſt aliud Zion, quam myſticum Eccleſiæ N. T. intelligi, quia Deus hanc *requiem ſuam in perpetuum* nominat & benedictiones ſpirituales ei promittit. Neque alii etiam *Sacerdotes* vs. 9. &c. 16. quam ſpirituales intelligi queant. Neque vs. 18. de alio quam Davide myſtico eſt intelligendus. Quidni igitur de tabernaculis etiam ſpiritualibus cogitemus vs. 5. 7. 3. Accedit quod mentio *tabernaculorum* in plurali minus congruat ſanctuario unico V. T. 4. Difficile quoque eſt in hiſtoria David, quoad literam, oſtendere votum illud vs. 3. 4. *Si intrabo tentorium domus meæ, ſi adſcendam in ſpondam ſtratorum meorum* &c. Licet enim quis cogitare vellet de hiſtoria 2 Sam. VI. aut VII. circumſtantiæ tamen non convenirent. Nam a) verba hæc aut ſimilia in hiſtoria non exſtant. b) neque tantæ molis erat reperire locum arcæ, quem ſtatim ab initio David jam in Zione determinaverat. c) neque habitabat Davides in tentorio ſed in domo cedrina. d) neque cogitabat de tabernaculo ſed de Domo fixa exſtruenda. 5.) Neque facile conciliari poſſunt verba vs. 7. 8. ubi dicitur: *Accedamus tabernacula ejus. Reſurge Jehova ad locum quietis tuæ.* Si ſecundum literam aliquis hæc vult ſumere, tum debet intelligere per Tabernacula aut illa, quæ in Silunte erant, aut illa, quæ in Zione. Neutrum quadrat. Non prius, quia illic tempore Davidis arca, adeoque & ſcabellum pedum Jehovæ non fuit: non poſterius, quia invenerant arcam in agris nemoris, quod cum Zione non convenit, & quia ipſa Zion, tanquam locus quietis Jehovæ typicus ex hypotheſi vs. 13. conſideratur: quare non poterat peti, ut inde Jehova *ad locum quietis* ſuæ ſurgeret. Ex eodem fonte hæc verba nequeunt conſiderari tanquam prolata, quando Templo exſtructo gloria Domini ex Zione in illud ſe conferre debebat. Nec enim tum arca in agris nemoris inventa eſt. Ut taceam, ver-

verba illa: *Surge Jehova*, reſpicere ad columnam nubis & ignis, quæ, an poſt ingreſſum Iſraelitarum in Canaan fixum amplius comparuerit, merito dubitatur. Nullum ſane ejus veſtigium uſquam occurrit. Cum ergo omnes has difficultates in ſenſu myſtico evitemus, cumque nexus cum reliquis graduum canticis exigere videatur, nullam rationem eum relinquendi videmus. Alluſum quidem ad fata Davidis non negamus. Sed id inde eſt, quia David illuſtris Chriſti non ſolum in perſona, ſed etiam omnibus eventibus regni typus fuit, unde quando inclinata quoque N. T. tempora a Prophetis deſcribuntur, frequens occurrit ad Davidem alluſio. Confer ſis Pſ. CXXXIX.

§. III. Putem ergo Pſalmum hunc continere deſcriptionem quo Deus ſpem Jſraëlis aliquando expleturus eſt per Eccleſiæ ſub regno glorioſo coeleſtis Davidis, quod adhuc exſpectatur firmationem ampliſſimamque benedictionem.

Eum in finem introducitur hic chorus Jſraëlis cum alluſione ad foedus Dei cum Davide ictum, enarrans, quomodo in promovenda hac ſpe hactenus laboraverit, quomodo eam denique adeptus ſit, & quomodo jam nihil amplius deſideret, quam ut perpetua præſentia Domini gratioſa gaudeat: quæ vota per divinam reſponſionem confirmantur, in qua, quicquid Eccleſia adhuc exſpectandum habet, graphice delineatur.

§. IV. Bipartitus eſt hic Pſalmus

I. In prima parte loquitur Coetus Jſraelis vs. 1-10. & quidem in duas partes ſeu choros ſciſſus.

A. Pars prior eſt eorum, qui adhuc in afflictione conſtituti Deo Supplices fiunt, ut tandem Davidis reminiſci velit vs. 1-5. Hic.

1. Petitio ipſa proponitur vs. 1. *Memento Jehova Davidis, quoad omnes afflictiones ejus.*

2. Argumentum, per quod petitio hæc urgetur vs. 2-5. deſumtum a pio quodam voto, quo David ſe obſtrinxerat Deo, cujus voti narratur

a. Fa-

a. Factum vs. 2. *Qui juravit Jehova, vovit Heroi Jacobi.*

b. Dicta vs. 3-5. proponentia ad quid & quonam vinculo ſe obſtrinxerit. Hic

α. Commemoratur vinculum, quo ſe obſtrinxit vs. 3. 4. idque duplex

א. Abſtinentia a proprio domicilio vs. 3. p. pr. *Si veniam in tentorium domus mea.*

ב. Abſtinentia ab omni quiete vs. 3. p. poſt. vs. 4. *Si adſcendam ſuper ſpondam ſtratorum meorum: ſi dabo ſomnum oculis meis: palpebris meis dormitationem.*

β. Additur res ipſa, ad quam David ſe obſtrinxit vs. 5. *Donec inveniam locum Jehova, habitacula Herois Jacobi.*

B. Chorus alter eſt eorum, qui gloriantur de Davidis deſiderio impleto, & per hoc beneficium Domini accenſi porro ei ſupplices fiunt, ut reliqua quoque promiſſa implere velit vs. 6-10. Hic occurrit

1. Excitatio ad ſupplicandum Deo, occaſione beneficii exhibiti vs. 6. 7. In qua

a. Commemoratur, quomodo Iſraëlitæ de eo certiores facti ſint vs. 6.

α. Per famam ad eos allatam vs. 6. p. pr. *Ecce audivimus illum in Ephrata.*

β. Per experientiam ipſam vs. 6. p. poſt. *Invenimus illum in agris ſylva.*

b. Adhortatio additur ad cultum in illo loco Domino ferendum vs. 7.

α Frequentando locum ad illum deſtinatum vs. 7. p pr. *Veniamus ad habitacula ejus.*

β. Preces illic effundendo vs. 7. p. poſt. *Adoremus ad ſcabellum pedum ejus.*

2. Formula ipſa precum vs. 8-10. quæ continet

a Petitionem ipſam vs. 8. 9. concernentem

α. Ip-

α. Ipſam manifeſtationem præſentiæ Domini vs. 8. *Surge, Jehova, ad locum quietis tua, tu & arca roboris tui.*

β. Bona gratiæ inde profluentia vs. 9.

א. Quoad Sacerdotes vs. 9. p. pr. *Sacerdotes* tui amiciantur *juſtitia.*

ב. Quoad omnes fideles vs. 9. p. poſt. *Et ſancti tui jubilent.*

b. Argumentum, quo petitio urgetur vs. 10. *Propter Davidem ſervum tuum non avertas faciem uncti tui.*

II. In ſecunda parte reſpondet Spiritus ſanctus de exauditione harum precum certificans vs. 11-18. idque hoc ordine, ut

A. Commemoret promiſſionem Davidi factam vs. 11. 12. & quidem ita, ut

1. Inviolabilem hujus promiſſi fidem indicet vs. 11. p. pr.

a. Ex modo, quo eſt propoſitum. vs. 11. init. *Juravit Jehova Davidi veritatem.*

b. Ex ejus conſtantia vs. 12. med. *Non recedet.*

2. Ipſa promiſſi verba enarret vs. 11. fin. 12. concernentia

a. Prolem Davidis per excellentiam vs. 12. fin. *Abhinc ex fructu ventris tui ponam in ſolio tibi.*

b. Poſteritatem Davidis vs. 12. Ubi

α. Conditio quædam ponitur vs. 12. p. pr. *Si ſervabunt filii tui foedus meum & teſtimonium meum, quod docebo eos, etiam filii eorum in perpetuum.*

β. Bonum cum ea conjunctum vs. 12. p. poſt. *Sedebunt in throno tibi.*

B. Fundamentum hujus promiſſionis Davidi factæ vs. 13-18. beneplacitum nempe Dei gratioſum, ubi

1. Decretum Dei generatim commemoratur vs. 13. in quo diſtinguenda

a. Antecedens vs. 13. p. pr. *Quia elegit Jehova Zionem.*

b. Conſequens vs. 13. p. poſt. *Deſideravit in ſedem ſibi.*

2. Summa illius decreti ſpecialius exhibetur vs. 14-18. diverſas promiſſiones petito Iſraëlis reſpondentens exhibens, quæ concernunt

a. Gratioſam & perpetuam Dei præſentiam. vs. 14. quæ

α. Promittitur vs. 14. p. pr. *Hac requies mea in perpetuum: hic habitabo.*

β. Fundamentum indicatur vs. 14. p. poſt. *Quia eam deſideravi.*

b. Beneficia inde fluentia vs. 15-18. exhibenda

α. Subditis vs. 15. 16.

א. Univerſis vs. 15. p. pr. *Victui ejus benedicendo benedicam.*

ב. Singulis in diverſas claſſes diviſis vs. 15. p. poſt. vs. 16.

aa. Egenis vs. 15. p. poſt. *Egenos ejus ſatiabo pane.*

bb. Sacerdotibus. vs. 16. p. pr. *Et Sacerdotes ejus induam ſalute.*

cc. Piis omnibus vs. 16. p. poſt. *Et pii ejus jubilando jubilabunt.*

β. Ipſi Regi Davidi & Salomoni vs. 17. 18. cui promittitur regnum illiuſque

א. Auſpicatiſſimus ortus. vs. 17. qui

aa. Deſcribitur vs. 17. p. pr. *Ibi faciam promicare cornu Davidis.*

bb. Fundamentum ejus additur, quod eſt propoſitum gratiæ vs. 17. p. poſt. *Paravi lucernam uncto meo.*

ב. Regni iſtius conſtabilitio. vs. 18.

aa. Per hoſtium humiliationem vs. 13. p. pr. *Inimicos ejus induam pudore.*

bb. Per Regis glorificationem vs. 13. p. poſt. *Et ſuper eum ſplendebit corona ejus.*

NO-

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1.

Memento Jehova Davidis) Davidem fuiſſe illuſtrem typum Chriſti, vel ex eo patet, quia Meſſias aliquoties directe *David* nominatur Jeſ. LV: 3. Jer. XXX 9. Ezech. XXXIV: 24. XXXVII: 24. 25. Hoſ. III: 5. Adde loca, in quibus Eccleſia dicitur *domus Davidis*, regnum ejus *Thronus Davidis* populus ejus *ſemen Davidis*. Hoc plane extraordinarium eſt, & in aliis typicis perſonis rariſſime, ſi a Salomone & Iſraële diſcedas, obſervatur. Notandum autem, Davidem non ſolum exhibuiſſe figuram perſonæ Chriſti, ſed etiam variorum regni ejus fatorum, uti patet ex multis Pſalmis, in quibus variæ viciſſitudines Eccleſiæ cum alluſione ad viciſſitudines Davidis deſcribuntur. Inſpiciantur verbi cauſa Pſ. XI: XVIII. XXVI. XXVII. &c. Atque eatenus David quoque typus fuit Eccleſiæ, ſeu mavis ipſius Chriſti in Eccleſia per Spiritum ac verbum ſuum præſentis, atque adeo easdem quaſi vices in corpore hoc ſuo myſtico ſubeuntis. Illa enim, quæ Eccleſiæ accidunt, ita ſæpius proponi ac ſi Chriſto ipſi acciderent, patet ex Act. XI: 4. 5. Apoc. XI: 8. XII: 5. Atque ita Davidem in Pſalmo noſtro conſiderandum eſſe cenſemus tanquam typum Eccleſiæ, ſive viarum Chriſti in ea, idque eo magis, quia *Heros Jacobi* vs. 5. ad cujus *pedum ſcabellum* provolvuntur pii vs. 7. idem Meſſias eſt, verum non in corpore conſideratus, ſed quatenus Caput Eccleſiæ eſt. Ut vero συνάφεια Pſalmi in illo ordine, in quo eum hic invenimus, percipiatur, hæc hypotheſis pro fundamento erit ponenda, quod hiſtoria Iſraëlis ſub *Svmuele*, *Saule*, *Davide & Salmoone* in nexu conſiderata exhibeat typum concatenâtum omnium viciſſitudinum *Eccleſiæ Novi Teſtamenti*. Hujus hypotheſeos fundamentum eſt, tum Canticum Hannæ, tum præcipue, quod Regnum Saulis illuſtre eſt emblema regni Antichriſtiani, uti ex

Digitized by Google

variis Pſalmis XI. XXVII. LII. LVII. LVIII. LIX. & aliis patet, & quia regnum Salomonis Pſ. LXII. ſpectatur tanquam umbra regni glorioſi in ultimis temporibus, unde regnum Davidis conſiderari poteſt tanquam typus fatorum Chriſti & Eccleſiæ in & poſt Reformationem. Illum autem typum ſigillatim gerit in relatione ad ſanctuarium Jehovæ externum, quod typum fuiſſe ſanctuarii ſpiritualis in N. T. nemo facilè negabit. Sicut enim ſub Davide a perſecutionibus Sauli liberato tabernaculum & arca foederis incepit locum magis ſtabilem in Zione accipere, ita etiam cultus Domini, poſt jugum Antichriſti per Reformationem ruptum magis ſtabilitum eſt. Sicut Davides per continua bella præpeditus eſt a propoſito Templum auguſtius condendi, licet interea theſauros in eum finem impendendos congregaret, locumque deſtinaret, quæ præparationes fuerunt ad opus hoc ſub Salomone perficiendum, ita in Eccleſia Proteſtanti pergunt quidem afflictiones, ſed tamen variæ præparationes ad glorioſum regnum coeleſtis Salomonis locum habent.

Hinc colligi debet, quomodo fideles rogent, ut Deus velit *memor eſſe Davidis*. A Deo recordatio petitur quando videtur per aliquod tempus ſuorum oblitus eſſe ſub gravibus afflictionibus & calamitatibus, & illas præſenti ope iterum diſpellit Gen. VIII: 1. Pſ. CVI: 4. Pſ. CXIX: 49. Hoc non poteſt ſimpliciter de Davide literali intelligi, qui diem ſuam jam obierat, quando Pſalmus hic Eccleſiæ traditus & in ea decantatus erat. Quare aut ita capiendum eſt, ut foedus Davidicum Deo in memoriam vocetur, ſicut ſoepe de divina foederis recordatione mentio fit Gen. IX: 15. 16. Pſ. CV: 22. CVI: 45. aut ut ad opem Eccleſiæ in ſuis afflictionibus, quas ad ſimilitudinem Davidis perferendas habet, ferendam incitetur. Poſterius ſuadet propior recordationis divinæ determinatio, quæ ſubjungitur.

Quoad omnes afflictiones ejus) Vox עני de variis ærumnis & perſecutionibus Eccleſiæ uſurpatur Pſ. IX: 14. CVII: 10. &c. GEIERUS notat afflictiones has non commemorari ut meritorium quid, ſed ut determinativum perſonæ, q. d. memento *Davi-*

Digitized by Google

vidis afflictiſſimi. Prius recte, ſed poſterius non quadrat, quando ſtatuitur, Davidem, quando hic Pſalmus compoſitus aut Eccleſiæ traditus eſt, jam in vivis deſiſſe, adeoque omnes afflictiones jam ſuperaſſe. Quare alio ſenſui afflictionum Davidis memoria nequit urgeri, quam in quantum illæ umbra fuerunt afflictionum, quibuſcum Eccleſia hactenus conflictari debuit, & de quibus ad Pſ. CXXIX: 1. 2. CXXX: 1. eſt viſum.

VERS. 2.

Qui juravit Jehova) Eſſe aliquid in hiſtoria Davidis, quod huic juramento reſpondeat, colligitur ex verbis Stephani Act. VII: 46. de Davide dicentis: *Qui invenit gratiam in conſpectu Dei, petiitque ut nanciſceretar tabernaculum Dei Jacobi*, in quibus alluſio eſt ad hunc locum, quia vs. 5. de *habitaculo Herois Jacobi* mentio fit. Sed licet hæc phraſis affinitatem quandam habeat, res ipſa tamen longe diſſidet. Aliud enim plane eſt, *petere, ut nanciſceretur tabernaculum Dei Jacobi*; aliud *jurare, quod velit illud erigere.* Petitio, ad quam Stephanus reſpicit, nulla alia poteſt eſſe, quam ea, quæ 2 Sam. VII: 2. innuitur. Statim enim poſt deſiderium hoc Davidis propoſitum die ſequenti Nathan Davidem edocuit, quod aliud plane Deo ſtet conſilium, unde temerarium fuiſſet, ſi Davides iſtud ulterius urſiſſet. Jam vero in illa hiſtoria nullius juramenti votivi mentio occurrit. Et ſi iſtud interceſſiſſet, in tanta laude reponi non potuiſſet, cum eventus oſtenderit, iſtud inconſulto ſumtum & impletum non fuiſſe. Ut taceam contrarias alias circumſtantias in præfatione commemoratas. *Juramentum* ergo hoc eſt Eccleſiæ & illuſtriorum ejus membrorum Spiritu Chriſti actorum, ac conſequenter metaphorice eſt accipiendum de firmo propoſito, quod illi ſumſerunt, teſte Jehova, cordium ſcrutatore, omnes vires ſuas impendendi ut præfixum finem attingant. Ita adumbratur & momentum rei ſuſceptæ, & ſinceritas animi opus ſuſcipientis. Dum autem *Jehova* juratur, ſimul indicatur, quod opus propoſitum ſit Deo placens, & ita compoſitum ut a

Digitized by Google

Jehovæ fidelitate auxilium in illo perficiendo exſpectari queat.

Vovit) Vota omnia ſacra etiam juramenti rationem habebant Lev. V: 4. Num. XXX: 3. Eccleſ. IX: 2. Quando autem hic cum juramento conjungitur, tum ſimul innuitur 1. Spontaneitas eorum, qui ſe obſtrinxerunt: 2. quod non ſine confugio ad meritum ſacrificii Chriſti opus iſtud ſit ſuſceptum: 3. quod animus fidelium varias illius operis difficultates præſenſerit, quas tamen impigre ſuperare conſtituit.

Heroi Jacobi) Vox אביר robuſtum & validum bello deſignat, ac conſtanter nonniſi de Deo occurrit Gen. XLIX: 24. Jeſ. I. 24. XLIX: 26. LX: 16. in quibus omnibus locis etiam additur nomen *Jacobi* aut *Iſraëlis*. Relationem id habere ad Jacobi hiſtoriam, ex eo conficitur, quia ipſe Jacobus primus hoc nomine uſus eſt. Quare non eſt dubium, quod reſpiciatur ad illum, quocum Jacobus fortiter egit Gen. XXXII: 24. ſq. *Angelus ille Redemtor*, in quo gloriabatur Gen. XLVIII: 16. qui etiam illic vs. 15. Jehova dictus eſt. Hunc coetus piorum tanquam caput ſuum conſiderat, huic ſe devovet, ad ſimilitudinem Jacobi, qui eidem votum nuncupavit & exſolvit Gen. XXVIII: 20. XXXV: 3. 7. Sed & per hujus nominis memoriam fiduciam in vovendo fulcit: & *Herois* tam validi ope robur neceſſarium exſpectans, & experimentum, quod *Jacobus* de ejus fortitudine ceperat, pro fundamento ſimilis ſpei ponens.

VERS. 3.

Si veniam in tentorium domus meæ) בית & אהל alias diſtincta ſunt, quia prius, quamcunque domum, etiam ſolidiorem & magnificam, poſterius vero, ſolum inſtabilem aut exilem, qualis erat *tentoriorum*, quorum uſus jam apud Patriarchas fuit, & diu inter ipſos Iſraëlitas ipſius etiam Davidis tempore, ſuperfuit deſignat. Neque poſterius unquam in alio ſenſu occurrit. Eleganter ergo בית per אהל limitatur, ut deſignetur, Eccleſiam hic loquentem non plane carere domo, ſive loco, in quo tranquille vivere mediiſque gratiæ uti poteſt, interea illam ſedem

dem tantum pro tabernaculo habere, tum quia in terris ſe peregrinum eſſe agnoſcit, tum quia ſecuritas nondum plene ſtabilita eſt. *Venire* in domum ſuam ille dicitur, qui peregre aliquandiu egit. Sigillatim idem eſt, ac finem operi aut expeditioni alicui imponere, præſertim in illis locis in quibus reſpondet τῳ יצא 1 Sam. XVIII: 16. 2 Reg. XIX: 27. Jeſ. XXXVII: 28. Senſus ergo voventis eſt, ſe ultro commoditatibus etiam, quibus potuiſſet frui, ſe abdicaſſe, operique manum admoviſſe, a quo non antea ſit deſtiturus, quam iſtius finem obtinuerit. De vocula אם confer dicta ad Pſ. CXXXI: 2.

Si adſcendam ſuper ſpondam ſtratorum meorum) יצועים *ſtrata* talia deſignant, in quibus ſomnus & quies noctu capitur Gen. XLIX: 1. Pſ. LXIII: 7. Numerus pluralis reſpicit ſtragulorum, ſigillatim in lectis commodioribus, pluralitatem. ערש ſpondam lecti deſignare patet ex Deut. III: 11. & ex hac phraſi, quia id eſt, ſuper quod aſcenditur. SCHMIDIUS notat, quod non putandum ſit, Davidem multis noctibus inſomnem manſiſſe, donec locum templi inveniret: ædificatio enim templi longum annorum tempus requirebat, non inventio loci, quæ uno die, præſertim conſulto propheta, perfici potuit. Sed ſi res adeo facilis, ad quid igitur operoſa illa tot dictorum, tanquam de re maximi momenti, accumulatio. Vanum eſſet votum, niſi tale opus intenderetur, quod ulterius tempus requirebat. Præterea non de loco domus Jehovæ, ſed de loco ipſius Jehovæ & habitaculo ejus agitur. Adde, quod in hiſtoria, ad quam ſolam reſpici poteſt, David revera in Domo ſua cedrina conſederit. Multo ergo melius hæc conveniunt, Davidi myſtico, illis in Eccleſia Heroibus, qui de ſua quiete ſe non cogitaturos declarant, antequam opus intentum exitum habuerit. Confer Jeſ. LXII: 6.

VERS. 4.

Si dabo ſomnum oculis meis) Per climacem Propheta paulatim ad-

adſcendit, ut indicet, quomodo deſiderium ejus circa rem votis anxiis expetitam magis magiſque intendatur. Sicut ergo præcedens phraſis ſumi poteſt de quacunque externa quiete aut commodis externis, ita hæc quoque involvit tranquillitatem animi, quæ ubi non adeſt, ibi nulla ſtragula ſomnum dare poſſunt. Eadem phraſis occurrit Prov. VI: 4.

Palpebris meis dormitationem) Confer quoad phraſeos diſtinctionem dicta ad Pſ. CXXI: 4. Quoad rem ipſam id indicat, quod ne quidem ullius quietis umbram loquens admittere velit. Notetur etiam, quod talis omnis mollitiei tranquillitatis, pigritiæ remotio contrarium includat.

VERS. 5.

Donec inveniam locum Iehovæ) Licet Deus per omnipræſentiam ſuam nullo loco circumſcriptus ſit, typice tamen mons Templi ſub V. T. dicebatur locus, quem ille ſibi elegit Exod. XV: 17. Deut. XII: 5. & *locus ſanctus* Matth. XXIV: 15. Hinc & antitypice Eccleſia N. T. *locus ſanctitatis ejus* Pſ. XXIV: 3. Illa in emphaſi eſt locus Jehovæ, quia in ea præſentiam ſuam per varias operationes gratiæ ſuæ manifeſtat. TARGUM reddit, *ad ædificandum domum ſanctuarii Domini*. Et tum *invenire* illum *locum* nihil aliud eſſet, quam conſtituere & ſeparare aliquem locum, in quo arca foederis certum ac fixum ſuum inter homines habitaculum habeat. Sed iſtud non quadrat in hiſtoriam Davidis. Cum enim cogitaret Davides de domo Jehovæ exſtruenda, in Zionem jam arcam transportaverat. Et quod attinet *aream Araunæ*, illam Gad Propheta Davidi etiam non quærenti inſtinctu divino obtulit, idque nondum de domo illic ædificanda mentionem faciens, ſed tantum injungens, ut illic altare Jehovæ David ſtatuat 2 Sam. XXIV: 18. Neque etiam id proprie hominum opus eſt, ex ſuo ingenio definire locum aliquem in terris, cui Deus præſentiam ſuam peculiari modo indulgeat. Unde interrogat homines: *Ubinam locus quietis meæ?* Jeſ. LXVI: 1. Aptius ergo erit, ut hic intelligamus myſticum

lo-

locum ſanctuarii Dei & locum pedum ejus Jeſ. LX: 13. ſive fixum conſtantemque ſtatum Eccleſiæ ultimorum temporum. Hunc *invenire deſiderant* omnes, qui enixe expetunt, ut Deus implere velit promiſſa circa illam rem data. *Invenire* enim idem eſt quod *obtinere conſequi*. Sic *inveniuntur altaria Dei* Pſ. LXXXIV: 4.

Habitacula Herois Jacobi) His verbis præcedens thema limitatur. Qui illic Jehova, hic Heros Jacobi, ut ſcias ſigillatim de Filio Dei agi, cujus præſentia Eccleſia ultimorum temporum ſingularem in modum gaudebit, unde cum Eccleſiæ illa ultima glorificatione ſingularis quidam gradus adventus Domini conjungitur Jeſ. LIX. 20. LX: 1. 2. LXII: 11. &c. Porro, quod modo *locum* dixerat, nunc nominat *habitacula*, ut deſignet, quomodo ille locus antitypus futurus ſit habitaculorum Dei typicorum in V. T. Conferri hic præcipue debet iſtud Apoc. XXI: 3. *Ecce tabenaculum Dei cum hominibus & habitabit cum iis: & ipſi populi ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit, Deus ipſorum.*

VERS. 6.

Ecce audivimus eum in Ephrata) Ellipſis hic eſt ſubjecti. Unde quidam arcam indigitari putant. Sed quia de illa in præcedentibus nondum actum erat, & מקום etiam aliquando generis foeminini ſit, aptius eſt, ut *locum* ſubintelligamus. Circa *Ephrata* diviſi ſunt interpretes. LIGTFOOTUS intelligit Ephraimiticam regionem, SCHMIDIUS & GEIERUS putant totum Judææ tractum deſignari, in quo ipſa Hieroſolyma ſita fuit. Sed utrumque abſque ulla authoritate. Conſtans hoc nomen eſt *Bethlehemi* Gen. XXXV: 19. XLVIII: 7. Mich. V: 1. Nova autem hinc quæſtio exoritur, cur ejus hic mentio fiat. BUGENHAGIUS, GOUSSETUS & alii putant, hic prædici nativitatem Chriſti Bethlehemi. Perperam, quia hic non agitur de perſona Herois Jacobi, tum enim maſculinum adhibitum fuiſſet in שמענוה, ſed de loco habitationis ejus, qui Beth-

Digitized by Google

lehem nunquam fuit. Melius ergo Ephrata hic conſideratur tanquam typus illorum locorum, quos Chriſtus ſub N. T. & præſertim in fine demonſtratione præſentiæ ſuæ nobilitare voluit. Sive enim derivetur a פאר *ornatus*, *Cideris*, aut a פרה *fructuoſus*, *Foecundus fuit*, utrumque convenit illi Eccleſiæ quæ laudatur tum ob inſigne ejus ornamentum, cum *cidari regia in manu Dei* comparetur Jeſ. LXII: 5. tum ob prodigioſam ejus foecunditatem Jeſ. LX: 21. 22. LXVI: 8. &c. Præterea ſicut Bethlehemi editus eſt in lucem mundi Servator, ita toties in Eccleſia myſtice gignitur, quoties poſt anxiam ejus exſpectationem, quæ mulieris parturientis inſtar habet, ad illam venit, atque in illa ſe revelat. Confer Cant. VIII: 5. *Sub ipſa malo expergefacio te, ubi enixa eſt te mater tua, ubi enixa eſt, quæ peperit te.* Adde quod Eccleſia ſit civitas coeleſtis Davidis, quod fontem ſalutis exhibeat &c. Hic auditum eſt de loco & habitaculo Jehovæ, quod ita poteſt intelligi, ſive quod incolæ Bethlehemitici audiverint famam de adventu Domini ut terram gloria ſua impleat, ſive quod ipſum Ephrata conſideretur tanquam locus a Jehova electus. Sed prius præferendum eſt ob cohærentiam Pſalmi, & quia thema ſequens ipſum locum exprimit. Vocula *Ecce* eſt admirabundi & lætantis ſed ſimul Davidem, qui optaverat invenire illum locum, erudientis. Reſpondet ergo hic coetus ultimorum temporum tot piis Doctoribus, Martyribus & Confeſſoribus, qui tam diu anhelaverunt adventum Domini, nulloque ſudore & labore pepercerunt, ut ad eum viam ſternerent, quod vota eorum tam diuturna fuerint impleta.

Invenimus illum) Clare hic innuitur, licet David voverit, ſe non ante quieturum, donec locus Jehovæ inventus ſit, non tamen ipſum eum *inveniſſe*, ſed chorum hic loquentem, qui de ſua *inventione* gloriatur. Sic Confeſſores multi in terris non attingunt felicia illa tempora, interea partem ſuam in hoc bono habent, unde ſpiritualis quoque reſurrectio illis tribuitur Apoc. XX: 4.

Ima-

Digitized by Google

In Agris Sylva) שדים deſignat quamcunque terræ cultæ partem arviſque & paſcuis inſervientem. יער multi Viri docti pro nomine proprio habent & de Kiriath Jearim intelligunt, urbs a locis ſilvoſis dicta, ubi habitavit Abinadab & per viginti annos arca morata fuit. Præjudicium inde ortum, quia ſenſum literalem quærentes non attenderunt, hic non agi de arca, ſed de loco habitaculi Jehovæ, quem David myſticus deſideraverat invenire, & hic chorus ſe inveniſſe declarat. ABENEZRA & KIMCHIUS appellative ſumunt & aream ſilvoſam Ornani deſignari cenſent. Sed longiuſcule petitum eſt, quando ut aream hanc ſylvoſam fuiſſe probent, ad Gen. XXII: 13. provocant. Sed notandum, quod ipſum Templum typicum per metonymiam ſoleat *ſylva* dici. Ita Deus Jer. XXI: 14. minatur ſe *accenſurum ignem in ſylva ejus* i. in templo ex lignis optimis ſylvæ Libani extructo. Adde Zach. XI: 1. 2. Agri ergo ſylvæ in ſcena Prophetica exprimunt circumjacentes regiones in quibus ædificium tam auguſtum quod integram ſylvam Libani inſumſerat, eminus conſpiciebatur, qui aſpectus appropinquantes incitabat ad greſſus maturandos. Patet ergo ſcenam propheticam templum jam extructum ſupponere. Eleganter autem locus habitaculo Jehovæ deſtinatus *ſylva*, comparatur & quidem cum reſpectu ad ſylvam Libani, quæ materiam præſtitit templo Salomonis, quia hæc ipſa in re typus fuit gentium, quæ gloriam ſuam aliquando in coeleſtem Hieroſolymam illaturæ: clare id exprimit Prophetia Jeſ. LX: 13. Confer omnino Jeſ. XXXV: 1. 2.

VERS. 7.

Veniamus ad habitacula ejus) Ephratenſes ergo conſiderant habitacula Dei tanquam jam exſtructa & confecta. Totum Miniſterium verbi ſub Eccleſia N. T. nihil eſt niſi ædificatio domus Sapientiæ, quæ ſeptem columnis innixa in ſeptima periodo perficietur. Huc accedere & confluere debet Iſraël ſpiritualis cum alluſione ad frequentationem Templi typici,

 quem

quem typum illuſtravimus ad Pſ. CXXII: 1-4. In ultimis temporibus ſimilis confluxus exſpectatur. Vide ſaltem Jeſ. LX: 4. ſq. LXVI. ſq. Zach. XIV: 16. Apoc. XXI: 24. ſq. Id quod non erit ſine reciproca ad feſta Jehovæ confluentium invitatione, ut graphice pingitur Apoc. XIX: 6. 7.

Adoremus ad ſcabellum pedum ejus) *Scabellum pedum* Jehovæ typicum erat Sanctuarium 1 Chron. XXVIII: 2. Thren. II: 1. An unquam in ſenſu ita auguſto ſumatur, ut *arcam foederis* denotet, dubitamus, quæ potius ipſius throni inſtar habuit. Neque etiam ad arcam procumbebant orantes Jehovam Iſraëlitæ, ſed in atrio ad fores Templi. Et ſic optime reſpondet antitypus hujus ſcabelli in N. T. quod eſt tota terra Jeſ. LXVI: 1. Matth. V: 35. Actor. VII: 49. Non excluſis ipſis hoſtibus gradatim regno Chriſti ſubjiciendis Pſ. CX: 1. Hic adorandum. Τὸ השתחוה denotat paſſim geſtum religioſum, ſummæ venerationis indicem, quo totum corpus humi proſternebatur. Quando ergo uſurpatur de honore Forti Jacobi exhibendo, involvit 1) agnitionem ſummæ ejus ὑπεροχῆς. 2) propriæ indignitatis cum profunda animæ humiliatione conjunctam. 3) exhibitionem honoris Divini. 4) traditionem in ejus fidem & regimen. Confer ad Pſ. XLV. Exercit. IX. §. 15. Adoratur autem ad ſcabellum pedum ejus ab iis qui adhuc membra ſunt Eccleſiæ militantis, quique nihilominus in omni loco manus ſanctas tollunt ad Dominum.

VERS. 8.

Surge, Jehova) Verba hujus commatis & ſequentia, coincidunt cum iis, quæ Salomo adhibuit in dedicatione Templi 2 Chron. VI: 41. 42. Prior eorum pars facta eſt ad imitationem Moſis, qui cum arca proficiſceretur dicebat: *ſurge Jehova & diſpergantur inimici tui* Num. X: 35. Unde etiam patet, hanc locutionem reſpicere ad columnam nubis, quæ ſignum præſentiæ Jehovæ erat. Quare metonymice Jehova ſurgere dicebatur, quando columna ſurgebat. Cum enim nubes illa Iſraële caſtra metante operiret tabernaculum, quoties populus viam perſequi debe-

Digitized by Google

debebat, nubes ipſa e tabernaculo tollebatur. Cum ergo Salomo locum Sanctuarii mutaret, hac invitatione Jehovæ videri poteſt ſecundum literam petiiſſe, ut ſicut antea tabernaculum gloria ſua impleverat, ita nunc transferre quaſi hanc gloriam in templum recens exſtructum vellet. Neque tamen id ſolum reſpexiſſe Salomonem ex eo conſtat, quia translatio arcæ & impletio templi per nubem jam anteceſſerat. Proculdubio ergo ulterius extendit deſiderium Salomo ad illum, qui gloriæ hujus Symbolicæ antitypus futurus. Ad rem ſane præſentem Pſalmiſta noſter egregie Salomonis verba accommodat, quia hic habitaculum Dei myſticum tanquam plene exſtructum in ſpiritu conſpicitur glorioſa Jehovæ præſentia illuſtre. Jam vero in N. T. toties Jehova ſurgit, quoties illuſtriori modo ſe in operibus ſuis conſpiciendum præbet & novas liberationes Eccleſiæ indulget Pſ. IV. 8. X: 12. LXVIII: 1. CII: 14. Optime ergo pii Jehovam orant, ut *ſurgat*, ad implendum ſcilicet promiſſa, quod *gloria Jehovæ ſuper* populum ſuum *ſit oritura* Jeſ. LX. 1.

Ad requiem tuam) Requies Jehovæ typica fuit & integra terra Canaan Num. X: 33. Deut XII: 9. & ſigillatim Templum cum reſpectu ad arcam 1 Chron XXVIII: 2. tum quia hoc exſtructo finem & implementum acceperant omnia promiſſa V. T. tum quia populus Dei quiete & tranquillitate ſumma gaudebat 1 Reg. VIII: 56. Sed hæc umbra tantum erat quietis Dei in N. T. tanquam vero Sabbato Pſ. XCV: 12. Hebr. III. quæ plene perficietur in ſeptima periodo, quando Deus quieſcet in populo ſuo, omnibuſque promiſſis & viis ſuis colophonem imponet.

In eo ſane diſſimilis eſt hæc petitio a petitione Moſis, quod Moſis Num. X. Jehova proficiſcente cum arca, diceret, *ſurge Jehova & diſpergantur inimici* tui, ea vero conſiſtente diceret, *da quietem Iehova myriadibus Iſraelis*; quo pacto heic utrumque una phraſi contrahitur, quando dicitur *ſurge ad requiem*, quod deſignat hic illam elevationem & manifeſtationem roboris Jehovæ innui, quæ proxime cum ſperata quiete & ſabbatiſmo N. T. erat conjuncta.

Tu & arca fortitudinis tuæ) Arca fœderis eleganter dicitur

arca fortitudinis Iehovæ, quia nempe illa in bellis Iſraelitarum præſens ſingularem in illis alacritatem in hoſtibus autem terrorem ſuſcitare ſolebat. Hujus cum Jehova connexio reſpicit ad conjunctionem nubis cum illa. Nihil hoc attinebat dicere quoad arcam literalem, quia ſub templo primo poſt tranſlationem Salomonis non poterat dici, ut veniret amplius in templum, ex quo BUGENHAGIUS recte colligit, quod in aliud templum inviſibile reſpiciatur. Accedit, quod collecta Cantica graduum & ad feſtum tabernaculorum reſtricta demum ſub templo ſecundo videantur, in quo neque erat arca, neque ejus mentio amplius fieri debebat Ierem. III: col. Jeſ. LXVI: 1. Eandem ergo hic Arcam intelligimus quæ Apoc. XI: 19. dicitur clangente Angelo ſeptimo *viſa eſſe in Templo ejus*. Ut vero pateat, quomodo Filius Dei, cujus excellens typus fuit Arca Foederis, hic ab illa diſtinguatur, notandum eſt 1. Arcam Foederis ſpecialiter adumbraſſe illam gloriam, quam Chriſtus ut θεάνθρωπος ſecundum humanam quoque naturam glorificatus in Eccleſia triumphante poſt exaltationem ad dextram Dei occupavit. Quare, qui petit ut Filius Dei cum arca fortitudinis ad quietem ſurgat, ille deſiderat, ut plene exhibeatur ſcopus, propter quem Chriſtus ad dextram Dei eſt evectus, ut demonſtretur effectis exuberantiſſimis, quod ſuorum cauſſa in coelo ſit, quod non fruſtra eorum Rex & Advocatus apud Patrem ſit. 2. Arca foederis non ſimpliciter erat typus Chriſti, ſed Chriſti in communione cum myſtico ejus corpore & quidem Eccleſiæ non militantis ſed triumphantis conſideratæ. Unde ad quietem in terris cum arca fœderis ſui ſurgit, tum quando ad propiorem communionem cum Eccleſia triumphante militantem evehit, id quod certe fiet in ultimis temporibus, quæ phraſibus adeo luculentis prophetæ deſcribunt, ut tibi ſæpe videaris in ipſo coelo verſari, tum quando vota coelicolarum nec non prædictiones Prophetarum & Apoſtolorum, qui Cherubinorum ſunt antitypus, implet, quæ eſt myſtica Sanctorum Reſurrectio Apoc. XX: 4.

VERS.

VERS. 9.

Sacerdotes tui) Recte hic BUGENHAGIUS intelligit Sacerdotes ſpirituales ſive credentes, qui ſunt *regnum ſacerdotale* 1 Petr. II: 9. omnibus ſane fidelibus N. T. promittitur Jeſ. LXI: 6. *Vos Sacerdotes Jehovæ vocabimini.* Confer quæ ad illuſtrandum hanc typum monemus de Foed. Grat. lib. III. c. 23. §. 5. ſq. Quatenus autem hi *Sacerdotes* diſtinguuntur ab amantibus Jehovam apte tales deſignant, qui aliorum præambulones in cultu Dei & inſtrumenta ſunt, per quæ alii Deo in ſacrificia Juſtitiæ adducuntur. Tales inglorioſo ultimorum temporum ſtatu occurrunt Jer. XXXI: 14. XXXIII: 18. Jeſ. LXVI: 21.

Amiciantur juſtitia) Per juſtitiam quidem hic primo loco intelligenda *juſtitia ſeculorum* Dan. IX: 24. quæ eſt fundamentum *Jubili*, quod additur, ita tamen ut ſimul includantur omnes fructus cum illa conjuncti & ex illa fluentes, in quibus ſalus & gloria animæ conſiſtit, adeoque ipſa etiam *decora ſanctitatis* Pſ. CX: 3. tum quia vs. 16. pro juſtitia *ſalus* ponitur, tum quia eouſque ſe extendebat typus veſtium Sacerdotalium, ad quas hic alluditur, quia Juſtitia *amiciendi* Sacerdotes dicuntur. Idem emblema Jeſ. LXI: 10. myſtice occurrit. Confer dicta de Foed. grat. l. c. §. 7. & ad Pſ. XLV. Hic amicti juſtitia ſunt iidem, *qui lavarunt ſtolas ſuas ac dealbarunt in ſanguine Agni* Apoc. VII: 14. *veſtiti byſſo alba & munda, quæ ſunt juſtificationes ſanctorum* Apoc. XIX: 14. 8.

Et ſancti tui) TARGUM reddit. *Et Levitæ ſancti tui* Hinc ABENEZRA & KIMCHI de cantoribus Muſicis non inconcinne hic agi exſtimant, præcipue cum jubilationis ſtatim mentio addatur. Hanc ſententiam approbavit SPENCERUS de Urim tummim cap. VIII. §. 1. & ex eo Cl. VITRINGA in Præfat de Synag. Quomodo Levitæ quoque typus fidelium N. T. fuerint l. cit. §. 9. ſq. oſtendi. De ipſo nomine חסיד quando de hominibus uſurpatur, Lexicographi diſputant, an deſignet *active* talem, qui beneficus & ſtudioſus eſt, ut amorem ſuum exter-

nis

Digitized by Google

nis indiciis demonſtret, ſicut certe de Deo ſumendum eſt, an vero *paſſive* talem, qui multis magniſque beneficiis a Deo affectus eſt. Nos prius præferendum ducimus, licet tum poſterius ſupponamus. Id ſolum notamus, cum frequenter de Deo uſurpetur, quod ſingularem Dei imitationem, ipſumque adeo ejus imaginem involvat, quando creaturis tribuitur.

Jubilent) Quid ſit רנה *Jubilum*, viſum eſt ad Pſ. CXXVI: 5. Radix frequenter occurrit de Hymnis, quæ ob beneficia accepta Deo decinuntur, idque cum alluſione ad Muſicam Templi Pſ. LXXXI: 2. LXXXIV: 3. XCII: 5. &c. cujus myſterium indicavimus ad Pſ. XLV. Exerc. I. Adeoque hic innuitur ingens lætitia ſpiritualis cum celebratione virtutum Dei conjuncta, quam ſæpe Prophetæ ultimis temporibus attribuunt, etiam in illis locis, ubi idem verbum occurrit Jeſ. XII: 6. XXXV: 6. Jer. XXXI: 7. Deut. XXXII: 43. &c.

VERS. 10.

Propter Davidem ſervum tuum) David amavit nomen *ſervi Domini* 2 Sam. VII: 5. 8. Pſ. XVIII: 1. &c. &c. Unde etiam hoc nomine ab aliis diſtinguitur Luc. I: 69. Act. IV: 25. Quando vero propter Davidem hic oratur, in litera id nihil aliud exprimere poteſt, quam quod Salomo hæc verba in templi initiatione fundens bonorum commemoratorum implementum ſuo tempore præſtandum expetierit propter promiſſiones Davidi factas, quas David vera fide amplexus eſt, & quæ per veritatem Dei fallere nequeunt. Ita phraſis ſumitur 1 Chron. XVII: 19. coll. 2Sam. VII:21. Cum autem per Davidem myſticum in Pſalmi initio intellexerimus Spiritum Chriſti in piis Heroibus Eccleſiæ emendationem & glorificationem anhelantem, ſenſus chori piorum verba Salomonis in rem ſuam accommodantis non erit alius, quam quod Dominus reminiſci velit promiſſionum, in quas tot pii tam anxie ſperarunt.

Non avertas faciem uncti tui) Licet quidam hic per Unctum Dei intelligant ipſum Davidem, alii vero Meſſiam, aptius tamen eſſe

eſſe putamus, ut Salomonem, qui his verbis primo uſus eſt, ſtatuamus ſeipſum innuiſſe. David enim hic ab uncto Dei diſtinguitur, & Meſſias is ipſe eſt, ad quem preces funduntur. Id quoque requirit phraſis illa *non avertas faciem uncti tui*. Illa enim clare innuit, quod *unctus Domini* ſit is ipſe, qui hic loquitur. *Non avertere faciem* alicujus eſt idem ac orantem non pudefacere & petita ejus non denegare, uti patet ex 1 Reg. II: 16, 17. 20. 2 Reg. XVIII: 24. Jeſ. XXXVI. 9. Inde jam ſequitur, quod chorus ille fidelium, qui in noſtro Pſalmo hic loquitur, ſe conſideret tanquam antitypum Salomonis. Nempe ſicut Confeſſores præcedentium temporum erant *David myſticus*, quia ſpiritus Chriſti ſecundum typum Davidis in iis operabatur, ita Confeſſores illius temporis, in quo Eccleſia pleniorem quietem, firmitatem & gloriam adipiſcetur, conſiderari poterunt ut *Salomo myſticus*, quia Spiritus Chriſti tanquam coeleſtis Salomonis ſecundum typum Salomonis typici in illis operabitur.

VERS. 11.

Juravit Jehova) Jurans Deus ſoepe introducitur 1) ut deſignetur rei momentum 2) ut confirmetur certitudo infallibilis omnium ejus promiſſionum, non obſtantibus quibuscunque difficultatibus, quæ carni inſuperabiles videntur Hebr. VI: 11. ſq. 3) ut deſignetur, rem quæ juramento firmatur ſingularem ad foedus gratiæ relationem habere. Foedera enim apud veteres ſolebant juramentis ſanciri. Vide Gen. XXI: 22. 23. 31. XXVI: 28. 1 Sam. XX: 8. Proxime per *Jehovam* hic Pater intelligendus eſt, quia diſtinguendus a fructu ventris Davidis.

Davidi) Quando hoc primo factum ſit, ignoramus. Licet enim paſſim de 2 Sam. VII. cogitetur, iſtud tamen non admodum certum eſt, non ſolum ob diſcrepantiam verborum, & quia nulla illic juramenti mentio, ſed etiam quia jam ante *juramenti* a Deo Davidi de domo ejus amplificanda dati mentio fit 2 Sam. III: 9. ſive iſtud per Samuelem, cum Davidem ad regnum inungeret, ſive

a Deo immediate exhibitum fuerit. Ad talem aliquam præcedentem revelationem ipſe Nathan reſpicit 2 Sam. VII: 11. In illa procul dubio & exſertius juramentum & verba hic ſequentia, nec non illa, quæ Pſ. LXXXIX: 4, 5. 36 38. leguntur, quæque ſingularem cum noſtris convenientiam habent, pronunciata fuerunt.

Veritatem) i. Sincere & rem cum decreto Dei apprime convenientem, adeoque certo futuram, confer 2 Sam. VII 28. Pſ. LXXXIX: 34-36.

Non revertetur) Idem de juramento Dei occurrit Jeſ. XLV: 23. Paraphraſis hujus phraſeos peti poteſt ex Jeſ. LV: 11. *Non redibit ad me vacuum, niſi fecerit, quod volo, & proſperatum fuerit, propter quod id miſi.* Et unde ulla mutatio eſſet metuenda, cum neque voluntati Domini aliquid reſiſtere queat, & nihil ſanctius illa ſit. Idem ergo eſt, quod alias exprimitur: *non poenitebit ipſum*, Pſ. CX: 4. coll. Num. XXIII: 19. &c.

Abhinc) ex eo nempe fundamento, ita ut nihil aliud cauſſa ſit beneficii præſtandi, quam merum Dei beneplacitum juramento confirmatum.

Ex fructu ventris tui) Quia בטן ſæpe deſignat *uterum*, hinc *Grotius* per ventrem, uxorum Davidis aliquam intelligendam eſſe putat. Sed alii notarunt בטן latius patere & promiſcue tam de viris quam de foeminis uſurpari. De phraſi confer Pſ. CXXVII: 3. Hic integra Davidis ſoboles intelligitur, ex qua tamen Deus ſecundum liberrimum ſuum beneplacitum ſelectum facere volebat.

Ponam in ſolium tibi) Secundum ſonum verborum hic proprie videtur cogitandum eſſe de Salomone. Sed aliud docet Act. II: 30. *Propheta cum eſſet, & ſciret Deum jurejurando ſibi juraſſe, fore ut ex fructu lumbi ipſius Chriſtum illum ſuſcitaret, quem collocaret ſuper ejus throno.* Ita clare hic ad noſtrum locum alluditur, ut alia interpretatione non indigeamus. Meſſias ſane eſſe debuit ex poſteris Davidis, atque adeo ex ventre ſeu lumbis ejus, Jeſ. XI. Jerem. XXIII. Ipſe Jacobus id prævidit Gen. XLIX: 10. Idem debuit ſedere *in throno Davidis*. Quis non putet ipſum

Ga-

Digitized by Google

brielem huc alluſiſſe, dum Luc. I: 32. dicit *Dabit ei Dominus Deus ſedem Davidis Patris ejus.* Is ſane in throno Davidis ſedere debuit non literaliter, ſed myſtice, quia gubernaturus Jſraelem ſpiritualem, qui illius Jſraelis, in quem David, regnavit, antitypus eſt. Pater eum in throno hoc collacavit Pſ. II: 6. idque *Davidi* in bonum factum eſt, quia hæc ejus ſpes & ſalus erat 2 Sam. XXIII: 5.

VERS. 12.

Si filii tui) Cum *fructus ventris* in verſu præcedenti myſtice ſit intellectus, idem de *filiis Davidis* hic cogitandum eſt, qui cum a fructu ventris, qui eſt Meſſias, diſtinguantur, eique ſubjungantur, nihil magis in promptu eſt, quam eos intelligere, qui *ſemen ſanctificatum* Hebr. II. conſtituunt & *fratres* Meſſiæ ſpirituales ſunt. Saltus ſane inſignis fit ab iis, qui authoritate Petri inducti, per fructum ventris Davidis intelligunt Meſſiam, & per reliquos ejus filios putant, ſucceſſores Davidis, reliquos Reges Jſraëlis intelligendos eſſe. *Filios* ergo *Davidis* hic non differre cenſemus ab iis, qui Pſ. LXXXIX: 31. filii Salomonis antitypici, ſive ipſius Meſſiæ dicuntur. Hi ſunt *Filii Davidis* eodem ſenſu, quo filii Abrahami Rom. IV. & filii Jſraëlis ſeu Jacobi Rom. IX. qui veſtigia fidei eorum premunt. Tales dicuntur eſſe *ſicut David* Zach. XII: 8.

Servabunt foedus meum) Foedus Jehovæ eſt foedus gratiæ, quo Jehova omnia promiſit, quæ ad juſtitiam & vitam requiruntur, atque in quod per aſſenſum fidei intratur. Hoc eſt foedus Jehovæ, tum in genere, quia Jehova ſolus ejus author eſt, tum in ſpecie, quia ſe in eo ut Jehovam revelat. Sigillatim intelligi foedus gratiæ N. T. ſequentia oſtendunt. Sicut autem ipſe hoc foedus a ſua parte ſervat 1 Reg. VIII: 23. Dan. IX: 4. ita etiam vult, ut ſui idem *ſervent* ſeu *cuſtodiant.* Gen. XVII: 9, 10. Exod. XIX: 5. Deut. XXXIII: 9. Pſ. XXV: 10. Quod includit, non ſolum ut foedus illud per adſtipulationem fidei ſincere erigatur, ſed ut etiam, poſtquam

 iſtud

Digitized by Google

iſtud cum Jehova eſt erectum, conſtanter ei inhæreatur, utque iſtud contra omnes tentationes defendatur.

Et teſtimonium meum) Per *teſtimonium* Jehovæ ſtricte olim intelligebatur Decalogus, cujus tabulæ in arca foederis erant repoſitæ Exod. XXV: 16. 21. XL: 20. Levit. XVI: 13. Latius autem ita dicitur, tota doctrina Evangelii Pſ. XIX: 8. LXXXI: 6. CXIX: 2. 22. 81. &c. Illa dicitur *Teſtimonium Jehovæ*, quia ipſe immediate eam revelavit, quia ea veracitati Dei innixa eſt, quia virtutes ejus manifeſtat, & quia cum illa reverentia recipienda eſt, quæ teſtanti Jehovæ debetur. Coincidit ergo *foedus* cum *teſtimonio*, quia *teſtimonium* Jehovæ nihil aliud eſt, quam declaratio, ſeu propoſitio foederalis. Diſtincte interea hæc duo nomina proponuntur, ut pateat duplex ad ſervandam Evangelii doctrinam obligatio. Quatenus enim illa doctrina continet *Foedus Jehovæ*, ſumma Dei charitas, qua vult communionem cum peccatore habere; quatenus autem obverſatur ſub forma *teſtimonii*, ſumma teſtantis authoritas & majeſtas ad hanc ſervationem obſtringit. Circa formam vocis עדתי monendum, quod extraordinarie nomen plurale & affixum ſingulare conjunguntur, quod Interpretes putant factum eſſe ob diſtributionem, ita ut ſingula teſtimonia Dei de omnibus ejus viis conjungantur.

Quod docebo eos) Deus eſt ſupremus Doctor, qui docet voluntatem ſuam Pſ. CXLIII: 10. legem ſuam Pſ. XCIV: 12. viam ſuam & ſemitas ſuas Pſ. XXV: 4. id quod facit non ſolum externe per Evangelium, ſed etiam interne per Spiritum ſuum & per ipſam experientiam, uti Pſ. XXV: 14. Salutare ergo beneficium hic deſcribitur, quo filii Davidis poſt Meſſiam in throno Davidis exaltatum a Deo ipſo docendi erant Jer. XXXI: 34. Jeſ. II: 3. LIV: 13. Hæc eruditio medium eſt ad obſervationem foederis.

Etiam filii eorum in perpetuum) Longa hic propago generis Davidici promittitur, quamdiu Eccleſia in terris erit, quod adeoque in emphaſi tantum de ſpirituali Davidis poſteritate verum eſt. Inter hos & præcedentes filios ita diſtingui poſſet, ut per pri-

priores denotentur prima Eccleſiæ N. T. fundamenta, per poſteriores autem, qui illis mediantibus crederituri. Confer Pſ. XLV: 17. Jeſ. XLIX: 22. Jeſ. LX. 4. LXIV: 23. &c. Dubium an verba hæc ad præcedens an ad conſequens ſint referenda. Ad præcedens referuntur per accentuationem. Utrumque poteſt conjungi. Iſtud tantum obſervetur, quod conditio illa quæ prius tmema hujus commatis conſtituit, non dubiam faciat promiſſionem & ab obedientia filiorum ac nepotum Davidis ſuſpendat. Dum enim Deus in ipſa hac conditione inſerit promiſſionem de eruditione Teſtimonii ſui, ſatis oſtendit, quod conditio hæc ſecundum indolem foederis gratiæ intelligenda ſit, quatenus proponit ordinem Deum decentem, ſecundum quem beneficia ſua Eccleſiæ indulget.

Sedebunt in throno tibi) Fideles ſunt regale ſacerdotium 1 Pet. II: 9. Iisdem ſingulare regnum in Eccleſia competit, quatenus nempe Regiæ majeſtatis & gloriæ Chriſti cum eo participes Apoc. V: 10. Sigillatim in ultimis temporibus ut Chriſti συνθρονοι conſiderantur. Apoc. III: 21. XX: 4. ſq. Adde Dan. VII: 27. 1 Cor. VI: 2 Quo etiam ſpectat hæreditas terræ Jeſ. LX: 21. &c. Conf. in Pſ. XLV: Exerc. XII. §. 18. Hoc iterum ut Davidis *bonum* conſideratur, quia in eo magna gloria erat Davidis, quod tanquam caput familiæ ſanctæ in perpetuum conſideretur.

VERS. 13.

Quia elegit Iehova Zionem) De Zione myſtica actum eſt ad Pſ. CXXV: 1. De electione Zionis literalis agitur Pſ. LXXVIII: 68. ſed & myſticæ Pſ. LXXXVII: 2. Et hoc quidem magis emphatice, quia ſicut totum Teſtamentum Vetus fuit umbra Novi, ſic etiam *electio* inde fluens. Et præterea electio Zionis myſticæ ſcopus fuit, cur Deus literalem eligeret. Merito ergo hic intelligimus per electionem ipſum illud liberum conſtans æternum Dei decretum, quo definivit illas perſonas ex Judæis & gentibus, quæ Eccleſiam N. T. populum illum

peculiarem ſanguine Chriſti acquiſitum conſtituere, & qui omnibus illis prærogativis interne gaudere debebant quibus olim mox Zion gaviſus eſt.

Deſideravit in ſedem ſibi) De radice ישב confer Pſ. CXXV: 1. *Deſiderium* Jehovæ nihil aliud deſignat, quam fixum propoſitum perpetuo præſentiam ſuam Eccleſiæ indulgendi, cum complacentia conjunctum, quia nempe propriarum virtutum theatrum in ea collocavit. Secundum typum id prædicatur de Templo Salomonis 2 Chron. VII: 16. ſed ſecundum antitypum de Eccleſia N. T. Pſ. LXVIII: 17. Adde Apoc. XXI: 3. Neque negligendum eſt vinculum inter hoc & præcedens tmema quaſi dicatur, propterea Jehova voluptatem habet in hac ſede, quia Jehova eam elegit. Sic ut omnis Dei in illa complacentia non niſi ab hac electione derivetur.

VERS. 14.

Hæc requies mea Confer vs. 8.

In perpetuum) Confer vs. 12.

Hic habitabo) Diſtingui hæc *habitatio a requie* poteſt, ut conſequens ejus. Dum enim Jehova acquieſcit in opere ſuo circa Eccleſiam conſummato, per id quoque viam ſibi apertam eſſe deprehendit, ad perpetuam communionem cum populo redemto exercendam.

Quia eam deſideravi) Notetur elegantiſſime operum Jehovæ catena. Ex electione derivatur deſiderium, ſive voluntas Teſtamentum pacis approbans atque in actum deducens: quæ ubi in demonſtrata juſtitia Dei per lytrum, ſcopum decentiſſimum ita attigit, ut in eo *quieſcere* poſſit, fundamentum jactum eſt ad cohabitationem Dei cum electis. Illa autem habitatio Dei apud populum ſuum iterum ex nulla cauſſa movente, quæ in homine eſſet, ſed ſolum ex deſiderio Domini ſecundum decretum ejus eſt derivanda.

VERS.

VERS. 15

Victui ejus) צירה & ציר denotat viaticum ſeu cibum in viam paratum, idque non tantum de proventu terræ, ſed etiam de carnibus animantium Gen XXVII: 3. 18. Pſ. LXXVIII: 25. Talis erat victus Sacerdotum & Levitarum. Hic intelliguntur omnia media gratiæ per quorum uſum in fide vita Spiritualis poteſt promoveri.

Benedicendo benedicam) Quando Deus introducitur benedicens hominibus, tum non ſimpliciter bonorum apprecatio ſed etiam eorum præſtatio indicatur, idque ex gratioſa animi propenſione, poſtquam maledictione ablata Deus creaturæ propitius evaſit. Victui benedicitur non ſolum quando copioſe præſtatur, ſed etiam quando vis ei ad nutriendum & refocillandum inditur. Promittiur ergo mediorum gratiæ & abundantia & efficacia. Duplicatio indicat ſingularem horum effectuum præſtantiam, maximumque modulum, ut antitypum omnigenæ terreſtris in Canaane felicitatis Deut. XV: 4.

Egenos Ejus) אביוניה Derivatur ab אבה *voluntas*, *deſiderium*, quia tales denotat, qui egeſtatis ſenſu inſtigantur ad deſiderandum impenſe media vitæ ſuſtentandæ neceſſaria. Scriptura ita nominat, non ſolum quoscunque tenuioris conditionis Jerem. V: 28. Amos. V: 1. & præſidio humano deſtitutos Prov. XIV: 31. Jerem. II: 34. ſed etiam pauperes Spiritu, qui omnem gloriam carnis abjecerunt, ſuam ſpiritualem indigentiam & impotentiam contrito corde agnoverunt, ſalutem veram ac media eo pertinentia anxie deſiderant, & ut carentes argento gratis per meritum Chriſti unice juſtificari ac ſalvari quærunt. De talibus ſermo eſt 1 Sam. II: 8. Pſ. CXIII: 7. & tales in ultimis temporibus tanquam ſpecialia divinæ gratiæ objecta prophetis deſcribuntur Pſ. CVII: 41. LXXII: 12. Jeſ. XXV: 4.

Satiabo pane) Panis myſtice deſignat juſtitiam Chriſti, tanquam maxime neceſſarium vitæ ſpiritualis alimentum Joh. VI: 35. Hujus donatio conjuncta eſt cum *ſatietate*. Conſuetum

hoc

Digitized by Google

hoc emblema eſt impletionis deſideriorum animæ præcipue ſub N. T. quando per juſtitiæ hujus conſummationem vota Patrum omnia finem ſuum attigerunt, & fideles conſummatis eorum conſcientiis plene acquieſcunt Pſ. XXII: 27. Talis ſatietas præcipue exſpectanda in ultima Eccleſiæ gloria, quando fructus juſtitiæ Chriſti exuberantiſſime indulgebuntur Jeſ. LVIII: 11. LXV: 13. 14. LXVI: 11. Jerem. XXXI: 14.

VERS. 16.

Et Sacerdotes ejus induam) Confer vs. 9. Hic directe reſpondetur ad preces illic propoſitas, earumque ampliſſimum implementum promittitur.

Salute) *Indutionem ſalutis* præciſe petierat Salomo 2 Chron. VI: 41. Hinc patet, quod *juſtitia* & *ſalus* alternent, niſi quod hoc generalius ſit & effecta quoque omnia juſtitiæ involvat. Nam *ſalus* & omnis mali depulſionem & omnigenæ plenæque beatitudinis poſſeſſionem involvit. In hujus promiſſionis implemento Eccleſia gloriatur Jeſ. LXI: 10.

Et pii ejus) Vide iterum vs. 9.

Jubilando jubilabunt) Duplicatio hic ſigillatim docet, quomodo Deus *exuberantiſſime poſſit* & velit *omnia facere ſupra ea, quæ petimus aut cogitamus*, Eph. III: 20.

VERS. 17.

Ibi) in monte nempe Zion, in loco habitationis Jehovæ, ſeu in Eccleſia.

Cornu) Licet multi per *cornu* ipſum Meſſiam intelligant, nos malumus Regnum ejus intelligere. Nam ita cornu a Jehova iſtud erigente apte diſtingui poteſt. Ita etiam in locis parallelis fieri adſolet 1 Sam. II: 10. Pſ. LXXXIX: 25. Præcipue hic conferendus locus ad noſtrum alludens Luc. I: 68. 69. ubi laudatur Deus Iſraëlis, *qui viſitavit populum ſuum & redemtionem fecit*, qui eſt Meſſias, *quod erexerit cornu ſalutis in Domo Davidis ſer-*

Digitized by Google

ſervi ſui. Frequenter etiam cornua ſolent emblemata regnorum eſſe Zach. I: 18. 21. Dan. VIII: 3. Unde & Apoc. V: 6. Septem cornua agni nil aliud exprimunt, quam regnum Chriſti ſeptem temporibus vim faciens. Aptum etiam eſt emblema, tum quia cornu, quod animantibus eſt coronæ loco, ſymbolum eſt majeſtatis, tum quia ſymbolum eſt roboris.

Davidi) Sive literali, quia ei promiſſum eſt hoc regnum & ex ejus, poſteritate ut Jerem. XXIII: 5. ſive myſtico, nempe Eccleſiæ, quæ eſt *domus Davidis.* Hinc TARGUM bene vertit: *Domui Davidis*, quod etiam convenit cum verbis Zachariæ Luc. I: 69. *Erexit cornu ſalutis in domo Davidis ſervi ſui.* Hinc quando felicitas & majeſtas ſingularis Eccleſiæ conferenda deſcribitur *extolli cornu ejus* dicitur Pſ. XCII: 11. CXII: 9.

Faciam promicare) Cum צמח ſecundum formalem ſuam notionem deſignet *oriri*, ἀνατέλλειν hinc & de ortu lucis & de ortu plantæ aliusve rei protuberantis uſurpatur. Hic priori ſenſu ſumendum eſſe, & nexus phraſis ſequentis, ubi *lucernæ* mentio fit, & contextus totius Pſalmi docet, in quo ad columnam nubis alluditur, quam fulgidum fuiſſe ſalutis Iſraëlis cornu oſtendimus Bibl. Brem. Cl. IV. p. 680. ſq. Quando ergo Jehova promittit, quod velit facere ut cornu promicet, tum innuit majeſtatem & gloriam, qua Eccleſiam ſuam exornaturus, quando omnibus cornibus hoſtium confractis, *regnum & dominatus & amplitudinem regnorum daturus populo ſanctorum excelſorum* Dan. VII: 27.

Lucernam) Videtur hic reſpici ad duplicem columnæ in ſanctuario uſum, quæ qua cornu Iſraelitas ab hoſtibus defendit, & qua lucerna eos luce & lætitia replevit. Sed & ad candelabrum in ſancto alluſio poteſt inſtitui. *Lucerna* alias in ſacris ſymbolum eſt poſteritatis, & quidem regia majeſtate ornatæ, uti clare patet ex 1 Reg. XI: 30. XV: 4. 2 Sam. XXI: 17. Exempla hujus ſignificatus in profana etiam antiquitate occurrunt.

Invenimus equidem & Chriſti perſonam *Lucernæ*, comparari Apoc. XXI: 13. ſed & Doctoribus & egregiis Eccleſiæ membris in quibus Spiritus Chriſti lucet emblema hoc eſt propium,

Joh. V: 35. Apoc. I. Aptiſſime autem ita deſignatur vera Eccleſiæ propago, luce cognitionis, ſanctitatis & lætitiæ ſpiritualis impleta quæ oleo Spiritus ſancti alitur, atque aliis prælucet.

Parai uncto meo) Per unctum Jehovæ in ſimili nexu ſecundum literam intelligi Salomonem docui ad vs. 10. Id hic quoque locum habet, quia promiſſiones Davidi factæ Salomoni repetitæ ſunt. Myſtice adeoque per unctum Jehovæ hic quoque Eccleſia majori modulo Spiritus ſancti ditata innui poteſt, cui lucerna hæc tribuitur, quia ei prolem copioſam promiſſam eſſe vs. 12. vidimus. Vox ערך hic optime quadrat, quia de lucernarum inſtructione Lev. XXIV: 4. uſurpatur. Hæc præparatio continebat tum ellychnii inſtaurationem, tum olei affuſionem. Adeoque adumbrabat, quomodo decedentibus egregiis Eccleſiæ luminibus alia identidem ſint ſucceſſura ejusdem Spiritus oleo humectanda.

VERS. 18.

Inimicos ejus) Salomonis ſcilicet ſpiritualis, ſeu Eccleſiæ glorioſæ, ſeu regni Meſſiæ, ipſius cornu erecti & lucernæ accenſæ. Hæc ſemper habet *inimicos*, quamdiu eſt Eccleſia militans. Tales in ejus ortu erunt aſſeclæ Antichriſtianiſmi & in progreſſu Gog atque Magog.

Induam pudore) Pudorem gignent omnes machinæ eorum turpes contra populum Dei detectæ & evaneſcentes. *Indutio pudoris* phraſis eſt, quæ etiam occurrit Pſ. XXXV. 26. CIX. 29. Eſ. XXVI: 16. & indicat pleniſſimum pudoris modulum, quo plane quaſi obtegentur. Oppoſitionem hic eſſe inter veſtes ſacerdotum & piorum vſ. 9, 16. commemoratas & indumentum inimicorum unus quisque videt.

Et ſuper ipſum) unctum nempe Dei, ſeu Eccleſiam regni Davidici myſtici conſortem.

Splendebit corona ejus) Vox נזר non ſolum de corona proprie dicta, qualis eſt Sacerdotis ſummi Ex XXIX: 6. & Regum

2 Sam.

Digitized by Google

2 Sam. I: 10. &c. uſurpatur, ſed etiam de coma NaZiræorum Num. VI: 7. Et huc potiſſimum reſpici cenſet GOUSSETUS, quia נזר uſurpatur de rebus in crementum capientibus & floreſcentibus quod magis comæ, quam coronæ congruit. Malo tamen *coronam* vertere. Nam נזר quomodocunque *effulgeſcentiam* deſignat, uti videre eſt Cant. II: 9. Et ציץ de lamina quoque aurea ſeu corona ſacerdotali uſurpatur Exod. XXVIII: 36. XXXIX: 30. Lev. VIII: 9. in qua flores affabre picti fulgebant. Unde ABENEZRA reddit, *emicabit* & R. SALOMO: *lucebit*. Conferri ergo hic velim *coronam ſtellarum duodecim*, qua Eccleſia ornata compareat Apoc. XII: 1. quæ deſignat duodecim Apoſtolos. Hæc ſane ſumma eſt gloria Eccleſiæ, quod lumen doctrinæ Apoſtolicæ in ea micet. His fundamentis nova Hieroſolyma ſuperſtructa eſt, his gemmis ſplendet, Apoc. XXI. 14, 19, 20. Et dum ad coronam Sacerdotalem alluditur, indicatur quod Eccleſia gerat *regnum ſacerdotale*.

IMPLEMENTUM.

Ex dictis conſtat, quod iſtud adhuc ſit exſpectandum in futuris temporibus. Nihilominus præparationes ad iſtud jam comparent, quatenus ab omni ævo & ſigillatim poſt tempora Reformationis inſignis talium fidelium chorus adeſt, qui nihil magis in votis habent, quam ut Deus tandem promiſſa ſua acceleret, multosque labores & moleſtias devorant, ut pro virili tantam ſpem promoveant.

USUS.

Pertinet ergo hic Pſalmus ad incitandum omnes, qui Zionem amant, ut quantum in ſe eſt, precibus ac vigilantia ſe præparent ad felicitatis promiſſæ poſſeſſionem, neque defetiſcant, licet ſpes protrahatur, cum Deus propoſitum gratiæ & promiſſiones tam ſolemnes irritas non reddet. Præcipue oſtendant actu ipſo ſe tan-

Digitized by Google

tantorum bonorum, quanta Deus populo ſuo promiſit revera cupidos eſſe, & primitias eorum per Evangelium ſingulis fidelibus oblatas prægustare cupiant. Semper enim tempus eſt cultum ſpiritualem Domino in ſanctuario myſtico offerendi. Semper ſe ut ſpirituale Sacerdotium gerere debent. &c. Qui id fideliter præſtabunt, in propriis animabus experientur, quod hic univerſæ Eccleſiæ promittitur. Eorum corda erunt ſanctuarium, & locus quietis Domini, illi in veſtibus juſtitiæ, ſatietate, regno ſpirituali &c. gaudebunt.

ANALYSIS Pſalmi CXXXIII.

שיר המעלות לדוד הנה מה--טוב ומה--נעים שבת אחים גם-יחד:	1. *Carmen graduum. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres etiam unâ.*
כשמן הטוב על-הראש ירד על-- הזקן זקן-- אהרן שירד על-- פי מדותיו:	2. *Ut oleum illud optimum ſuper caput deſcendens in barbam, barbam,* inquam, *Aharonis; quod deſcendit in oram togæ talaris ipſius.*
כטל חרמון שירד על- הררי ציון כי שם צוה יהוה את-- הברכה חיים עד-העולם:	3. *Ut ros Hermon, qui deſcendit in montes Zyonis. Nam ibi præcepit Dominus* eſſe *Benedictionem, vitam in ſeculum.*

§. I.

PSalmus hic authorem Davidem habet, incertum, qua occaſione eum compoſuerit. Amyraldus auguratur, ad illud tempus eum referendum eſſe, cum poſt bella civilia, quibus populus Iſraëliticus octo an-

annos ipſos poſt mortem Saulis male vexatus erat, omnes tribus unitas ſuæ dominationi ſubjecit, phraſes ipſæ ita ſe habent, ut non una occurrat ad feſtum tabernaculorum alluſio, ubi Iſraëlitæ tanquam fratres in eadem urbe Hieroſolyma una habitabant.

§. II. Ad tempora Meſſiæ, ipſi Judæi, Kimchius & AbeneZra, eum referunt. Et certe id non ſolum nexus cum præcedenti phraſiumque emphaſis, ſed etiam typorum hic occurrentium mentio requirit. Unctio enim Aaronis, ac Zionis irroratio, hic conſiderantur tanquam typus feliciſſimi cujusdam Eccleſiæ ſtatus. Illarum autem rerum antitypus neceſſario in oeconomia antitypica quæri debet.

§. III. De ultimis autem Eccleſiæ N. T. temporibus nos potiſſimum cogitare jubet tum ſeries, quam hactenus in Canticis Graduum perſecuti ſumus, tum collatio aliarum Prophetiarum hæc bona ultimis temporibus appropiantium, tum præcipue triſtis hactenus Eccleſiæ, quæ tam tranquilla pace nondum gaviſa eſt, ſtatus.

§. IV. Artificium Pſalmi introducit ſpectatorem ſingularis felicitatis quæ tanquam ſequela erecti Templi ſpiritualis, cujus deſcriptio in Pſalmo præcedenti erat exhibita, conſideratur. Obverſantur ei cives novæ Hieroſolymæ jam erectæ in lætitia feſtali ita uniti. ut non ſolum ipſe in admirationem rapiatur, ſed etiam alios ad cognoſcendum illius beatitudinis pondus incitet.

§. V. Bipartitus eſt Pſalmus. Habet enim.

I. Propoſitionem generalem de felici præſentis feſti Tabernaculorum myſtici ſtatu vs. 1. in quo diſtinguenda.

A. Res quæ celebratur vs. 1. p. poſt. *Sedere fratres etiam una.*

B. Μακαρισμος vs. 1. p. pr. *Ecce quam bonum & quam jucundum,*

II. Ejus probationem & deductionem per ipſorum bonorum inde fluentium enumerationem vs. 2. 3. Hæc duo ſunt, ſub duobus emblematibus propoſita.

A, Ampliſſima donorum Spiritus ſancti menſura vs. 2. idque.

1. Quoad primaria Eccleſiæ membra vs. 2. p. pr. *Ut oleum illud bonum ſuper caput, deſcendens ſuper barbam, barbam Aaronis.*

2. Quoad integrum Eccleſiæ corpus vs. 2. p. poſt. *quod deſcendit ſuper os veſtium ejus.*

B. Amplificatio Eccleſiæ per confluxum populorum vs. 3. quæ felicitas.

1. Proponitur vs. 3. p. pr. *Ut ros Hermonis, qui deſcendit ſuper montes Zionis.*

2 Ratio hujus confluxus additur vs. 3. p. poſt. *Nam illic juſſit Jehova benedictionem, vitam* (ſcil.) *in ſeculum.*

NOTÆ EXEGETICÆ.
VERS. 1.

Ecce) Vox quæ non ſolum rem admirandam inexſpectatam & lætam indicat, ſed etiam alios inſtigat ad illam bene percipiendam, ut ita ſimul cum populo Dei lætentur; Deoque qui tam plene promiſſiones ſuas implevit, gratias agant.

Quam bonum) LXX. vertunt interrogative: τι καλὸν καὶ τί τερπνόν. Verum מה hic non tam interrogat; quam intendit ut alias quoque Pſ. III: 2. VIII: 2. LXXXIV. 2. Adeoque denotat affectum ſingularem loquentis, qui incomparabilem excellentiam objecti admiratur. Cum autem טוב in ſenſu duplici ſumatur vel de bono phyſico, vel de bono morali, utrumque hic conjungi debet, quia verum bonum phyſicum cum morali coincidit.

Et quam jucundum) Diſtinctum eſſe hoc prædicatum repetitio τῦ מה ſatis indicat. Unde quidam præcedentem dictionem de bono morali, hanc de bono phyſico explicant, verum ſenſus erit locupletior ut bonum dicatur in reſpectu ad poſſeſſorem, jucundum autem reſpectu ad alios teſtes, quales hic concipi poſſunt Deus & angeli.

Fra-

Fratres) non tam conſanguinitatis, quam religionis vinculo V. Pſ. CXXII: 8. Singularem emphaſin id in hoc loco habet, quia maſculi tantum tenebantur comparere in feſtis anniverſariis, mulieres non item. Intendit hoc nomen heic non ſolum reciprocum affectum, ſed etiam æquitatem, ſublato perſonarum diſcrimine.

Sedere) in ſignum quietis & ſecuritatis Sabbatiſmo Eccleſiæ convenientis.

Etiam una) Manifeſto hoc alludit ad Iſraëlitarum morem, quo confluentes ad feſta hoſpites a civibus Hieroſolymitanis gratis intra ædes recipiebantur & variis humanitatis beneficiis afficiebantur PHILONIS notabilis locus eſt de monarchia lib. II. circa init. p. 821: Μυριοι γαρ ἀπο μυριων οσων πολεων, ὁι μεν δια γης, οι δε δια θαλαττης ἐξ ανατολης, και δυσεως, και αρκτου και μεσημβριας, καθ᾽ ἑκαστην ἑορτην εἰς το ἱερον καταιρουσιν, ὁια τινα κοινον ὑποδρομον και καταγωγην ἀσφαλη πολυπραγμονος και ταραχωδεστατου βιου ζητουντες ευδιαν ευρειν, και φροντιδων ἀνεθεντες, ἀις ἐκ πρωτης ἡλικιας καταζευγνυνται και πιεζονται, βραχυν τινα διαπνευσαντες χρονον ἐν ἱλαραις διαγειν ευθυμιαις, κ. τ. λ. *Innumeri ex innumeris civitatibus terra marique ab oriente, occidente, ſeptentrionibus, meridieque, ſingulis feſtis ad Templum confluunt, quaſi ad quoddam commune refugium, firmumque receptaculum vitæ negotioſæ ac tumultuariæ: ut ibi tranquillitate inventa remittant animum, ſepoſitiſque curis, quibus per totam vitam gravantur, reſpirent paulisper, degentes hilariter, conceptaque bona ſpe vacent rei cumprimis neceſſariæ ſanctitati religionique, inter ſe quoque novis conjuncti amicitiis, & promiſcuis epulis ac libationibus inſtaurataque concordia.* Præcipue hoc verum fuit in feſto tabernaculorum, quum in tabernaculis quisque proximum invitabat ſub ficu aut vite ſua, ut communibus epulis fruerentur; plerique id *ſedere etiam una* ita intelligunt, ac ſi indicaretur, qui conſanguineitatis aut religionis vinculo conjuncti ſunt, illos etiam animis cohærere debere. Putem tamen heic præcipue reſpici communionem in talibus bonis, quæ per Feſta & ſigillatim Feſtum Tabernaculorum ſunt adumbrata, ut indicetur, illos qui proſapia ſpirituali affectuque ſunt uni,

hic

hic etiam una ſedere convivantes ac deliciantes in donis Dei.

Quod ergo fraternam ſpirent concordiam hoc in emphaſi bonum, quod ita ſimul ſe conjungunt in fruitione bonorum ſpiritualium, Deique celebratione, id etiam jucundum erat. Et hoc eſt, quod prædicunt Prophetiæ ultimis temporibus futurum.

VERS. 2.

Sicut oleum illud bonum) Cum convivarum Una ſedentium mentio hic ſit, aptiſſime additur *oleum lætitiæ*, quale in conviis veterum communis admodum uſus erat. Hic vero convivæ inundantur non vulgari quodum oleo; ſed illi, quod ſimile eſt oleo illi præſtantiſſimo ſecundum inſtitutum Dei in uſus ſacros conficiendo Exod. XXX. Cum autem neque ipſum illud oleum extra Sacerdotes quispiam alius auderet adhibere, neque etiam ſimile facere, ut vs. 32. indicatur, hinc neceſſario oleum ſpirituale, quod per prius eſt adumbratum, intelligi debet, *oleum lætitiæ* Jeſ. LXI: 3. id eſt dona Spiritus ſancti, quæ oleo frequenter comparantur ob rationes, quas attuli ad Pſ. XLV. Exerc. VI. §. 27. Id revera in emphaſi eſt oleum *bonum* non ſolum ob præſtantiam naturæ, ſed etiam ob ſalutares effectus verumque bonum, quo animæ hoc oleo imbutæ impleantur.

Super caput Aaronis) Aaron inter illuſtres Meſſiæ typos pertinet tum quoad perſonam, tum quoad officium ſuum, ut pluribus poſt alios docui de foed. Grat. Lib. III. c. 3. & 23. Inter partes hujus typi ſpeciatim referenda eſt ejus *unctio* per oleum rite præparatum, quando initiabatur, deſcripta Exod. XXIX: 7. Lev. VIII: 12. XXI: 10. De modo hujus unctionis MAIMONIDES ait de Vaſis ſacris Cap. I. §. 9: *Quomodo ungebant ſacerdotem ſummum? Fundebat oleum ſuper caput ejus & innungebat eo ſuper oculos ejus ad formam X. Græci.* Traditionis hujus fides tamen ab aliis in dubium vocatur. De menſura olei eruditi diſputant. Facile cenſendum eſt, quod non fuerit nimis copioſum, quia id indecens ſacriſque veſtibus noxium fuiſſet. Neque tamen nimis par-

parcum ſtatuendum eſt, tum ob adhibitum verbum יצק, tum quia ad minimum ea copia fuit infuſum, ut deſtillare in barbam & in oram veſtis poſſet. Alia difficultas eſt, an unctio hæc facta ſit antequam pileus imponeretur, an deinceps. Ordo textus apud Moſen unctionem ſubjungit. Rabbinorum quidam duplicem unctionem diſtinguunt, alteram ante alteram poſt pilei impoſitionem. Alii cum indecens viderent tiaram inunctam ſtatuere, non caput, illam ita compoſitam fuiſſe cenſent, ut in ſummitate aperturam haberet. Sed quomodo tum in barbam & aperturam veſtium deſtillaverit, non video. Lubentius ergo accedo Chaldæo Paraphraſti, AbeneZræ, R. Salomoni atque aliis, qui poſt reliquas veſtes indutas antequam pileus imponeretur unctionem factam eſſe cenſent. Quicquid ſit, unctio illa Aaronis, ſicuti ſignum erat electionis divinæ, qua ipſi munus ſacerdotale conferebatur, ita adumbravit id, quod ſigillatim Apoſtolus Hebr. V: 4-6. per conſtitutionem Aaronis præfiguratum eſſe notat: quo præcipue pertinet collatio Spiritus ſancti Jeſ. XI: 2. LXI: 1. Pſ. XLV: 8. Unctio hæc fiebat *ſuper caput* in loco coronæ & pilei, tum ut indicetur dignitas ac majeſtas, cujus caput emblema eſſe ſolet, cum unctione Spiritus conjuncta, tum cum reſpectu ad univerſum corpus myſticum, quod a Chriſto tanquam capite dependere, adeoque primo illum ut Spiritu unctum agnoſcere debebat, antequam ille in membra deſcendere poſſet.

Deſcendit) Id eſt, defluit Deut. IX: 21. Jeſ. LV. 10.

Super barbam) Barbam tondere ſacerdotibus interdictum eſt Levit. XXI: 5. quod Naziræatus ſpeciem habebat. Talmudici nugantur Cod. Cerithut fol. 77. col. 2. quod *ad inſtar duarum guttularum margaritæ propenderent Aaroni in barba*. Unde iſtud habeant, ignotum. Quatenus ſacerdos ſummus typus fuit Chriſti, capillitium æque ac barba ejus tanquam foecunditatis virilis indicia poſſunt adumbrare Doctores Eccleſiæ, qui ſub hoc ſymbolo occurrunt Jeſ. VII: 20. ubi *raſura barbæ* emblema eſt extructionis Doctorum. Barba myſtici corporis Chriſti eo magis apta eſt ad hoc ſymbolum, quia ſicut barba eſt ornamentum oris,

Digitized by Google

ita Doctores fideles cum Chriſto uniti verbo ejus decorem conciliant. Super hanc barbam deſcendit primo oleum a Capite, quando Doctores divite Spiritus ſancti modulo implentur. Et hoc idem eſt oleum, quod primitus in caput effuſum erat, quia ab eodem Spiritu participant, earundemque virtutum, quibus Meſſias præluxit, imaginem gerunt,

Barbam Aaronis) Tales anadiploſes excellentiam ſubjecti exprimunt, ut Pſ. CXII: 4. CXXIV. 5. In eo ſane præſtantia Miniſterii Evangelici eminet, quod per id præcipue Sacerdotii Chriſti gloria reveletur, fructusque meriti ejus offerantur. Novam conſtructionem hic in medium affert Swenkenbecherus Apoſpaſmat. IX.

Quod deſcendit ſuper os veſtium ejus) In exercitat. VII. ad Pſ. XLV. §. 12. dixi ſententiam meam, quod per os ſive aperturam veſtium Sacerdotis ſummi intelligenda ſit non inferior, ſed ſuperior earum apertura in humeris, quæ fibularum loco habebat duos *ſardoniches*, qui per guttas deſtillantes in barbam humectari poterant. Inſculpta illis erant duodecim nomina Patriarcharum Iſraelis. Adeoque ſymbolum eſſe poterant ſeminis ſpiritualis Jſraelis ex duobus caſtris Judæorum & gentium conſtantis ac per duodecim Apoſtolos agni fundatæ, quæ ab eodem oleo Spiritus ſancti participat & excellentiori modo participabit in ultimis Temporibus Jeſ. XXXII: 15. LXV: 13. ſq. Jerem. XXXI: 12. Hoc adjunctum & conſequens eſt fraternæ conjunctionis in lætitia feſtali, quin ipſa illa ſanctorum communio medium eſt, per quod gratia Spiritus ſancti in alios tranſit.

VERS. 3.

Ut ros Hermonis) Rorem in genere eſſe ſymbolum copioſæ multitudinis patet ex Pſ. CX: 3. Adde 2 Sam. XVII. 12. Mich. V: 7. Cum autem ros ex nebulis, quæ ad cacumina montium ſolent colligi gignatur, hic roris Hermonis mentio fit. Cum duplicem montem ſub hoc nomine extitiſſe velit Cl. RELANDUS, alterum in meditullio Canaanis, cujus HIERONYMUS & itineraria meminerunt, alterum in finibus ejus ſitum, nos po-

ſte-

ſteriorem hic intelligi cenſemus trans Jordanem in regno Baſan, ultimumque terminum Palæſtinæ non ſolum ad Septentrionem, uti placet Cl. RELANDO, ſed etiam ad orientem uti vult BOCHARTUS Geogr. Sacr. lib. I. c. 19. Quæ utraque facile poſſunt connecti, ſi admittatur deſcriptio COTOVICII Itin. p. 363. quod ſit mons in Trachonitide, *ob ſummam altitudinem longe lateque conſpicuus, ultimus ad Orientem terræ promiſſæ terminus, eamque a Syria Damaſcena & Arabia deſerta dividens a Septentrione Libano ſe copulet, indeque in Orientem ſe extendat, quod totam Trachonitidem circumeat, jungaturque tandem poſt longum tractum meridiem verſus Seiro, dein montibus Gilead. Licet autem pro cacuminum ratione diverſa habeat nomina, unicam tamen montium conſtituit ſeriem, atque univerſæ Palæſtinæ ab ortu & meridie pro muro eſt.* Hic mons aliquando in propheticis Symbolum eſt Regnorum, quæ ſunt Regno Dei contraria, & ſigillatim Imperii Romani, quod eſt ſpiritualis Baſan Confer Cant. IV: 8. Nec non Pſalm. LXVIII: 15-17. Adeoque ros Hermonis hic deſignabit magnam multitudinem populorum ex vaſtis mundi regnis populo Dei inimicis, & ſigillatim ex Regni Antichriſtianiſmi in ultimis diebus collectam.

Qui deſcendit ſuper montes Zionis) Crux hæc Interpretum propter diſtantiam Hermonis & Zion; Ipſe RELANDUS difficultati tollendæ ſe imparem eſſe fatetur. Duas tantum ex maxime probabilibus conjecturas producam, eisque meam adjiciam. Prior eſt POCOCKII, qui verba noſtra per aſyndeton explicat hoc modo, *ut ros qui deſcendit & ſuper Hermon, & ſuper montes Zion*. Sed huic obſtat, quod jugum Hermonis nivoſum, adeoque ſupra illam regionem aeris evectum ſit, in qua ros formari ſolet. Sterile præterea fuit, unde deſcenſus in illud jugum vix poteſt emblema affluentiæ cujusdam lætæ & foecundæ habere. Poſterior eſt ipſius RELANDI, hariolantis per montes Zion intelligi montes minores Hermoni vicinos, qui videntur dicti eſſe montes Zion pro שיאן quia צ & ש facile permutantur. Hos autem montes Schion non quærit apud Hermonem in finibus, ſed in meditullio Canaanis, nullum aliud firmamentum habens,

 quam

quam quod Joſ. XIX: 17. שיאון commemoretur inter urbes tribus Iſaſchar. Licet ergo ejus conjectura naturalem emblematis pulchritudinem conſervare nitatur: nimis tamen levi fidicine fulta eſt. Me quod attinet: ego non putem tantam in eo eſſe difficultatem, ut ros a montibus Hermonis in montana Zionis derivetur, ſi tantum per montes Zionis intelligantur non in ſenſu ſtrictiori colles, in quibus Hieroſolyma & Templum eſt ædificatum, ſed in latiori colles Palæſtinæ, ad planitiem illam foecundiſſimam Jordanis ſe extendentes adeoque montanis Hermonis appoſiti. Attendendum enim eſt ad naturam roris, quem aurora & ſol oriens diſſipare adeoque ante ſe agere ſolet, unde *ros ex utero auroræ* Pſ. CX: 3. derivatur. Quando ergo ſol oriens ex cacuminibus Hermonis promicabat, roremque illic hærentem in partes Jordanis & Palæſtinæ propellebat, tum revera ros ex Hermone in montes Zion, qui longe infra altitudinem Hermonis ſubſidunt, deſcendebat. Amoeniſſimum hoc eſt ſymbolum, quia Palæſtinæ nihil gratius fuit rore. Ex his collatis patet, nihil aptius per hanc phraſin deſignari, quam converſionem multarum gentium, regnorumque, nivoſo Hermonis vertici tum amplitudine tum ſterilitate ſimilium, quæ exſpectanda, quando circa veſperam illuceſcet & lux ſuper Hieroſolymas coeleſtes orietur. Hac multitudine tanquam amoeno rore montes Zionis humectabuntur, quia tam copioſus gentium affluxus ampliſſimam laudum materiam populo Dei præbebit. Conferendæ hic Prophetiæ parallelæ Jeſ. LX: ſq. LXVI: 12. ſq. Zach. XIV: 16. ſq. Apoc. XX: 24. &c.

Hoc iterum ſpectatur, ut ſequela fraternæ unionis, quia illa medium erit, per quod tantum opus ſiſtetur, invidia inter Ephraimum ac Judam ſublata Jeſ. XI: 13. veriſque Eccleſiæ Miniſtris manus ſuas pio Zelo jungentibus.

Nam illic juſſit Jehova benedictionem illam) Hoc tanquam ætiologiam conſideramus, ſive cauſſam impulſivam confluxus gentium ad communionem veræ Eccleſiæ. ברכה in genere ſolet deſignare quamcunque bonorum copiam, & in ſenſu ſublimiori omnia bona

No-

Novi Teſtamenti, quæ antitypus ſunt benedictionum temporalium, quibus Deus olim Jſraelem cumulavit Pſ. XXIV: 5. Ezech. XXXIV: 26. Deut. XXXIII: 13. Conf. Epheſ. I: 3. Ratio denominationis eſt, quia omnes benedictiones ſunt effectus divini favoris & laudum materia, præfixum ה hic nos jubet de excellentiori benedictionum divinarum modulo cogitare, quale ultimis temporibus promiſſum eſt. Fons ejus eſt *juſſio* Jehovæ צוה interdum uſurpatur de voluntate Dei efficaciter decretum ſuum in executionem dante Pſ. XXXIII: 9. LXVIII: 29. CXI: 9. Et hoc ſenſu Dominus dicitur *Jubere benedictionem* Levit. XXV 21. quando nempe actu ipſo eam ſecundum beneplacitum ſuum impertitur, effectu certo ſequente, ita ut non ſolum creaturæ nequeant reſiſtere Num. XXIII: 12. 24. ſed etiam ad benedictionem populo Dei præſtandam cooperari debeant. Benedictionem hanc in Zione juſſit, quia Eccleſiam in theatrum beneficentiæ ſuæ conſtituit, & quidem potiſſimum in ultimis temporibus, uti ad finem Pſalmi præcedentis viſum.

Vitam) vel *vitas* חיים id eſt vitam ſeu omnimodam ſeu excellentiſſimam, conſiſtentem in pleniſſimo cognitionis, ſanctitatis & fruitionis Dei modulo. Hoc ergo eſt exegeticum antecedentis, bonumque ipſum definit, quod benedictio divina impertitur.

Usque ad ſeculum) ſeu usque in æternitatem, ita ut indicetur non ſolum conſtans hujus vitæ in terris poſſeſſio ſed etiam extenſio in omnem æternitatem, præcipue quia glorioſus Eccleſiæ ultimorum temporum ſtatus in ipſam coeleſtem gloriam influet.

Et hæc eſt vera ratio cur ros Hermonis in Zionem deſcendat. Quando enim gentibus aperientur Oculi, ut percipiant, quantum bonorum cumulum Deus in Eccleſiam effuderit, hoc ipſo allicientur, ut ambulent in luce, quæ ſuper Zionem orta eſt Jeſ. LX: 3.

USUS.

§ I. Cum implementum hujus Pſalmi in futurum adhuc exſpectemus, promiſſionum tam ſplendidarum excellentia permovere nos debet, ut illas in preces convertamus, earumque præſtationem urgeamus.

§ II. Sed & ad tantam ſpem nos ita debemus præparare, ut tantorum bonorum primitias ipſi anhelemus poſſidere, quæ certo reſpectu omnibus fidelibus N. T. communes ſunt. Enitendum ergo eſt, ut unctionis per Spiritum Chriſti compotes fiamus, atque ita reapſe nos demonſtremus cum eo unitos eſſe.

§ III. Cumprimis autem exuenda ſunt illis, qui hanc ſpem promovere volunt, omnia vitia auguſtæ deſcriptioni communionis ſanctorum contraria, elatio, contentionis libido, invidia contra fratres, hæretificatio, atque ita nos gerere oportet, uti decet fratres eadem coeleſti origine ſatos, quicquid a Domino accepimus humiliter agnoſcentes, & in com munem omnium membrorum corporis Chriſti utilitatem ex ſincera Philadelphia cum voluptate conferentes.

§ IV. Ita agendi fortiſſima hic Pſalmus proponit argumenta, petita tum a Deo, tum a nobis ipſis, tum ab aliis. *A Deo*, cui nihil eſt amoenius; *a nobis ipſis*, quia hoc pios confirmabit in veri boni poſſeſſione ipſique Chriſto arctius uniet, & pignoris loco erit, quod ab eo portemur, quodque ad Zionis civitatem benedictione & vita omnigena gaudentem pertineamus, *ab aliis* denique, quia eorum converſio hoc pacto promovebitur.

ANALYSIS Pſalmi CXXXIV.

שיר המעלות הנה ברכו את־
יהוה כל־ עבדי יהוה העמדים
בבית־ יהוה בלילות׃

1. *Carmen graduum. Ecce, Benedicite Domino omnes ſervi Domini, qui ſtatis in domo Domini in noctibus.* 2. *Tol-*

Digitized by Google

שאו- ידכם קדש וברכו את- יהוה:

2. *Tollite manus veſtras ad ſanctuarium & benedicite Domino.*

יברכך יהוה מציון עשה שמים וארץ:

3. *Benedicet tibi Dominus ex Zyon, qui fecit cœlum & terram.*

§. I.

CUm author hujus cantici ignoretur, absque fundamento occaſionem ejus quidam ex 2 Sam. VI: 17, 18. alii ex 1 Par. XXIII-XXVI. petiverunt. Forte ille, qui faſciculum Canticorum graduum collegit, ejusdem Spiritus inſtinctu, ſecundum cujus dictum illa diſpoſuit, hoc Canticum tanquam aptum epilogum addidit. Argumentum ſane hujus Pſalmi valde affine eſt cantico, quod Nehem. IX:5,6. in feſto tabernaculorum & in Templi initiatione a Levitis decinebatur.

§. II. Id certum eſt, quod materia ejus cum ſcopo, cui hæc cantica olim inſerviiſſe putamus, egregie conveniat, exhibens benedictionem, quæ finem imponebat toti feſto tabernaculorum. Sed & quoad argumentum cohæret cum antecedentibus, tum quia hic iterum illa Zion occurrit, quam Jehova in requiem ſuam elegit, & ubi benedictiones ſuas juſſit, tum quia in eo proponitur chorus fidelium per promiſſiones egregias Pſalmorum præcedentium incitatus ad laudandum Jehovam, ſuamque invicem fidem & exſpectationem confortans. Phraſibus enim Pſalmi noſtri convenientiſſimum eſt, ut eum non referamus ad ipſa tempora glorioſa præcedentibus duobus Pſalmis deſcripta, ſed ad præcedentia, in quibus Eccleſia præparabatur, ad illorum bonorum poſſeſſionem. Hoc requirit mentio *noctis* vs. 1. & benedictionis vs. 3. in futurum promiſſio. Neque id ordinem turbat. Tempeſtive enim in fine hæc confortatio fidei in promiſſiones divinas additur, ne quis nimium feſtinet, neve quando lucis hujus ortus ſperatur, propter noctis protractionem, novæque

que caliginis inductionem animum deſpondeat, quia nox illa brevi tranſibit laudumque plenam materiam & bonorum ſperatam copiam ſiſtet.

§. III. Schema hujus Pſalmi alludit ad Levitas & Sacerdotes in Templo excubias agentes. Sed quæſtio eſt, an concipiendum ſit per modum dramatis, an vero una perſona tantum ad eosdem loquens introducatur. Prius ſuadere videtur numeri mutatio cum in duobus verſibus prioribus alloquium ſit ad plures, in poſteriori ad unum duntaxat. Per priores reſpici ad Sacerdotes & Levitas vigilantes non dubitatur. Per poſteriores paſſim coetus Jſraelis intelligitur. Sed cum theatrum hic tanquam de nocte apertum conſideretur, non inconcinne intelligitur Sacerdos, qui excubias viſitabat.

§. IV. Bipartitus eſt Pſalmus, utpote in quo continetur.

I. Excitatio ad celebrationem Jehovæ, in qua

A. Perſonæ, a quibus celebratio illa requiritur, deſcribuntur vs. 1. p. poſt. *omnes ſervi Jehovæ ſtantes in domo Jehovæ noctu.*

B. Officium ipſum inculcatur vs. 1. p. pr. vs. 2. quod.

1. Generatim proponitur vs. 1. p. pr. *Benedicite Jehovæ.*

2. Specialius modus ejus per partes deſcribitur vs. 2. ubi indicatur.

a. Antecedens: *Extollite manus veſtras, ad ſanctum*

b. Conſequens: *Et benediite Jehova.*

II. Benedictio, qua excitati excitantem impertiuntur vs. 3. Ubi commemoratur.

1. Promiſſio vs. 3. p. pr. *Benedicet tibi Jehova ex Zione.*

2. Fundamentum illius promiſſionis: *faciens coelum & terram.*

NO-

NOTÆ EXEGETICÆ.

VERS. 1

Celebrate Jehovam) ſeu *Benedicite*: hæc enim coincidunt. Confer dicta ad Pſ. CXXIV: 6. Sigillatim hac voce deſignantur laudes, quæ Deo a Levitis in Templo decinebantur Nehem. IX: 3. 1 Chron. XXIII: 30. quo etiam alluditur, quando de Muſices Templi antitypo ſeu cantico novo in N. T. decinendo agitur Pſ. LXIII: 5. LXVIII: 27. Pſ. CXXXV: 16. 20.

Omnes ſervi Jehovæ) Servi Domini in emphaſi olim fuere, Iſraelitæ Lev. XXV: 42. nec non in ſenſu ſpecialiori Sacerdotes 2 Reg. X: 23. Hic ſacerdotes & Levitæ reſpiciuntur, licet id ſit inſolentius, uti patet ex adjuncto prædicato, quod illis proprium eſt. Præambulones enim erant in cultu Dei, atque ad illum ſingulari modo ſegregati. Et qua talium antitypus ſunt fideles N. T. atque inter eos præambulones in cultu Dei ſpirituali, quos ſub hoc ſymbolo vidimus Pſ. CXXXII: 9. Emphaticum eſt, quod nomen *Jehovæ* repetatur, quia maxima excellentia maximumque beneficium erat ſervum Jehovæ eſſe, entis non ſolum ſummi, ſed etiam fideliſſimi remuneratoris ſervorum ſuorum. Hi *omnes* excitantur, quia omnes eadem prærogativa gaudentes etiam ad idem officium obligantur.

Stantes in domo Jehovæ) Cultus Dei in ſanctuario *ſtando* fiebat 1 Chron. VI: 32. 2 Chron. XXIX: 26. XXX: 16. XXXV: 10. Ita conveniebat *Servis* ad teſtandum ſuam humilitatem & promptitudinem. Domum Jehovæ in noſtris Pſalmis eſſe Eccleſiam N. T. ſæpius monitum eſt. In illa ſtant, quicunque ad ſervitia Dei & Filii ejus ſe conſecrarunt Apoc. XIV: 1, 2. XV: 2. vigilantes & exſpectantes adventum Domini, promtique ad ei ſerviendum ſecundum conſilium ejus Pſ. LXXXIV: 11.

Noctu) Hoc poteſt reſpicere vigilias ſacerdotum & Levitarum de quibus quædam etiam monita ſunt ad Pſ. CXXX. KIMCHIUS quidem putat, reſpici homines ſapientes & pios, ſurgen-

tes noctu ex lectis ſuis & venientes ad orandum in templo Dei & celebrandum nomen ejus, eumque GROTIUS ſequitur. Confer Luc. II: 37. Sed major ſymboli eſt συναφεια ſi de Templi Miniſtris hic cogitemus. Celebratio Dei in Templo proprie tantum præſcripta erat mane & veſperi 1 Chron. XXIII: 30. Quare ut ſchemati ſua decentia conſtet duo poſſunt obſervari. Primum, quod præfectus Templi ſummo mane viſitans vigilias, cuſtodes Templi tali dicto potuerit hortari, ut qui hactenus ſtabant in cuſtodia, abhinc ſe accingant ad opus divinum ſive celebrationem Domini. Alterum quod incidit eſt, quod לילה aliquando notet *veſperam*, ut clare patet ex Pſ. XCII: 3. ubi ad cultum Dei per hymnos in Templo matutinum בבקר & veſpertinum בלילות alluditur. Cum nox emblema ſit calamitatum & afflictionum Jeſ. XXI: 11, 12. Mich. III: 6. &c. hinc putamus Prophetiam reſpicere noctem illam horæ tentationis graviſſimam, adeoque plurali indigitatam, quæ ut præceſſura plenam ultimorum temporum felicitatem a Prophetis commemoratur. Confer hic ſpeciatim Ieſ. LX: 2. Jeſ. LXII: 6, 7. Zach. XIV: 7.

VERS. 2.

Extollite manus veſtras) Hic ritus eſt non tam celebrantium quam precantium Ex. IX: 29, 33. Pſ. XXII: 2. LXXXVIII: 10. 1 Tim. II: 8. qui ita & affectus in coelum tendentis vehementiam, qua manibus quaſi Deum apprehendere quærunt & parrheſiam, & periculi magnitudinem, & manuum ſuarum impotentiam & ſpem ſuam omnem in dextram potentiæ divinæ repoſitam eſſe fatentur.

Ad Sanctum) Ita ſimpliciſſimum eſt, quia omnes precantes faciem directam verſus Templum habere debebant. Ipſi etiam qui in atrio domus Dei ſtabant, verſus adytum adorabant, ubi thronus Dei typicus. Sed ſervi Domini in N. T. ſe convertunt mente ad thronum gratiæ in ſanguine Agni fundatum.

Et celebrate Jehovam) Primo ergo jubentur cuſtodes Templi auxi-

auxilium a Domino expetere, & ita ſe accingere ad benedicendum nomini ejus propter acceleratam votorum ſuorum exauditionem, quæ poſt breviſſimam novæ tentationis horam ſpe citius obtinget Jeſ. LXV: 24. Confer cap. LIX: 19.

VERS. 3.

Benedicet tibi Jehova ex Zione) Confer Pſ. CXXVIII: 5. verba hæc ſunt cuſtodum ſive cantorum Templi, reſpondentium ſive Præfecto ſummo mane ad celebrandum Jehovam incitanti, ſive למנצח Præfecto Muſices. Hoc in antitypo deſignat inter præclara Eccleſiæ lumina hunc ordinem eſſe, ut alii ſint, qui incitent, quibusque Deus, tanquam primis inſtrumentis utitur, per quæ alii excitantur, qui excitati grato animo id agnoſcunt, benedictionemque propterea coeleſtem ſuis incitatoribus non ſolum vovent, ſed etiam ominantur, quo pacto implebitur prophetia Dan. XII: 3.

Faciens cœlum & Terram) Conf. Pſ. CXXI: 2. & CXXIV: 8. Repetitio hujus formulæ ſingularem emphaſin habet in hoc loco, ubi tale tempus reſpicitur, in quo Deus novi coeli, novæque terræ factionem myſticam moliebatur Ieſ. LXV: 17. LXVI: 22. Apoc. XXI: 1.

USUS.

Exſpectantes iterum hujus Pſalmi in tempore a Deo fixo implementum, ex eo perſpicimus veram rationem & officia Miniſterii Evangelici, præcipue quando caligo variarum difficultatum Eccleſiam premit. Illius enim eſt generatim in omnibus muneris ſui partibus ſe tanquam fidos Jehovæ ſervos exhibere, ſpeciatim autem debent indefeſſi eſſe in vigilando, in celebrando Jehova, in precando, in excitando ſe invicem ad laudes Jehovæ.

Eadem veſtigia ſecundum varias circumſtantias premere debent omnia veræ Eccleſiæ membra.

Præcipue hic Pſalmus pertinet ad confortandam fidem in nocte tentationum, quæ quando ſæpe videtur eſſe denſiſſima, tum ortus lucis gratiæ proxime inſtat. Et fundamenta hujus exſpectationis inconcuſſa ſtant; quæ ſunt tum Propoſitum gratiæ, ſecundum quod Deus habitat in Zione, tum Omniſufficientia ejus, qui facit coelum & terram.

F I N I S.

FRID. AD. LAMPE

COMMENTATIONIS

ANALYTICO-EXEGETICÆ

IN

APOCALYPSIN JOHANNIS

FRAGMENTUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTATIO
ANALYTICO EXEGETICA
IN
APOCALYPSIN JOANNIS

INTRODUCTIO.

§. I.

De Authore & Authentia APOCALYPSEOS prolixe diſſeruimus in cap. VII. Proleg. ad Evang. De Tempore & Loco Ib. cap. IV.

§. II. Divinitas ejus ſequitur ex ejus Authentia. Cum enim conſtet JOANNEM fuiſſe Apoſtolum J.C. qui in titulo libri divinitatem ejus atteſtatur, nulla de eo dubitandi anſa eſt.

§. III. Habet & characteres internos in ipſo Libri argumento: quales ſunt 1. Doctrinæ in ſe ſpectatæ ſanctitas & ſublimitas. 2. ejusdem relate ad coeteras præcedentes revelationes cum Moſe, Prophetis, Evangeliſtis, & Apoſtolis Harmonia, quam perpetua alluſione conteſtatur. Sicut omnia Evangelia JOANNES *Evangelio* ſuo, ſic Prophetias *Revelatione* ſua obſignavit. 3. Prophetiarum quarundam implementum, qualis illa *de Antichriſto*.

§. IV. Præjudicium aliquod contra APOCALYPSIN facit Obſcuritas. Verum illa nihil obeſt. 1. Ita exſpectatur a libro prophetico IRENÆUS IV:26. p. 262. 2. Ex illis, quæ cognoſcuntur, liquet Sublimitas rerum, quas Deus voluit ſub illis Ænigmatibus admirabili ſapientia tegere. HIERONYMUS Paulino Tom. 3. *Apocalyp-*

lypſis Iohannis tot habet *Sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior eſt, in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ* 3. Se ipſam illuſtrat, quoniam *pauca in ea ſunt, ex quorum manifeſtatione indagentur coetera cum labore: maxime quia ſic eadem multis modis repetit, ut alia atque alia dicere videatur, cum aliter atque aliter hæc ipſa dicere inveſtigetur* ut utar verbis AUGUSTINI C. D. XX: 17. 4. Præcipua culpa in accedentibus eſt ad legendum, ſive reverentiæ, ſive diligentiæ, ſive aptitudinis, ſive methodi, defectu.

§. V. Summum hujus Apocalypſeos ad gloriam Dei & ſalutem pondus eſt Hoc conſtat ex multiplici commendatione 1) Quia ipſi Filio Dei a Patre data Apoc. I: 1. 2) Quia a Chriſto exaltato per ſuum Angelum miſſa Ap. I: 1. XXII: 6, 16. ita ut per illam ſigillatim quaſi de coelo loquatur Ebr. XII: 25. 3) Quia ſcriptio ejus ſœpe identidem inculcata Apoc. I: 6, 19. XIV: 13. XIX: 9. XXII: 10. 4. Quia lectio & meditatio ejus commendata, tam in genere Apoc. I: 3. XXII: 7, 9, 16. quam in caſibus ſingularibus, præſertim in toties repetito illo: *Qui habet aures ad audiendum audiat* cap. II. & III & XIII: 9. imo in particularium viſorum commendata enodatione Apoc. XIII: 18. & quoties cum quibusdam circumſtantiis conjungitur aut promiſſio beatitudinis Apoc. XIV: 13. XVI. 15. XIX: 9. XX: 6. XXII: 7. aut comminatio iræ Cap. XIII: 10. XIV: 9-11. 5. Quia liber hic clauſula terrifica contra falſarios eſt munitus Cap. XXII: 18, 19.

§. VI. Quantopere hanc commendationem mereatur res ipſa docet. 1. Omnia ad gloriam Dei efficaci modo refert, cujus judicia perpendere ſanctis convenit. 2. Conſolationi Eccleſiæ & confortandæ ejus fidei deſtinatam eſſe ex ſcopo liquebit. 3. Argumentum oſtendet, in ea contineri ampliſſimum ac perfectiſſimum Theologiæ Propheticæ ſyſtema: unde etiam ei nihil addendum aut detrahendum Apoc. XXII: 18, 19. Ex eo ſequitur, quod quæcunque ſtudium Propheticum commendare poſſunt, ſtudium quoque hujus libri commendent, & quod ille fructus ex ejus penitiori intellectu ſit redundaturus, ut clavem ad reliquas prophetias reſerandas ſimus adep-

Digitized by Google

adepturi 4. Spes proficiendi adeſt, præcipue ex collata prophetia Dan. XII: 4, 9, 10. ubi occluſas viſiones & obſignatas ad tempus determinatum indicatur, & quod paulatim augebitur cognitio, & quod erudientes *animadverſuri ſint*; quæ ad Apocalypſin merito applicabuntur, quia notabiliores ejus viſiones ex Daniele hauſtæ.

§. VII. Præjudicia contra hunc librum eadem ſunt, quæ contra ſtudium Propheticum in genere 1. Ad hanc revelationem intelligendam propter ejus obſcuritatem opus eſſe *revelatione alia*. Reſpondemus, id repugnat & ſapientiæ divinæ, res præter neceſſitatem non multiplicanti, & lectionis commendationi 2. Apocalypſin non niſi poſt omnia plene completa intelligi poſſe. Reſpondemus, Contrarium Deus intendit, ut per Apocalypſin *monſtraret ſervis ſuis* quæ adhuc debebant fieri Apoc. I: 1. XXII: 6. Ita etiam convenit, quia non noſtro bono nobis foret data, & quæ a nobis fieri debuiſſent, non vero quæ facienda ſint, exinde intelligeremus. 3) Marc. XIII: 32. non contrariatur, quia illic agitur de ſtatu rerum in exinanitione Chriſti. Neque Act I. 7. quia ex coll vs. 8. liquet, cum quod Jeſus de illo temporis articulo agat, in quo Apoſtoli tunc erant, tum quia curioſam & præmaturam ſciſcitationem eorum Dominus noſter cohibere vult.

§. VIII. Nihil ergo deterrere fideles poteſt a ſcrutinio. Notetur tantum, quid requiratur, ut proſperum eventum conatus habeat. Intellectus harum rerum ad *ſervos Chriſti* reſtringitur Apoc. I: 1. XXII: 6. Sed accedere debet ſufficiens in Scriptura Sacra & verbo Prophetico, nec non in rebus geſtis Eccleſiæ exercitatio: quibus adminiculis inſtructus hermeneutices ſacræ regulas ſollicite adhibere debet. Generales hic non tangimus. Speciales attinent, tum totum Apocalypſeos librum, cujus Occaſio, Scopus & Argumentum notari debet, tum ſingularum partium ſenſum eruendum.

§. IX. *Occaſionem* ſubminiſtrabit facies Eccleſiæ illius temporis, in quo Apocalypſis eſt ſcripra. Supponimus hic quod uberius demonſtravit VITRINGA Obſ. Sacr. VI: 7. Eccleſiam Chriſtianam illo temporis intervallo, quod a Nerone ad Trajanum lapſum eſt de Zelo ac ſervore ſuo

 in

in cauſſa Dei & Religionis non parum remiſiſſe; quin loco incrementi, quod ſperabatur decrementum notabile feciſſe, multis fidem deſerentibus, aliis eam contentionis ſtudio turbantibus, aliis dogmatibus perverſis ac moribus impuris eam dehoneſtantibus. Accedebant multæ externæ afflictiones præſertim per Domitiani perſecutionem invaleſcentem, quæ tantum non interitum minabantur. Notamus 2. alte fixam apud multos hanc hæſiſſe perſuaſionem, glorioſam quandam Regni Chriſti in tota terra propagationem brevi imminere, per quam Prophetiæ V.T. de uberrima Spiritus ſancti menſura implendæ. Mature hoc præjudicium imbiberant diſcipuli Chriſti, qui ex ipſa Judæorum traditione id procul dubio hauſerunt.

§. X. Collatio inter hæc duo puncta fidem piorum non mediocriter concutiebat. Res enim Chriſtianorum in deterius abeuntes é diametro ſpei Eccleſiæ, quæ tamen firmo verbi prophetici fundamento innixa videbatur, adverſabantur. Accedebant apertæ hujus ſpei per profanos & apoſtatas illuſiones, quales ſunt illæ, quæ 2 Petr. III: 3, 4. deſcribuntur. E re Ergo Eccleſiæ p. d. erat, ut fides labaſcens ſuffulciretur. Hoc non poterat efficacius fieri, quam ſi erudirentur de præjudicii ſui falſitate, atque addiſcerent, quod Prophetias non fuerint aſſecuti, in quibus quidem de Regno illo glorioſo erat actum, ſed tamen ita ut promiſſionis hujus executio lento gradu eſſet exſpectanda, cum Dei conſilium eſſet, antequam felicia illa tempora ingruerent, per varias viciſſitudines ac tentationes Eccleſiam exercere. *Credenti* ergo *non erat feſtinandum* Jeſ. XXVI: 16. Eædem prophetiæ, quæ de Regno egerant, has Eccleſiæ paſſiones ſimul prædixerant. Non igitur ſeparanda, quæ Prophetia coniunxerat. Huic præjudicio ipſe JESUS obicem poſuerat, tum ante mortem Luc. XVII: 20. ſq. &c. tum poſt reſurrectionem Act. I: 6, 7. Poſuerant & Apoſtoli, PAULUS 1 Theſſ. V: 2 Theſſ. II:. PETRUS 2 Ep. III. JACOBUS Cap. V. JUDAS. Sed Chriſtiani tanquam faſcino correpti id non animadverterant. Nullum ergo aptius remedium adhiberi poterat, quam ſi ante-

quam

Digitized by Google

quam Canon N. T. clauderetur, nova revelatio exhiberetur, quæ nexum ac ſeriem omnium Prophetiarum illuſtraret, atque ea fini non ſolum ſpem illius Regni glorioſi confirmaret, ſed etiam clarius exponeret, quas quantasque viciſſitudines Eccleſia antea perrumpere deberet, quam ad Gloriam ultimorum temporum eniteretur.

§. XI. Per neminem hæc revelatio melius poterat Eccleſiæ tradi, quam per JOANNEM. Solus ille ex numero Apoſtolorum videtur tum ſuperfuiſſe, & de ejus fidelitate atque authoritate nullus erat dubitandi locus. Exilium ejus præterea reſiduam piorum fidem in ſummum diſcrimen adduxerat. Quid reliquis, hoc oppreſſo, ſperandum ſupererat?

§. XII. Sicut hæc *a priori* quaſi oſtendunt, non potuiſſe magis tempeſtive & efficaciter Deum Eccleſiæ documentum dare providæ ſuæ curæ, quam talis libri in theſauros ejus traditione, qui ægrotantem fidem ſanaret, periculoſum iſtud præjudicium everteret, & verum Σπεῦδε βραδέως confeſſoribus veritatis inculcaret: ita *a poſteriori* manifeſto perſuaſi ſumus, hunc primarium libri *Scopum* eſſe, quando ipſius libri oeconomiam conferentes, illam totam huic hypotheſi mirifice congruere animadvertimus.

§. XIII. Hic in genere tantum obſervamus 1) & initium & finem ad hunc ſcopum ſatis clare collineare, in quibus identidem inculcatur *tempus* prope *adeſſe*, & Jeſum *cito venire* Apoc. I. 3. XXII: 21. ut hoc pacto declaretur quamvis videatur Jeſus retardare, illum tamen accurate tempus ex decreto Dei definitum eſſe obſervaturum. 2) huc ſigillatim facere argumentum, quod ipſe JOHANNES Cap. I: 7, 8. libro ſuo præfigit, & ex quo ſpecialiſſimum hujus libri ſcopum eruemus. 3) Id innuere deſcriptionem, quam de ſe ipſo dat, vs. 9. quæ procul dubio eſt myſtica 4) Adde Analyſin totius libri.

§. XIV. *Argumentum* libri hinc deduci poteſt. Siſtitur in eo hiſtorica enarratio ad 7. Eccleſias Aſiæ directa Viſionis cujusdam Propheticæ, in qua ſub perpetuis ænigmatibus ac ſymbolis ex typis ac prophetiis V. T. deſumtis delineantur omnes tentationes & afflictiones Eccleſiæ, nec non omnia judicia de hoſtibus ejus,

Digitized by Google

ab illo tempore quo hæc Joanni ſunt revelata usque ad extremum dierum decurrentia per quæ illa paulatim erat præparanda ad glorioſum illum ſtatum per Prophetas prædictum, ſuoque tempore a Deo præſtituto in terris adhuc exhibendum.

§. XV. Fruſtra quidam recentiores, contra fidem veterum, ipſiuſque Hippolyti arctius contraxere hoc argumentum; Quæ contra GROTII Syſtema ſyncretiſmi Papiſtici cauſa inventum faciunt, abunde refutavit VITRINGA. Audacior HERM. von der HARDT, ænigmatibus priſci orbis Helmſt. 1722. fol. publicatis Subjunxit commentarium in Apocalypſin, in quo Prophetiam in Hiſtoriam convertendo ab Abrahamo incipit & itidem ad Judæorum excidium & Chriſtianæ Eccleſiæ erectionem ultima retulit. Sed ex iisdem fontibus refelli poteſt hypotheſis hæc impia, & ad deſtructionem ſtudii prophetici inventa. conf. Bibl. Brem. Claſſ. VI. p. 1105. ſq.

§. XVI. Ad ſingularem partium ſenſum eruendum, prima de ſenſu literali & hiſtorico cura eſſe debet. Cum enim hic occurrat hiſtorica narratio viſionis, inde liquet, ante omnia illum, qui feliciter in hoc libro vult progredi, ſibi viſiones, quæ Joanni obtigere, quoad pote ad vivum repræſentare debere, ut inde liqueat in quonam ſpecialiſſimo nexu ſingula ſymbola occurrant.

§. XVII. Dein genuini fontes ſunt excutiendi, ex quibus horum emblematum explicatio peti poteſt. Illi proculdubio ſunt tum Prophetiæ, tum Typi V. T. Quo ad Prophetias, apparebit 1) perpetuam eſſe ad illas in noſtro libro alluſionem 2) non ſolum emblemata & phraſes, ſed etiam viſiones occurrere, analogas viſionibus Prophetarum, ultimorum præcipue, EZECHIELIS, DANIELIS, ZACHARIÆ. Supponi tantum hic debet, quod ubicunque manifeſta eſt ad tales prophetias V. T. alluſio, ibi eadem quoque ſubjecta prophetica ſint. Poſtulatum hoc eſt æquiſſimum, a) quia idem utrobique Spiritus loquitur: b) quia ſcopus poſteriorum revelationum eſt, ut priores illuſtrent, quod non fieret, ſi propheticæ phraſes aliter in ſequentibus intelligerentur, ac in præcedentibus intellectæ eſſent: c) quia exempla multa ſatis evidentia ſunt, in quibus ex criteriis, quæ ſingulis prophetiis ſeparatim

tim inſita ſunt, poteſt confici, quod eodem colliment. Sic v. gr. analogia manifeſta eſt inter Jeſ. LX: & Apoc. XXI: inter Ezech. XLVII. & Apoc. XXII. jam vero prophetiæ JESAIÆ & EZECHIELIS in ſe conſideratæ tales habent notas inſitas, ex quibus clare poteſt confici, quod ultimaglorioſa Eccleſiæ tempora deſcribant. Ex his & ſimilibus aliis clarioribus ad obſcuriora fieri debet concluſio. Quam injurium ſit ſapientiæ Sp.S. figmentum alluſionum per accommodationem, alias indicavimus.

§. XVIII. Cum Prophetiis conferri debet univerſa doctrina Typica quæ ſicut inſigne ex Apocalypſi nanciſcitur lumen, ita idem viciſſim affert. Omnis ſane Theologica typica duabus partibus abſolvitur Abſolvitur enim typis Naturalibus & Legalibus, qui poſteriores iterum ſunt vel hiſtorici vel ceremoniales. Illorum fundamentum eſt Creatio, horum ſunt Sacrificia in ſanctuario. Utrique in Apocalypſi eleganter uniuntur, in qua duplex theatrum per omnia viſa dominatur & alternat, alterum eſt, coeli & terræ, alterum ſanctuarii. Hinc numerus myſticus utrique communis, nempe *ſeptenarius* ubique recurrit. Hinc in fine & novum coelum ac nova terra & ſimul nova Hieroſolyma comparent, ut jam non memoremus emblemata per ſingula commata ſparſa. Unde neceſſe eſt, ut qui in explicanda Apocalypſi rite volet verſari, emblemata ejus non in ſe, ſed in illa relatione, quam ad hæc duo ſyſtemata typica habent intelligat.

§. XIX. Sunt præterea Viri docti in ea ſententia, cum Judæi veteres etiam ante Chriſtum natum quandam reconditam & oretenus propagatam ſcientiam Theologicam ac Philoſophicam habuerint, quam Kabbalam appellabant, Scriptores N. T. ad hypotheſes & formulas eorum, in quantum veritati coeleſti non repugnabant, ſæpenumero alluſiſſe. Hoc ſigillatim in ſtylo Apocalypſeos locum habere putant & præcipue exemplis quæſiverunt monſtrare GRELOTUS & RHENFERDIUS. Sed ponderandum, 1) quod hypotheſes multas adhuc probandas illi interpretes habeant. 2) quod ſiquid ſani in illis occurrit, id ipſum ex Theologiæ Propheticæ & Typicæ ipſius Scripturæ fontibus hauſtum ſit.

§. XX. Libri itaque hujus ſunt tres Partes generales.

1 PRÆFATIO. a Cap. I: 1-6.

2 VISIONES á Cap. I: vs. 7. c. XXII: 8.

3 EPILOGUS à c. XXII: 8. Fin. libri.

PRÆFATIO

Cap. I: 1-6.

1. ΑΠΟΚΑΔΥΨΙΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ην εδωκεν αυτω ο θεος, δειξαι τοις δȣλοις αυτȣ α δει γενεσθαι εν ταχει, και εσημανεν αποςειλας δια τȣ αγγελȣ αυτȣ τω δȣλω αυτȣ ιωαννη,

2. ος εμαρτυρησε τον λογον τȣ θεȣ και την μαρτυριαν ιησȣ χριςȣ, οσα ειδε.

3. Μακαριος ο αναγινωσκων, και οι ακȣοντες τȣς λογȣς της προφητειας, και τηρȣντες τα εν αυτη γεγραμμενα. ο γαρ καιρος εγγυς.

4. Ιωαννης ταις επτα εκκλησιαις ταις εν τη ασια. χαρις υμιν και ειρηνη απο ο ων και ο ην και ο ερχομενος και απο των επτα πνευματων α εςιν ενωπιον τȣ θρονȣ αυτȣ.

5. Και απο ιησȣ χριςȣ, ο μαρτυς ο πιςος, ο πρωτοτοκος των νεκρων, και αρχων των βασιλεων της γης. τω αγαπωντι ημας και λȣσαντι ημας εκ των αμαρτιων εν τω αιματι αυτȣ,

6. και εποιησεν ημας βασιλειαν, ιερεις τω θεω και πατρι αυτȣ, αυτω η δοξα και το κρατος εις τȣς αιωνας αμην.

1. *Revelatio Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus, ut oſtenderet ſervis ſuis, quæ cito fieri oportet: & ſignificavit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.*

2. *Qui teſtificatus eſt ſermonem Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, & quæcunque vidit.*

3. *Beatus, qui legit & qui audiunt verba hujus Prophetiæ, & obſervant, quæ in ea Scripta ſunt. Tempus enim prope adeſt.*

4. *Johannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia: Gratia vobis & Pax, ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt: & à ſeptem Spiritibus qui ſunt coram throno Dei.*

5. *Et à Jeſu Chriſto, teſte illo fideli, primogenito ex mortuis, & Principe Regum terræ qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris ſuo ſanguine.*

6. *Et qui fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

ANA-

ANALYSIS Præfationis à Cap. I. vs. 1--6.

CUm forma APOCALYPSEOS tota ſit ad modum epiſtolæ ad VII Eccleſias Aſiæ directæ, ſed tamen ſimul ad modum libri compoſita, qui omni Eccleſiæ bono debebat tradi, hinc Præfatio ejus duplex poteſt diſtingui, altera continet *titulum Apocalypſeos*, qui ei tanquam libro præfigitur: altera *inſcriptionem Epiſtolæ*.

I. Titulus libri eſt duplex.

A. Acceſſorius ævo ſequenti, & ut nos conjicimus quarto ſeculo: *Apocalypſis Joannis Theologi.*

B. Originalis vs. 1, 2: 3. qui an ipſa Joannis, an a Seniorum manu, ut finis Evangelii, ſit, nobis perinde erit. In quo indicatur.

1. Divina origo. vs. 1. 2.

a Generatiin propoſita, dum dicitur *Revelatio Jeſu Chriſti.*

b. Evicta per duplicem hujus auguſti tituli rationem. Revelatio enim hæc duplici de cauſſa Jeſu Chriſto tribui poteſt.

α. Paſſive, quia *Deus* Pater ejus illam *ei dedit*, idque eum in finem, *ut ſervis ſuis* ſub afflictione & tentationibus ſuis poſitis, adeoque non ſoli Joanni, ſed omnibus veris Eccleſiæ membris, præcipue tamen Doctoribus *oſtenderet* per viſum propheticum, *quæ cito fieri* oportet.

β. Active, quia ipſe qnoque Filius ſecundum hunc ſcopum Patris illam revelationem *ſignificavit* per ſymbolicam viſionem, ad quam ſignificationem duplici miniſterio eſt ulus.

ℵ. Coeleſti, *Mittens per angelum ſuum.*

ב. Ter-

Digitized by Google

ב. Terreſtri, Evangeliſtæ Joannis, cujus perſona deſcribitur.

a. A munere ſuo, *ſervus ejus Ioannes*.

b. Ab opere ſuo. vs. 2. qui *teſtificatus eſt ſermonem Dei* toto miniſterii ſui curriculo *& teſtimonium* in Evangelio *J. C. & quacunque vidit* in Apocalypſi.

2. Commendatio hujus libri vs. 3. qui continet.

a. Officium duplex.

α. Doctorum, quorum reſpectu in ſingulari dicitur: *Beatus qui legit*.

β. Reliquorum fidelium: Nam quoad illos itidem beati ſunt, qui *audiunt* verba hujus prophetiæ, cum debita attentione & *obſervant, quæ in eo ſunt ſcripta* tanquam exercitium fidei ac ſpei, nec non incentivum ad veram ſanctificationem.

b. Ratio addita; *nam tempus eſt propinquum*, quo prædicta executioni danda ſunt.

II. Inſcriptio Epiſtolæ vſ. 4, 5. 6. pro more Epiſtolarum Apoſtolicarum continet.

A. Nominum expreſſionem: *Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia*: conſideratis partim ut ſpeciale objectum miniſterii Evangeliſtæ, partim ut typis ex præcepto vs. 11.

B. Votum Apoſtolicum, exhibens.

1. Bona quæ optat: *Gratia vobis & Pax*, illa tanquam Cauſſa, hæc tanquam Effectum.

2. Authorem Deum Triunum, qui deſcribitur.

a. Pater, cum alluſione ad nomen Jehova, ex parte impletum, ex parte adhuc implendum, *ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt*.

b. Spiritus ſanctus: *Et a 7 Spiritibus*, qui *ſunt coram throno Dei*, propter ſeptuplicem non ſolum ſed etiam perfectam Spiritus Sancti operationem per Doctores Eccleſiæ univerſalis.

c. Filius, qui

α. De-

α. Deſcribitur.

א. Per prædicata *Et a Jeſu*, qui eſt *Chriſtus teſtis ille fidelis* qua Propheta, *primogenitus ex mortuis*, qua Sacerdos conſummatus & *Princeps Regum Terræ*, qua Rex.

ב. Per beneficia triplicia, *qui dilexit nos*, jam in decreto ſalutis *& lavit nos* a peccatis noſtris ſuo ſanguine in acquiſitione ſalutis & *fecit nos* primo *Reges* per jus filiorum Dei in juſtificatione, & deinceps *ſacerdotes* per adaptationem ad cultum ſpiritualem in Sanctificatione *Deo & Patri ſuo*.

β. Celebratur. *Ipſi* & eſt & ſit *gloria* qua ſummi Dei ac Patris imagini, & *imperium*, qua mediatori *in ſecula ſeculorum, Amen.*

SCOLIA.

AD VERS. 1

Rationes dubitandi de Authore prioris præfationis ſunt 1,) quia repetitur Apoc, XXII: 6, 7. 2) quia vs. 2. ἐμαρτύρησε ὅσα εἶδε ſupponit jam ſcriptam eſſe Apocalypſin, antequam hæc præfatio præfigeretur.

Αποκαλυψις) Titulus proculdubio mutuo deſumtus ex Dan. X: 1. ubi de viſione, quæ noſtræ eſt plane analoga Vox αποκαλυπτεσθαι uſurpatur. vs. 3. dicitur *Prophetia*. Placuit autem nomen Αποκαλυψεως potiſſimum reſpectu J. C. cui revera & cognitio ſignificatus ænigmatum plene competit, tanquam antitypo Davidis, quo ſenſu αποκαλυπτεσθαι pro גלא ſæpius LXX. Interpp. uſurpant Dan 2.

Servi Dei) in emphaſi ſunt Doctores Eccleſiæ, qui hic clare a Ioanne diſtinguuntur. Forte iidem Seniores, qui hunc prologum præfigentes epitheton hoc in Canonem retulerunt. Hos eoſdem allocutus erat JESUS Apoc. XXII: 16.

Εσημανεν) Hoc differt a *datione Apocalypſeos*. Quæ enim clare revelata ſunt Jeſu Chriſto, illa ipſe per ſymbola tradidit Joanni.

Digitized by Google

Apud LXX. eſt *ſignum dare* per *tubam* aut buccinam. Confer vs. 10.

Cito) Ἐν τάχει. Hoc relationem habet non tam ad tempus quo Apoſtolus ſcripſit, quam ad tempus per Prophetas indicatum, & ad exſpectationem hoſtium.

AD VERS. 4.

In Aſia) Proconſulari ſeu Lydiana, uti oſtendit *Uſſerius* & de qua etiam videri poteſt *Spanhemius* de num. Diſſ. IX. ex quo liquet urbium harum commune Forum fuiſſe. Cum magis directe imperio Romanorum ſubeſſent, forte plus a Domitiani perſecutione paſſæ ſunt, quam eousque ſaltem ſe extendiſſe vel ex ipſo Joannis exemplo patet. In quibus circumſtantiis rationes latent, cur typus fuerit Eccleſiæ univerſalis, præſertim ſub Regno Antichriſti.

Septem Spiritibus) Cum alluſione ad ſeptem lampades *candelabri* aurei coll. Cap. IV: 5. & præcipue ad viſum Zach. IV: 10. ex cujus vs. 6. & 10. abunde liquet, cur hi ſeptem ſpiritus ſimul 7. Oculi & Cornua agni Apoc. V: 6. dicantur. Nec male confertur. Jeſ. XI: 2. ubi 7. denominationes concurrunt. Sic ſeptenarius non ſolum ad objectum ſed etiam ad ſubjectum pertinet. Ex his rationibus planum fit, de uno tantum ſubjecto agi. Nam 1) diviſiones ſunt chariſmatum, ſed Spiritus idem 1 Cor. XII: 4. 2) ſeptem lampades ex uno ſcapo prodibant, uno oleo alebantur, uno igne paſcebantur in flammulas 7 diviſo, uti in effuſione Spiritus S. 3) Zach. IV: 6. explicat Jehova ſeptem lucernas Lychnuchi per Spiritum ſuum in ſingulari.

AD VERS. 5.

Teſtis ille fidelis &c.) Tres illæ periphraſes petitæ ſunt ex Pſ. LXXXIX: cujus vs. 37. legimus ὁ μάρτυς ἐν οὐρανῷ πιστός, duo reliqua epitheta clarius hauſta ex vs. 27. Scopus ſane hujus Pſ. & Apoc. coincidit, unde non incommode pro epitome Apocalypſeos habetur. Alluſum etiam ad iridem.

Primogenitus) alluſio ad primogenitos matris, quia ipſe *Salomo* erat

erat primogenitus ex matre Batſeba, qui pſ. LXXXIX. ut typus Chriſti conſideratur.

Ex mortuis) tales erant primogeniti matrum, quia vicem præſtabant eorum primogenitorum, qui a gladio Angeli occiſoris in Ægypto evaſerant.

Princeps Regum Terræ) Regnum proprie competebat primogenitis ex patribus, quales Salomon non erat. Sed jus hoc in eum eſt tranſlatum, excluſis filiis Davidis ætate majoribus, typis Judaiſmi.

Lavit nos ſanguine ſuo) Λουειν proprium eſt aquæ, qua ſordes abluuntur, & nunquam de aſperſionibus uſurpatur, adeoque hic reſpicitur ad lotiones &c. baptiſmos præſertim inaugurales *ſacerdotum* Lev. VIII: 6. ipſiusque Iſraelis Ex. XIX: 18. quando in *regnum ſacerdotale* conſtituendus. *Sanguis* autem hic loco aquæ commemoratur. 1) quia ipſa aqua baptiſmatis obedientiam Chriſti figuravit. 2) quia cum ſanguine ſemper juncta fuit.

VISIONES.
Earum ARGUMENTUM Generale.
Cap. I: vs. 7. 8.

7. Ιδου ερχεται μετα των νεφελων, και οψεται αυτον πας οφθαλμος, και οιτινες αυτον εξεκεντησαν, και κοψονται επ αυτον πασαι αι φυλαι της γης. ναι αμην.	7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit illum omnis oculus, & qui eum transfixerunt: & plangent propter ipſum omnes tribus terræ: Ne, Amen.*
8. Εγω ειμι το Αλφα και το Ω, λεγει Κυριος ο Θεος, ο ων και ο ην και ο ερχομενος, ο παντοκρατωρ.	8. *Ego ſum* A *&* Ω, *Principium & Finis, dicit Dominus, Qui eſt, & Qui erat, & Qui futurus eſt, Omnipotens ille.*

ANALYSIS. vs. 7. 8.

SEquitur jam Narratio ipſa bipartita. Primo generale argumentum exhibetur: deinceps iſtud deducitur. *Generale argumentum* habemus vs. 7. 8. Complectens excellentem promiſ-

Digitized by Google

miſſionem, quae quomodo per gradus implenda, tota Apocalypſis edocet.

I. Promiſſio ipſa, prævio attentionis fideique poſtulato *Ecce*, reſpicit.

A. Præſens: *venit cum nubibus*, quoniam omnes ejus viæ ſunt progreſſus ejus in ſanctuario.

B. Futurum: continens.

1. Pleniorem revelationem, tum generalem, *Et videbit eum omnis oculus*, tum ſpecialem, & *qui eum tranſixerunt* Judæi jam rejecti, ſed poſt introductam plenitudinem gentium & ipſi ſalvandi.

2. Fructum ſalutarem, præcipue quoad hos Iudæos: *Et plangent propter ipſum omnes tribus* illius *terræ*, quæ nunc anathemate eſt percuſſa.

II. Confirmatio ejus.

A. Generalis, per: *Na amen.*

B. Specialis, per provocationem ad authoritatem illius in cujus nomine Iohannes ad modum reliquorum Prophetarum ſcribebat vs. 8.

1. Subjectum eſt: *Dominus, qui eſt, qui erat & qui futurus eſt, omnipotens* ille, quaſi dicas una voce, Iehova in eadem emphaſi qua Pater.

2. Prædicatum. Ille dicit, *ego ſum A & Ω* verbi prophetici, *Princ. & Finis* omnium viarum Domini, a cujus veritate & potentia adeoque exſpectandum quicquid Deus in decreto ſuo conſtituit & per Prophetas revelavit.

SCOLIA.

VERS. 7.

Venit cum nubibus) Alluſum ad Matth. XXIV: 27. XXVI: 64. ubi Jeſus id promiſerat cum inſtauratione Regni ſui. Phraſis hauſta ex Dan. VII: 13. ad quod viſum ſæpe alluditur.

NU-

Nubes) generale ſymbolum præſentiæ ſchechinæ in V. T. præſertim Columna nubis.

Et qui eum tranſfixerunt) Conf. Zach. XII. Adeoque hæc prophetia adhuc implenda. Neque in ſenſu ſequiori hæc ſunt interpretanda, cum prophetia de ſalutari converſione agat.

Tribus) Singulæ *ſeorſim* Coll. Apoc. VII. quod quomodo implendum ſit Deus novit. Hinc præjudicium, quod plus quærendi Judæi in Apocalypſi, quam pleriqne Interpretes invenerunt.

Na. Amen) Verba hæc, vel ſunt Joannis, vel Domini, ſi prius, tum *na* eſt voventis, *Amen* perſuaſi de certitudine, ut in Pſalmis, ubi Amen duplicatur. Si poſterius, uti Apoc. XXI: 21. tum *na* veritatem, *Amen* fidelitatem teſtamentariam Domini indicat. Confer notata ad Joh. I: 52.

VERS. 8.

Dominus) ο Κυριος eſt nomen, quo diſcipuli Jeſum jam in terris & multo magis poſt exaltationem inſignire ſolebant.

Omnipotens ille) παντοκρατωρ, οι LXX. frequentiſſime ponunt pro צבאות. Cum ergo verba præcedentia ſint periphraſis nominis Iehova, hinc liquet alludere ad conſuetam formulam ſigillatim Zach. & Mal. *Sic dixit Jehova Zebaoth.* Cum autem ex prædicato pateat, illum agere de Jeſu, hinc egregium pro Deitate Chriſti argumentum hic habemus.

A & Ω) quoniam ſunt literæ alphabeti ad ſcripturam reſpicere videntur: ſicut ſequentia *Principium* & *Finis* ad decretum, quia nomen Αρχη Chriſto tributum ex Prov. VIII: 22. hauſtum eſt, ubi decretum reſpicitur.

VISIONUM propior DEDUCTIO a C. I. vs. 9-20.

9. Εγω ιωαννης ο και αδελφος υμων και συγκοινωνος εν τη θλιψει και εν τη βασιλεια και υπομονη ιησου χριστου,

9. *Ego Joannes, qui & Frater veſter ſum, & ſocius in afflictione, & in Regno, & in pa-*

εγενομην εν τη νησω τη καλȣμενη Πατμω, δια τον λογον τȣ Θεȣ και την μαρτυριαν Ιησȣ χριστου.

patiente expectatione Jeſu Chriſti, eram in inſula, quæ vocatur Patmos, propter ſermonem Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti

10. εγενομην εν πνευματι εν τη κυριακη ημερα. και ηκȣσα οπισω μȣ φωνην μεγαλην. ως σαλπιγγος

10. *Fui autem in Spiritu, die Dominico. Et audivi à tergo vocem magnam inſtar tubæ*

11. Λεγȣσης, Ο βλεπεις γραψον εις βιβλιον, και πεμψον ταις επτα εκκλησιαις, εις Εφεσον, και εις Σμυρναν, και εις Περγαμον, και εις Θυατειρα, και εις Σαρδεις, και εις Φιλαδελφειαν, και εις Λαοδικειαν.

11. *Dicentis. Ego ſum* Α *&* Ω, *Primus ille & ultimus: Et, quod vides, Scribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſum & Smyrnam, & Pergamum, & Thyatira & Sardis & Philadelphiam & Laodiceam.*

12. Και επεστρεψα βλεπειν την φωνην ητις ελαλησε μετ εμȣ. και επιστρεψας ειδον επτα λυχνιας χρυσας,

12. *Reſpexi igitur, ut viderem vocem, quæ locuta erat mecum. Converſus autem vidi ſeptem Candelabra aurea.*

13. και εν μεσω των επτα λυχνιων ομοιον υιω ανθρωπȣ, ενδεδυμενον ποδηρη, και περιεζωσμενον προς τοις μαστοις ζωνην χρυσην.

13. *Et in medio ſeptem Candelabrorum, quendam ſimilem filio hominis, indutum talari veſte, & præcinctum ad mamillas zona aurea.*

14. η δε κεφαλη αυτȣ και αι τριχες, λευκαι ως εριον λευκον, ως χιων. και οι οφθαλμοι αυτȣ ως φλοξ πυρος.

14. *Caput autem ejus, & capilli erant candidi ut lana alba tanquam nix, & oculi ejus ut flamma ignis.*

15. και οι ποδες αυτȣ ομοιοι χαλκολιβανω, ως εν καμινω πεπυρωμενοι. και η φωνη αυτȣ ως φωνη υδατων πολλων.

15. *Pedes autem ejus ſimiles chalcolibano, velut in fornace excandefacti, & vox ejus ut ſonus aquarum multarum.*

16. και εχων εν τη δεξια αυτȣ χειρι αστερας επτα. και εκ τȣ

16. *Et habebat in dextra ſua ſtellas ſeptem: & ex ore ejus rom-*

Digitized by Google

ϛοματος αυτȣ ρομφαια διϛομος οξεια εκπορευομενη. και η οψις αυτȣ ως ο ηλιος φαινει εν τη δυναμει αυτȣ.

17. Και οτε ειδον αυτον, επεσα προς τȣς ποδας αυτȣ ως νεκρος. και επεθηκε την δεξιαν αυτȣ επ εμε λεγων, Μη φοϐȣ. εγω ειμι ο πρωτος και ο εϛχατος,

18. και ο ζων, και εγενομην νεκρος, και ιδȣ ζων ειμι εις τȣς αιωνας των αιωνων αμην. και εχω τας κλεις τȣ θανατȣ και τȣ αδȣ.

19. Γραψον ȣν α ειδες, και α εισι, και α μελλει γινεσθαι μετα ταυτα.

20. το μυϛηριον των επτα αϛερων ȣς ειδες επι της δεξιας μȣ, και τας επτα λυχνιας τας χρυσας. οι επτα αϛερες, αγγελοι των επτα εκκλησιων εισι. και αι λυχνιαι αι επτα, εκκλησιαι εισι.

romphæa acuta exibat, & aſpectus ejus erat ut ſol lucet in vigore ſuo.

17. *Quum autem vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus veluti mortuus tum impoſuit mihi dextram ſuam, Dicens mihi: Ne metue, Ego ſum Primus & Ultimus.*

18. *Et qui vivo, & fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum. Amen. Et habeo claves inferorum & mortis.*

19. *Scribe quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ poſthac ſunt eventura.*

20. *Myſterium ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextra mea, & ſeptem illa Candelabra aurea. Septem illæ Stellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, & Candelabra illa ſeptem quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ ſunt.*

ANALYSIS vs. 9--20.

JAm ad Viſa ipſa tranſimus, quæ duo a ſe invicem diſparata eſſe liquet, tum ex diverſitate theatri, tum ex eo, quod Cap. IV: 2. nova ecſtaſis commemoratur, ab exſtaſi Cap. I: 10. eatenus ſaltem diſtincta, ut antequam viſum Cap. IV. ſq. fuit adjectum per aliquod ſpatium ad ſe rediiſſe viſus ſit. Hoc tamen nullum præjudicium affert prioris quoque viſi ſenſui prophetico, quia ut coetera argumenta ab aliis allata taceamus, evidens ſit Cap. IV: 1. connexio utriusque viſi inter ſe, quia eadem vox, quam Joannes

nes in primo viſo inſtar tubæ loquentem audiverat, loqui pergit.

Ex tribus hypotheſibus de ſenſu prioris viſi illam adoptamus, quæ ſtatuit revera ſupponendum eſſe ſenſum hiſtoricum 1) quia prophetia hæc formam habet Epiſtolæ ad 7 Eccleſias Aſiæ. 2) quia variæ circumſtantiæ ſingulares ſunt, quæ prius in typo debuerunt veræ eſſe. Sed æque clare convicti ſumus, quod hic non ſit ſubſiſtendum ex argumentis a VITRINGA, DRIESSENIO & aliis allatis. Ad rem hic eſt locus AUGUSTINI de C. D. XVII. 4.

Diſtinctio harum duarum viſionum convenienter ſcopo totius Apocalypſeos ita eſt inſtituenda, ut comprehendat duplex obſtaculorum tam internorum quam externorum genus, per quæ adventus Domini retardabatur, quæque per certos gradus removenda.

Obſtacula interna naſcebantur ex facie Eccleſia intrinſeca quæ, nondum ſatis ſanctificata erat, ut ea adventum Domini glorioſum cenſeri poſſet jure poſtulare poſſe. Nam ſi ſpeciale Epiſtolarum argumentum inſpicitur, liquebit, quod in ſingulis occurrat deſcriptio corruptionis, a qua antea liberanda erat, quam exſpectare Dominum poterat.

Proprium ergo argumentum hujus prioris viſi ſe habet inſtar conſilii, per quod Eccleſia N. T. informatur, quomodo emendationem ſui promovere atque adeo ad feliciora tempora ſe rite præparare debeat.

Theatrum non commemoratur, niſi quod ex Cap. IV: 1. liqueat *non in coelo*, ſed in *terra fuiſſe*, ut ſcias de Eccleſia militanti ſigillatim agi.

Conſideremus Primo viſum præparatorium ad Epiſtolas Cap. I: 9-20. dein ipſas Epiſtolas Cap. II. III. In viſo præparatorio occurrunt

I. Deſcriptio perſonæ Joannis.

A. In ſe vs. 9.

1. Quoad nomen: *Ego Joannes.*

2. Quoad communionem cum ſeptem Eccleſiis.

a. Generalem: *Qui & frater veſter ſum*

b. Specialem inde fluentem: *Et ſocius* non ſolum ejuſdem ſortis tum malæ, tum bonæ, tum præſentis, tum futuræ,

in

in afflictione & in Regno, ſed etiam ejusdem habitudinis & *in patientia Jeſu Chriſti.*

B. Relate ad viſionem, quo reſpicit duplex diſpoſitio.

1 Remotior. *Eram in inſula, quæ vocatur Patmos, propter ſermonem Dei* ſc. prædicatum *& teſtimonium J. C.* ſcriptum.

2. Propinquior vs. 10. *Fui in Spiritu, die Dominico.*

II. Deſcriptio ipſius viſionis vs. 10. m. usque ad vs. 20. illiusque tum prima perceptio tum eventus ſeu ſequelæ.

A. In prima perceptione diſtinguenda audita & viſa.

1. Audita vs. 10. 11. continent.

a. Vocem: *Et audivi pone me vocem magnam inſtar buccinæ*, quæ tamen non diverſa fuit ab ipſo verborum ſono. Sequuntur enim

b. Verba *dicentis*, comprehendentia quaſi duplicem vocem brevi intervallo a ſe ſeparatam.

α. Prior deſcribebat perſonam loquentis: *Ego. &c.*

β. Poſterior addebat mandatum: *Et, quod vides &c.*

2. Viſa vs. 16.

a. Quomodo in illa inciderit vs. 12. *Et converti me ad videndum vocem, quæ locuta erat mecum.*

b. Quid viderit.

α. Candelabra. *Et converſus vidi ſeptem candelabra aurea.*

β. Illuſtrem quandam perſonam, quæ.

א. Generaliter indicatur vs. 13. *Et in medio ſeptem Candelabrorum*, quæ hic nobis videntur tanquam in ſemicirculo poſita in congrua planitie, quæ *ambulationem* Cap. I: 2. permittebat, & ardebant Cap. IV: 5. *ſimilem filio hominis.*

ב. Specialiter deſcribitur.

a. Cujus Dignitas apparet ex veſtitu, indutum *talari veſte* inſtar Sacerdotis *& præcinctum ad mammas Zona aurea*, inſtar Regis.

b. Egregias qualitates depingunt ipſæ corporis glo-

rioſi partes. Illas concipimus tanquam gradatim exſertas

1) In decreto, quo ſpectat ſymbolum capitis & capillorum: *Caput autem ejus & capilli candidi ut lana alba, ut nix*

2) In executione ejus per regimen Eccleſiæ:

a. Generale in quo demonſtrat etiam contra hoſtes & falſa ejus membra

α. Omniſcientiam corda ac renes ſcrutantem. *Et oculi ejus ut flamma ignis*

β. Omnipotentiam tanto gradu ad magnam iram effundendam irretorto pede procedens vs. 15. *Et pedes ejus ſimiles chalco-libano, velut in fornace candefacti*

γ. Majeſtatem cum longanimitate mixtam, qua, antequam puniat, præmittit comminationes & præparationes. *Et vox ejus ut vox aquarum multarum.*

b. Regimen ſpeciale gratioſum ſpectat vera Eccleſiæ membra, quæ triplici beneficio impertitur vs. 16.

α. Conſervationis: *Et habens in dextra ſua manu ſtellas ſeptem*

β. Amplificationis: *Et ex ore ejus romphaa anceps acuta prodiens*

γ. Gratioſæ manifeſtationis: *Et aſpectus ejus, ut Sol ſplendet in vigore ſuo.*

B. Viſum hoc connexum erat quoad Joannem cum duplici eventu vs. 17-20.

1. Perterrefactione vs. 17. *Et quum vidi eum, cecidi ad pedes ejus ut mortuus.*

2. Nova blandaque ejus erectione, quæ continet

a. Confortationem Apoſtoli

α. Per ſignum: *Et impoſuit* &c.

β. Per addita verba conſolantia, quæ habent

א. Præceptum: *Ne metue*

ב. Ejus confirmationem

a. Pe

a. Per repetitionem deſcriptionis antea datæ: *Ego ſum primus & ultimus*

b. Per addita argumenta hujus deſcriptionis, petita

1) Ab ejus Deitate: *Et vivens*

2) A munere ejus mediatorio, cujus perfectionem oſtendit

a) Ex modo, quo eam demonſtraverat, qui

α) Proponitur: *Et fui mortuus & ecce vivens* ſum in *ſecula ſeculorum*.

β) Corroboratur *Amen*

b) Ex fructu *& habeo claves inferni & mortis*.

b. Repetitionem mandati, poſteaquam Joannes ad ſe redierat vs. 19, 20.

α. Cum quadam amplificatione: ita ut natura ſcriptionis ſpecialius edisſeratur vs. 19.

א. Quoad illa, quæ hactenus exhibita erant; *Scribe quæ vidiſti, & quæ* (illa) *ſint i. ſignificent*.

ב. Quoad illa, quæ adhuc in ſq. exhibenda. *Et quæ poſt hæc fient*.

β. Introductionem generalem in myſterium ſequentium Epiſtolarum, quæ fundamentum ſcriptionis earum continet vs. 20. Hic diſtingui poteſt

א. Duplex ænigma, quod ſtatim ab initio Servator explicandum ducit *Myſterium 7 ſtellarum, quas vidiſti in dextra mea & ſeptem candelabra aurea*.

ב. Explicatio ipſa

a. Quoad ſtellas: *Septem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt*

b. Quoad candelabra. Et *ſeptem candelabra quæ vidiſti ſunt 7 Eccleſiæ*.

SCHOLIA.

AD VERS. 9.

Et in patientia J. C.) Nomen J. C. non ſolum ad patientiam, ſed etiam ad *afflictionem* & *regnum* eſt referendum. Nam afflictiones Eccleſiæ ſunt afflictiones ipſius Servatoris Col. I: 24. Eo magis id hic quadrat, quia Joannes, hac prophetia perſonam repræſentavit omnium ſervorum Dei.

In inſula, qua vocatur Patmos) Cum hæc fuerit theatrum in quo viſio apparuit, non putamus illam absque ſuſpicione myſterii negligendam. Emblema ſane elegans eſt Eccleſiæ 1) nomine, quod a Terebinthis, arbore optimæ reſinæ ferace gerit. 2) qualitate, inſula parva, deſerta, in medio mari.

AD VS. 10.

Eram in Spiritu) Per ecſtaſin, quam tamen non continuam fuiſſe, ſed aliquando etiam alternaſſe liquet ex Cap. IV: 1. Εγενομην proprie *fiebam*. Hoc ſaltem *eſſe* diſtinctum a τῳ eſſe in Patmo: contra Hardtium qui ipſum eſſe in Patmo ad ecſtaſin refert. Hoc præludium abreptionis in æternam admirationem.

Die Dominico) Ita Diem primum hebdomadis, inſignitum fuiſſe antiquiſſimi Patres, IGNATIUS Epiſt. ad Magneſios, & MELITO, qui integrum de die Dom. tractatum ſcripſit, docent. Hoc ad ſcopum hujus viſi facit 1) Prima dies mundi, quia creatio myſtica novi coeli & terræ deſcribenda 2) Prima dies N. T. &c.

Inſtar buccinæ.) Nam σαλπιγξ in ſingulari reſpondet conſtanter τῳ שופר. Et σαλπιγγος ſonus præſertim in Apocalypſi ſemper indicat denuntiationem judiciorum Dei, quod proprium emblema eſſe buccinæ Exerc. I. ad Pſ. XLV. docui; eſt quoque locus in V. T. in quo non ſolum σαλπιγγος φωνη שופר cum aſcenſione Meſſiæ conjungitur Pſ. XLVII. 5. ſed etiam ipſi Jehovæ, qui Meſſias eſt, *vox buccinæ* adſcribi-

bitur Zach. IX: 14. Et hic quoque denuntationem judiciorum divinorum deſignari ex collato vs. 15. liquet. Non ſolum ergo excitatoria hæc vox eſt, ſed etiam ſignificativa argumenti & ſcopi.

AD VS. 11.

Primus ille & Ultimus) Titulus ex prophetia hauſtus Jeſ. XLI: 4. XLIV: 6. XLVIII: 12. Sicut abſtractu principium & finis reſpiciunt decretum, ita concreta hæc executionem ejus tam in acquiſitione quam in applicatione ſalutis. Cum hic Titulus ſit ſolius veri, ſummi Dei, uti & res ipſa & loca inſpecta probant, inter fortiſſima Deitatis Filii argumenta hoc numerari poteſt.

Quod vides) Hoc reſpicit ad præſentem viſionem, adeoque diſtinctum eſt a vs. 19. ubi non amplius videt, ſed in præterito vidit, & præter hoc viſum etiam ſequentis viſi ſcribendi mandatum accipit.

AD VS. 12.

Septem Candelabra aurea) Digitus hic intenditur & ad typum Candelabri aurei in ſanctuario & ad Prophetiam Zach. IV. Inæqualitas in eo videtur, quod illic unum candelabrum 7. lucernis inſtructum, Hic 7. candelabra, de quibus dubium an ſingula ſeptem lucernas habuerint. Hoc ſi admittatur, uti alluſio ſuadere videtur, tum ſeptenarius non ſolum 7 diverſos periodos Eccleſiæ ſed etiam ſeptuplicem lucis menſuram exprimit. Eo magis corroboratur, univerſalem Eccleſiam reſpici.

AD VS. 13.

Similem filio hominis) Alluſio eſt ad Dan. VII. 13. uti jam factum vs. 7. ex quo & ſq. Cap. X. pleraque ſymbola ſequentia hauſta ſunt. Novo argumento, cum hoc viſum ſubſtra-

Digitized by Google

tum ſit 7 Epiſtolis, quod illarum ſcopus tam late pateat ac ſcopus harum repræſentationium apud Danielem.

Indutus talari & Zona aurea) Dan. X: 5. Differentia in eo quod in noſtro loco cinctura ad *mammas*, apud Danielem ad *lumbos*. Hoc magis expeditioni, iſtud magnificentiæ. Sacerdos ſummus habebat duo cingula alterum Ephodi ad pectus, alterum ipſum balteum conficiebat. Sed & ipſe balteus adeo latus erat & toties corpus ambibat, ut quamvis pectus ſuperne tangeret, inferne tamen etiam renum & lumborum ſedem appropinquaret. JOSEPH. Ant. III: 8. Confer BRAUNIUM de V. S. II. 3. Confer cingulum Meſſiæ explicatum Jeſ. XI: 3.

AD VS. 14.

Caput & capilli) Clara alluſio ad Dan. VII: 9 ubi eadem ratione deſcribitur *pilus* antiqui dierum. Quidam inde collegerunt illum antiquum dierum eſſe ipſum Filium Dei. Sed non obſervant, in Apocalypſi duo Emblemata diverſarum perſonarum in una conjungi, ut oſtendatur illum qui hic comparet ut Filius Hominis, eſſe æqualem Antiquo dierum. *Caput* hic nobis deſignat ſapientiam, *capilli* conſilia & decreta inde prodeuntia.

Candidi Sicut lana candida ut nix) ſecundum hanc interſtinctionem ſimile *nivis* non proxime pertinet ad capillum, ſed ad illuſtrationem ſimilitudinis *lanæ* ut nempe ejus puritas & candor ulterius illuſtretur. Nix enim cum capillis, nonniſi quoad candorem conferri poteſt, qui per lanam candidam jam depictus erat. Quare inſinuatur hic intelligi *lanam* tantæ puritatis, ut ſimul *nivis* candorem & ſplendorem haberet, quod in lana extraordinarium. Cæterum *lana* in ſe de capillo prædicata criſpum ipſum crinem nec non robur naturæ deſignat, adeoque hic depingit decretorum multiplicium ſibi invicem pulcherrime innexum Ordinem cum ſufficientia in effectum ea deducendi junctum. *Capillus* autem *albus*, quin rutilans inſtar nivis, tum æternitatem tum ſanctitatem reſpicit.

AD

Digitized by Google

AD VS. 15.

Chalcolibano) Facio cum iis, qui pro voce hybrida *chalcolibanum* habent, deſignante hoc vocabulo, æs lucidiſſimum & candens, compoſita ex χαλκος æs &, Hebr. לבן quod deſignat in igne aliquid candefacere. Sic convenit 1. quod additur, *velut in fornace candefacti*. 2. Dan. X: 6. *Pedes ejus, ut aſpectus æris candentis*. 3. Et I: 27. *Et vidi tanquam* חשמל, *ut aſpectum ignis* &c. quod eſſe χαλκοχρυσιον veterum, ſeu æs in Indis adeo lucidum & purum & caliginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur, LUDOVICI ſingulari diſſert. probavit, Unde derivandum docet a נחש & מלל quod *aurum* deſignat. Apud Ezech. hæc forma toti corpori tribuitur, apud Danielem brachiis & pedibus, qui corpus cum gemma *Tarſis* confert, quam itidem auri rutilantis colorem habere BRAUNIUS demonſtravit. Colludit proculdubio hæc forma cum illa, qua in columna nubis & ignis a Moſe viſus eſt.

Vox aquarum multarum) in iis nempe antea locutus erat. Nam deinceps ſolantia & ſuavia verba adhibuit. Coincidit hoc emblema cum emblemate buccinæ, quæ itidem vox eſt horrorem incutiens. Daniel habet *ut vox turbæ*, quod coincidit. Nam *aquæ multæ* exercituum & populorum etiam in Apocalypſi ſymbolum ſunt.

AD VS. 16.

Stellas ſeptem) Seu flammulas ſtellarum inſtar manui inſidentes.

Aſpectus ut Sol) De vultu id intelligendum. Confer Matth. XVII: 2. Hujus gloriæ inſtar in typo oſtendit Moſes Mediator V. T. Exod. XXXIV. Myſterium oſtendit Paulus Hebr. I: 2.

AD VS. 18.

Claves inferni & mortis) Hebræos שאל & Græcos αδην pinge-

gere ut *domum*, WINDETUS de vita ſunct. ſtat. c. 4. demonſtrat. Hic notandum apud Prophetas hoc ſingulare eſſe ſymbolum Imperii Romani tam Pagani quam Antichriſtiani, quod cum maximam remoram felicitati Eccleſiæ per tot ſeculorum decurſum eſſet injecturum, nervoſe hac phraſi indicatur poteſtas Chriſti in hunc capitalem hoſtem, cujus abolitionem per gradus tota Apocalypſis deſcribit. Cæterum *infernus* maxime ad internas animæ anguſtias, *mors* ad externas paſſiones ſpectat, quæ Eccleſiæ ab hoc Regno, quod Satanas contra Chriſti Regnum erectum ibat, exſpectandæ erant.

V S. 19.

Scribe, quæ vidiſti) Verba hujus commatis præjudicium formant pro iis, qui partem Apocalypſeos volunt, ut præteritam recipere. Sed falluntur. Nam 1. *quæ vidiſti* hic non deſignat, quæ facta ſunt, ſed quæ modo in viſione prophetica tibi fuerunt exhibita, 2. contrarium vs. 1. erat indicatum, ἃ δεῖ γενέσθαι. Quare, *quæ vidiſti* hic comprehendit illam repræſentationem Filii Dei, quæ ei erat exhibita una cum 7 *lucernis*. Et notandum eſt, quod tum hoc clare habendum ſit pro iteratione mandati vs. 11. illic præſens, hic præteritum exhibeatur. Non enim amplius *illa videbat*, Joannes; poſteaquam terrore correptus erat, evanuerant. Sed tamen ſcribenda erant. Sed nunc duo alia ſcribenda præterea injungit. 1. *Quæ ſint* ie. ſignificent, quo non ſolum vs. 20. ſed etiam, Cap. II. & III. pertinet. 2. Addit, *& quæ fient poſthac*. Καὶ hic eſt aut exegeticum, aut copulativum. Si poſterius, tum intelliguntur viſiones ſequentis ſcenæ Cap. IV. & deinceps; ſi prius, tum vertendum per *ſcilicet*, *nimirum*, q. d. ſcribe etiam quid viſa ſignificent, nempe, quæ poſthac fient. Abunde hanc notionem τοῦ καὶ explanavit NOLDIUS Concord. de part. 1. num. 19. & 38. Inſpice tantum Joh. X: 12. 33. Hic phraſis recurrit Apoc. IV: 1.

EPI-

EPISTOLÆ SEPTEM.

CAP. II: vs. 1-7.

1. Τω αγγελω της εν εφεσω εκκλη-
σιας γραψον, Ταδε λεγει ο κρα-
των τȣς επτα αςερας εν τη δεξια
αυτȣ, ο περιπατων εν μεσω των
επτα λυχνιων των χρυσων.
2. Οιδα τα εργα σȣ, και τον κοπον
και την υπομονην σȣ, και οτι ȣ
δυνη βαςασαι κακȣς, και επει-
ρασας τȣς λεγοντας εαυτȣς απο-
ςολȣς ειναι και ȣκ εισι, και ευρες
αυτȣς ψευδεις,
3. Και υπομονην εχεις, και εβαςα-
σας δια το ονομα μȣ, και ȣ κε-
κοπιακας.
4. Αλλ εχω κατα σȣ, οτι την αγα-
πην σȣ την πρωτην αφηκας.
5. Μνημονευε ȣν ποθεν εκπεπτω-
κας, και μετανοησον, και τα
πρωτα εργα ποιησον. ει δε μη,
ερχομαι σοι ταχει, και κινησω
την λυχνιαν σȣ εκ τȣ τοπȣ αυτης,
εαν μη μετανοησης.
6. Αλλα τȣτο εχεις, οτι μισεις τα
εργα των νικολαϊτων, α καγω
μισω.
7. Ο εχων ȣς ακȣσατω τι το πνευ-
μα λεγει ταις εκκλησιαις. Τω
νικωντι δωσω αυτω φαγειν εκ τȣ
ξυλȣ της ζωης, ο εςιν εν τω πα-
ραδεισω τȣ θεȣ μȣ.

1. *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcri-
be: Hæc dicit, qui tenet ſep-
tem illas ſtellas in dextra ſua.
Qui ambulat inter ſeptem illa
candelabra aurea.*
2. *Novi opera tua & laborem
tuum & patientiam tuam, &
quod nequeas ferre malos, &
exploraris eos qui ſe dicunt
Apoſtolos eſſe, & non ſunt, &
comperiſti eos eſſe mendaces*
3. *Et tuliſti & patientiam habes,
& propter nomen meum labo-
raſti, & non es deſatigatus.*
4. *Sed habeo adverſum te, quod
charitatem tuam primam reli-
quiſti.*
5. *Recordare itaque unde excide-
ris, & reſipiſce, & prima ope-
ra fac. ſin minus, venio tibi
citò & movebo candelabrum
tuum ex loco ſuo, ſi non egeris
poenitentiam*
6. *Sed hoc habes, quod odiſti fa-
cta Nicolaitarum: quæ & ego
odi.*
7. *Qui habet aurem audiat, quid
Spiritus dicat Eccleſiis. Vin-
centi dabo edere, ex arbore illa
vitæ, quæ eſt in medio Para-
diſi Dei.*

Digitized by Google

ANALYSIS. Cap. II. vs. 1-7.

Sequuntur jam Epiſtolæ ipſæ comprehendentes admonitionem de internis impedimentis adventus Chriſti, conjunctam cum præſcriptione mediorum, quibus illa poterant tolli. Impedimenta hæc variam involvunt ſucceſſivam Eccleſiæ corruptionem, per quam & ejus indignitas & curæ Chriſti fidelitas pateſcit.

In ſingulis Epiſtolis, quæ æqualem plane rerum ordinem oſtendunt, occurrit & indicium perſonæ, & epiſtola ipſa. Sic in prima

I. Mandatum ſcribendi cum Perſona, ad quam, indicatur vs. 1. *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe.*

II. Epiſtola ipſa, in qua diſtinguenda.

A. Præfatio authoritatem loquentis edocens: *Hæc dicit, qui tenet 7 illa aſtra in dextra ſua, qui ambulat &c.*

B. Tractatio continens

1. Deſcriptionem ſtatus in quo Eccleſia erat vs. 2. 3. 4.

a. Quoad faciem meliorem, vs. 2. 3. ubi eſt.

α. Generalis ejus propoſitio: *Novi opera tua*, eaque tam activa: *Et laborem tuum*, quam paſſiva, & *patientiam tuam* ſeu patientem tuam exſpectationem.

β. Specialis ejus deductio, exhibens ſingularia tam laboris, quam patientiæ ſpecimina duplicia

א. Relate ad ſtatum internum Eccleſiæ ubi ſpecimen certum

a. Generatim exhibetur: *Et*, ſeu ſcilicet, *quod nequeas ferre malos*

b. Exemplum aliquod præcipuum ſiſtitur laboris ad Eccleſiam a malis purgandam impenſi: *Et exploraris eos, qui dicunt ſe eſſe Apoſtolos & non ſunt.* Qui labor ſucceſſu non caruit, unde additur: *Et comperiſti eos mendaces.*

ב. Relate ad ſtatum externum vs. 3.

a. Ad

a. Ad perſecutiones tam præteritas quam adhuc præſentes: *Et tuliſti & patientiam habes*

b. Ad propagationem Eccleſiæ iterum tam præterlapſo tempore promotam, *Et propter nomen meum laboraſti*, quam etiamnum promovendam: *Et non es defatigatus*.

b. Quoad faciem deteriorem vs. 4. *Sed habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti*.

2. Inſtructionem huic ſtatui convenientem, in qua

a. Commendantur officia obſervanda vs. 5. 6.

α. Quoad faciem deteriorem, ejus emendatio, quæ

א. Præcipitur: *Memento* &c.

ב. Urgetur ſevera comminatione: *Sin minus, venio tibi cito* &c.

β. Quoad faciem meliorem, ejus conſervatio atque in eo continuatio, ubi habetur

א. Officii laudatio: *Sed hoc habes, quod odiſti opera Nicolaitarum*.

ב. Inculcatio: *qua & ego odi*.

b. Argumenta adduntur deſumta ab excellenti promiſſione

α. Præfatio. *Qui habet aurem* &c.

β. Res ipſa: *vincenti dabo &c*:

SCHOLIA.

AD VERS. 1.

Angelo) Id eſt, in typo, Epiſcopo, in antitypo, omnibus moderatoribus Eccleſiæ, ad quorum exemplum membra ſolent formari, a quorum negligentia labes Eccleſiæ dependet, quique ejus purgationi manus primi ad movere debent; Eundem tamen repræſentare totam Eccleſiam patet ex eo, quod in fine ſingularum epiſtolarum. Eccleſiæ excitentur. Cumque in Eccleſia externa mixti ſemper ſint boni & mali, bonorum proprie inſtructio occurrit, etiam Sardicenſi & Laodicenſi non exceptis. De reliquis res plana eſt.

Digitized by Google

Eccleſiæ Epheſinæ) Nimis protrahunt prophetiam, qui ut æquales ſeptem periodos inveniant, ad A. usque 394. eam extendunt. Nam ex Apoſtolorum mentione vs. 2. videmus, quod adhuc verſetur in ſeculo Apoſtolico. Neque 2. paſſiones adhuc perſiſtentes vs. 3. conveniunt temporibus CONSTANTINI & THEODOSII. Accedit 3) Imago Eccleſiæ Smyrnenſis ad priora tempora pertinens. Nimis retrahunt, qui cum HORCHIO remiſſionem a priſtino amore ante tempora perſecutionis Neronianæ locant, tum, quia hoc pacto nullum ſupereſſet ſpatium ipſius amoris exemplaris, a quo deinceps defecit, tum, quia tunc nondum locum habuere tot exantlati labores & paſſiones. Scena ergo proprie ſpectat ad tempus, in quo tum degebat Joannes & quod proxime ſecuturum usque ad exitum ſeculi III. Primas partes habet hæc Eccleſia, quia 1. Apoſtoli habitaculum 2. prima forte ex Eccleſiis Aſiæ, quæ ſemine veritatis Euangelicæ admiſit, quæ Paulus illic jam invenit in diſcipulis Joannis Baptiſtæ Act. XIX: 1. 3. præ aliis eminuit amplitudine.

Qui tenet 7 ſtellas) Primæ Epiſtolæ recte præfigitur titulus ad hanc & omnes ſq. pertinens. Querimoniæ *de amore remiſſo* convenit deſcriptio *amoris ſummi* in Domino.

AD VS. 2.

Qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe) Non ſunt hi iidem cum malis. Κακοι eſt nomen generale quorumcunque hæreticorum, peccatorum, qui per exercitium diſciplinæ coërcentur, ſingularis autem horum κακων ſpecies ſunt illi, qui *ſe dicunt Apoſtolos eſſe*. Quod Epheſus ſecundum literam confligendum habuerit cum talibus lupis liquet ex Act. XX: 29. 30. De duplici hominum genere id poteſt aſſeri, de illis qui authoritatem Apoſtolicam prætendebant, Diotrephe, præcurſoribus Antichriſti, Victore Epiſcopo Romano &c. 2) de illis, qui doctrinam afferunt novam, Hæreſiarchis, quales ſigillatim erant Gnoſtici, ſequentes veſtigia eorum, qui 2 Cor. XI: 13. notantur.

Comperiſti eos eſſe mendaces) Exemplo eſſe poſſunt Polycarpus, Ire-

Digitized by Google

Irenæus, Polycrates Epiſcopus Epheſinus, aliique ſecundi ævi Viri Apoſtolici, ore & ſcriptis hæreſes configentes & prætenſionibus Romani Epiſcopi obviam euntes.

AD VS. 3.

Tuliſti) ſub Nerone.

Patientiam habes) ſub Domitiano, Trajano, Severo. &c.

Laboraſti) in converſione Judæorum & gentium ante tempora Trajani, inter quas plerique Apoſtoli uſque ad mortem perſeverant.

Non es defatigatus) Porro promovens opus converſionis per Viros Apoſtolicos.

AD VS. 4.

Charitatem tuam primam) Quantum in ea eminuerit Eccleſia Epheſina, hiſtoria Pauli docet, & teſtimonium Eph. I: 15. Illa II. ſq. hic Symbolum eſt Caritatis Eccleſiæ primitivæ, quæ Act. cap. II. & ſeqq. deſcribitur.

Reliqueris) Nempe per torporem, qui tum poſt tempora Neronis ſubrepſit, & per quem neglexerunt converſionem gentium ulterius promovere, quia inter ſe coeperunt altercari vid. CLEM. ROM. Epiſt. I. ad Corinth. ac laxare frena diſciplinæ ac priſtinæ circa mores ακριβειας & ſeveritatis. Conf. CLEMENS ALEX. in pædagogo.

AD VS. 5.

Reſipiſce) Non tam generatim de primo reſipiſcentiæ actu, quam ſpeciatim de emendatione nævi notati id intelligendum.

Et prima opera fac) Ita in emphaſi appellantur opera paradiſiaca, quæ eo magis in promptu eſſet hic intelligere quia poſtulatum hoc mox promiſſione paradiſiaca obſignatur. Cæterum proxime reſpiciuntur opera prima Eccleſiæ Chriſtianæ, ſigil-

gillatim Hieroſolymitanæ Apoſtolicæ, quam Deus in matrem totus Eccleſiæ N. T. poſuit, cujus imaginem ſequentes portare debent, cujus ſplendor Apoc. XII: 1. ſq. pingitur Confer Cant. I: 8.

Venio tibi cito) ſub Decio, ſub quo ſubito florentiſſimus externæ Eccleſiæ ſtatus in triſtiſſimum eſt mutatus. Candelabrum potiſſimum in Africa & Ægypto tum concuſſum, quæ maxime Gnoſticorum falſis doctrinis commaculata.

AD VS. 6.

Opera Nicolaitarum) fuiſſe Nicolaitas verè ita dictos, atque ſigillatim illos Epheſi ſubſtitiſſe, homines circa matrimonium & illicitos amores nimis indulgentes facile concedi poteſt. Eosdem tamen puto hic typum gerere totius ſectæ Gnoſticorum, præcipue Valentinianorum, Marcionitarum & aliorum. Ad illos etiam nomen *Nicolaitarum* poteſt referri, quia ex cupidine dominandi in illa errorum monſtra incidebant. Non tamen eosdem putem cum doctrinæ Bileamiticæ aſſertoribus.

AD VS. 7.

Qui habet aurem) Non referimus hæc verba ad totam præcedentem Epiſtolam, ſed ad præfationem ſequentis promiſſionis. In omnibus enim Epiſtolis cum illa promiſſione ſimul conjuncta ſunt.

Qua Spiritus loquitur) i. quæ Spiritus prophetiæ promittit.

Eccleſiis) Non unius temporis ſed omnium temporum, quamvis ad ſingulorum temporum fidei excitationem pertineant.

Vincenti dabo) Notandum, quod pleræque promiſſiones, quibus Epiſtolæ clauduntur, deſumtæ ſunt ex deſcriptione felicitatis ultimorum temporum, quæ in ultimis capp. hujus libri occurrunt. Sic prima clare reſpicit Cap. XXII. initium. Quare tantundem eſt, ac ſi diceretur, licet victori non attingere daretur glorioſum illum adventum, pro ſuo tamen modulo eum myſtice eſſe participaturum de eadem felicitate, idque non ſolum in coelo, ſed enim certa ratione in terra.

Qua

Digitized by Google

Quæ eſt in medio paradiſi Dei) Cum in fine hujus libri paradiſus & lignum vitæ de eccleſia militante uſurpetur, hic quoque reſpectus ad Eccleſiam militantem non eſt prorſus excludendus. Cum quoque lignum vitæ & paradiſus occurrant in nova Hieroſolyma, quæ utique ad Eccleſiam militantem eſt referenda, notandum eſt, quod nova Hieroſolyma jam revera exſtet, ex quo Filius thronum coeleſtem occupavit, quamvis ultimis temporibus ſit deſcenſura, id eſt, manifeſtanda. Hinc in præſenti tempore ο εϛιν εν μεσω τȣ παραδεισȣ. Denotatur ergo fruitio fructuum obedientiæ Chriſti, in communione cum Eccleſia generali in coeleſtem ſtatum cum Chriſto tranſlata, quæ initialiter in terris, plene in coelo victori concedetur.

Vincenti hoc promittitur cum alluſione ad convivia quæ victoribus apparari ſolita, quorum exemplum eſt Abrahamus ex pugna rediens. Ad omnes fideles omnium temporum pertinet. Eleganter tamen cum primo tempore connectitur promiſſio ad ultimam gloriam Eccleſiæ ſpectans.

Sed & nervoſe ei, qui ad priſtinum exercitium amoris redit reſtitutio in integrum quoad ſtatum addicitur.

NACHMANIDES & ABARBANEL apud GRELLOTUM Tempore Meſſiæ reſtituendum eſſe hominem in eum ſtatum, in quo erat, ante quam primus homo peccaverat obſervant.

EPISTOLA SECUNDA
Smyrnenſibus *inſcripta* CAP. II. vs. 8-11.

8. Και τω αγγελω της εν σμυρνη εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο πρωτος και ο εσχατος, ος εγενετο νεκρος και εζησεν.

8. *Angelo vero Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe: Hæc dicit Primus & Ultimus, qui fuit mortuus & vixit.*

9. Οιδα σȣ την θλιψιν και την πτωχειαν, αλλα πλȣσιος ει. και την βλασφημιαν εκ των λεγοντων ιȣδαιȣς ειναι εαυτȣς, και ȣκ εισιν, αλλα συναγωγη τȣ σατανα.

9. *Novi opera tua, & afflictionem, & paupertatem (ſed dives es) & blaſphemiam eorum qui ſe dicunt Judæos eſſe & non ſunt, ſed ſynagoga Satanæ.*

10. *Ni-*

10. Μηδεν φοβȣ ἁ μελλεις πασχειν. ιδȣ μελλει βαλειν εξ υμων ο διαβολος εις φυλακην, ινα πειρασθητε. και εξετε θλιψιν ημερας δεκα. γινȣ πιςος αχρι θανατȣ, και δωσω σοι τον ςεφανον της ζωης.

11. Ο εχων ȣς ακȣσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις. Ο νικων ȣ μη αδικηθη εκ τȣ θανατȣ τȣ δευτερȣ.

10. *Nihil metue, quæ paſſurus es. Ecce futurum eſt ut Diabolus quoſdam ex vobis conjiciat in Carcerem, ut tentemini: & habebitis afflictionem dierum decem, eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

11. *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Qui vicerit, nequaquam lædetur à morte ſecunda.*

ANALYSIS Cap. II. vs. 8-11.

I. Mandatum ſcribendi: *Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæorum ſcribe.*

II. Epiſtola ipſa

A. Præfatio &c. *Hæc dicit primus & ultimus, qui erat mortuus & revixit.*

B. Tractatio vs. 9-11.

1. Deſcriptio ſtatus vs. 9.

a. Quoad partem meliorem: *Novi opera tua &c.*

b. Quoad deteriorem: *Et blaſphemiam dicentium ſe Judæos eſſe & non ſunt, ſed Synagoga Satanæ*

2. Inſtructio ei ſtatui conveniens

a. Præmunitio contra inſtantes paſſiones, ubi duplex officium commendatur

α. Fides contra timorem; quæ

א. Proponitur: *Nihil metue quæ paſſurus* &c.

ב. Confirmatur per afflictionum illarum penitiorem conſiderationem. Duplices illæ futuræ

a. Prior non ad omnes ſed ad quoſdam tantum pertinere debebat, & in ſalutarem uſum coeterorum vergere: *Ecce, Diabolus conjecturus erit quoſdam ex vobis in carcerem, ut tentemini.*

b. Po-

b. Poſterior quidem univerſalior ſed propter brevitatem minus timenda. *Et habebitis afflictionem 10 dierum*

β. Excitatio ad conſtantiam, quæ

א. Proponitur *Eſto* &c.

ב. Urgetur: *Et dabo tibi.*

b. Epiphonema generale iterum deſumtum ab &c.

SCHOLIA.
VS. 8.

Eccleſia Smyrnaeorum) Utique referendam hanc EPISTOLAM puto ad tempora, quæ uſque ad CONSTANTINUM MAGNUM fluxere

Primus & ultimus) Hujus tituli illuſtratio utique in ſtatim ſequentibus occurrit, ſed alia ratione, ac paſſim interpretes, concipienda. *Primum* ſe eſſe Chriſtum demonſtravit *morte ſua*, qui tanquam primus ſuſceptor vadimonii auſus eſt adoriri eum qui poteſtatem mortis habet. *Ultimus* ut victor mortis ſuper pulverem ſtabit. Et veluti ſic fuit primus & ultimus in acquiſitione ſalutis ita etiam in applicatione: *primus* dum ad communionem mortis ſecum vocat, & *ultimus* dum etiam conſortes vitæ ſuæ in gratia & gloria facit. Quod quam egregie ad argumentum Epiſtolæ pertineat facile animadvertitur. Forte quoque *primum* ſe nominans alludit ad ſuperbum Smyrnæ titulum, quæ in monumentis veterum vocatur *prima* Aſiæ, quin in Marmore Arundelliano p. 47. prima per Aſiam pulchritudine & magnitudine, & ſplendidiſſima, & metropolis Aſiæ &c.

AD VS. 9.

Afflictionem) Sub Severo & Decio, ſub qua prima perſecutio generalis editaque publico Imperatoris munitu orbem pervaſit.

Et paupertatem) Hanc invexit præcipue Deciana perſecutione cum, teſte Dionyſio Alexandrino apud Euſeb. VI. 36. & maxima eorum fuit multitudo, qui in ſolitudine & montibus vagi, errantes-

que fame, ſiti, frigore, morbis, latronibus, beſtiis fuere extincti. Hinc prima vitæ Anachoreticæ initia a Decii temporibus repetuntur.

Tum plerique Patres ſancti cum tale viderent
Excidium, fugere urbes & more ferarum
Per deſerta vagi cæcis latuere cavernis.

Ita MANTUANUS in vita BLASII lib. 1. ex SOZOM. I: 13. Hos inter eminuit Gregorius Thaumaturgus, Paulus Tebhæus.

Dives es) in oppoſitione divitiarum Smyrnæ.

Judæos eſſe & non ſunt) Non intellexerim hoc de propriis Judæis, ſed de eorum veſtigia prementibus, qui volebant *confeſſores* eſſe: quibus dum *blaſphemia* adſcribitur, & Synagoga ſecundum emphaſin hujus vocis non mera culumnia ſed doctrina impia deſignatur contra Filium Dei. Quoniam autem illa blaſphemia Judæis omni tempore communis eſt, hinc nulla ratio ad hanc periodum adſtringendi. Putem ergo eo reſpici, quod Seculo præcipue tertio ortum cæperint imperii illi hæretici Arianorum præcurſores, qui blaſpheme aperto Marte Judæorum veſtigia prementes Deitatem Filii oppugnare inceperunt, quales fuere THEODOTUS, ARTEMON & ſigillatim PAULUS SAMOSATENUS qui in Zenobiæ Imperatricis, Judaiſmo faventis, gratiam, Chriſtum eſſe merum hominem docuit.

A D V S. 10.

Quæ paſſurus es) ſub Diocletiano.

Quosdam conjiciet in carcerem) Non intellexerim de veris confeſſoribus, tum quia diſtinguuntur ab iis, qui ea propter tentandi, qui ſunt vera membra Eccleſiæ, tum quia phraſis conjectionis in carcerem proprie ſumta nimis mollis eſt pro perſecutionis atrocitate. Deſignantur ergo externi confeſſores in vincula Diaboli per apoſtaſiam a veritate redigendi. Hinc lapſorum tota agmina, de quibus extant frequentes querelæ DIONYSII ALEX. EUSEB. VI: 41. & CYPRIANI, qui in-

inter alia libro de lapſis: *Ad prima ſtatim verba minantis inimici maximus patrum numerus fidem ſuam prodidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſe ipſe proſtravit.* IDEM in ſequentibus addit cauſſam, amorem divitiarum, verbis, quæ cum hac prophetia egregie colludunt: *Decepit multos patrimonii ſui amor coecus: nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultatis ſuæ velis compedes ligaverunt. Illa fuerunt, remanentibus vincula, illa catena, quibus & virtus retardata eſt & fides preſſa & mens vincta & anima præcluſa, ut ſerpenti, terram ſecundum Dei ſententiam devoranti præda & cibus fierent.* Hæc vera erat fidelium tentatio

Habebitis afflictionem 10. *dierum*) Non poteſt hoc de alia, quam de decennali Diocletiani perſecutione intelligi, quia decem hi dies ut futuri conſiderantur, unde perſecutionis præcedentis nulla haberi poteſt ratio.

Coronam vitæ) Oppoſitam coronis, quæ in ludis publicis metropolis hujus Aſiæ dabantur.

A morte ſecunda) Judæis hanc phraſin deſignare conſtanter exitium futuræ vitæ GRELLOTUS & alii monſtraverunt, a qua notione temere non eſt recedendum. Specialius tamen aliquid hic innui patet ex coll. Apoc. XX: 14. ubi *mors ſecunda* explicatur de ſtagno ignis, in quem Infernus & mors ſunt conjecti. Graphice *mors ſecunda* dicitur, qua mors prima eſt ſublata. Cum autem ad Cap. I: 18. ſit monitum *mortem* eſſe emblema Imperii Romani perſequentis Eccleſiam, conjectio in ſtagnum ignis pænas θεηλάτυς deſignat, quibus perſecutores tollendi. Ab his fideles nihil timendum habent, quia non ſolum non peribunt in talibus judiciis, ſed etiam quia talia judicia medium ſunt, per quod plena Eccleſiæ libertas & gloria prormovebitur. Sed & *mors ſecunda* æque ac *prima* ut perſona conſideratur ipſe quæ eſt Satanas, Angelus mortis. Sic è diametro ſors fidelium confeſſorum, hypocriticorum ſorti eſt oppoſita.

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA Pergamenis *inſcripta* CAP. II: vs. 12-17.

12. Και τω αγγελω της εν περγαμω εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο εχων την ρομφαιαν την διστομον την οξειαν.

12. *Et Angelo Eccleſiæ, quæ eſt Pergami, ſcribe: Hæc dicit, qui habet gladium illum ancipitem, acutum illum.*

13. Οιδα που κατοικεις, οπου ο θρονος του σατανα, και κρατεις το ονομα μου, και ουκ ηρνησω την πιςιν μου εν ταις ημεραις εν αις αντιπας ο μαρτυς μου ο πιςος, ος απεκτανθη παρ υμιν, οπου ο σατανας κατοικει.

13. *Novi opera tua, & ubi habites, ubi eſt thronus Satanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam, & iis etiam diebus, quibus extitit Antipas teſtis ille meus fidelis, qui necatus eſt apud Vos, ubi habitat Satanas.*

14. Αλλ εχω κατα σου ολιγα, οτι εχεις εκει κρατουντας την διδαχην Βαλααμ, ος εδιδασκεν τω βαλακ βαλειν σκανδαλον ενωπιον των υιων ισραηλ, φαγειν ειδωλοθυτα και πορνευσαι.

14. *Sed habeo adverſus te pauca, quod habeas iſthic, qui teneant doctrinam Balami, qui docebat Balakum objicere ſcandalum filiis Iſrael, ut ederent ex iis, quæ idolis erant immolata, & fornicarentur*

15. Ουτως εχεις και συ κρατουντας την διδαχην των νικολαιτων, ο μισω.

15. *Sic habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi.*

16. Μετανοησον ουν. ει δε μη, ερχομαι σοι ταχυ, και πολεμησω μετ αυτων εν τη ρομφαια του ςοματος μου.

16. *Reſipiſce: ſin minus, ſuperveniam tibi cito, & bellum cum iis geram gladio oris mei.*

17. Ο εχων ους ακουσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις. Τω νικωντι δωσω αυτω το μαννα το κεκρυμμενου, και δωσω αυτω ψηφον λευκην, και επι την ψηφον ονομα καινον γεγραμμενον, ο ουδεις οιδεν ει μη ο λαμβανων.

17. *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Et qui vicerit dabo edere de Manna illo occultato, & dabo ei calculum album, & in calculo illo Nomen novum ſcriptum, quod nemo intelligit, niſi qui accipit.*

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS Cap. II. vs. 12-17.

I. Mandatum ſcribendi vs. 12. init.
II. Epiſtola ipſa
A. Præfatio vs. 12.
B. Tractatio vs. 13-17.
1. Deſcriptio ſtatus vs. 13-15.
a. Melioris vs. 13.
α. Generalis. *Novi opera tua*
β. Specialis quoad luctam: ubi
א. Locus luctæ: *Et ubi habites, ubi thronus eſt Satanæ.*
ב. Luctæ modus
a. Fortitudo: *Et tenes nomen meum*
b. Conſtantia, quæ
1) Deſcribitur: *Et non negaſti fidem meam*
2) Exaggeratur per circumſtantiam temporis ſingularem: *Etiam in iis diebus, in quibus Antipas (erat) teſtis meus fidelis, qui necatus eſt apud eos, ubi habitat Satanas.*
b. Deterioris vs. 14. 15.
a. Præfatio vs. 14. init. *Sed habeo adverſus te pauca*
b. Duplex crimen
α. Quod foveant doctrinam Balaamiticam. *quod habeas illic &c.*
β. Quod patientes ſint Doctrinæ Nicolaitarum vs. 15.
2. Inſtructio conveniens ſtatui.
a. Per ſeriam hortationem vs. 16. quæ
α. Proponitur vs. 16. *Reſipiſce*
β. Fulcitur comminatione. *Sin minus &c.*
b. Per generale epiphonema vs. 17. &c. quo continetur. Duplex promiſſio
α. Quoad victores Baalitarum *Dabo de Manna &c.*
β. Quoad victores Nicolaitarum *& Dabo calculum &c.*

Digitized by Google

SCHOLIA AD. VS. 12.

Eccleſia, quæ eſt Pergamis) Non cenſemus quod illa poſſit eſſe typus Eccleſiæ Alexandrinæ, ut VITRINGA cenſuit. Illa enim ætate, ad quam eam refert, luculentam præ aliis provinciis ſedem in Ægypto habuit Eccleſia Chriſtiana, ut nimis durum ſit in præſentia de ea prædicari *thronum Satanæ*, clare oſtendit CORNEL. ADAMI in Exercit. Exegeticis p. 61. ſq. Potior ergo eſt eorum ſententia, qui in illa imaginem reperiunt Eccleſiæ Romanæ poſt Gregorii Magni tempora in Antichriſtianiſmum prolapſa. Id evincit 1) emblema *throni Satanæ* figurate de Roma uſurpatum Apoc. XIII: 2. qui a Dracone beſtiæ datus dein etiam thronus beſtiæ dicitur Apoc. XVI: 10. 2) Convenientia typi. Nam Pergamus *a*) ejuſdem cum Roma fuit originis, quia conditor ejus Telephus de quo SPANH. de numm. diſſ. 8. maternum genus a Trojanis traxit, unde & nomen ſuum a Pergamis Trojanorum arce traxit. *b*) Nomen Pergama omnibus editis arcibus commune fuit *c*) Regnum Pergamenorum ſub Attalicis Regibus fuit ſplendidum, divitiis & externa felicitate affluens, idololatriæ Regno Chriſti contrariæ ſedes.

Gladium illum acutum) Hoc oſtendit, agi de Regno, Chriſti Regno contrario, in cujus exciſione eodem halitu conſpicitur Apoc. XIX: 15. 21.

AD. VS. 13.

Thronus Satanæ) Quæ ad Literam illuſtrandam faciunt, præter ADAMUM loc. cit. ROSSALLUS & HASÆUS dabunt Bibl. Brem. Cl. III. p. 93. ſq. p. 104. ſq. Ille in præſentia eſſe in Pergamo Myſtica incepit, ex quo Bonifacius III. a Phoca obtinuit titulum Epiſcopi univerſalis A. 606.

Tenes nomen meum) Per defenſionem fortem Deitatis Chriſti contra Arianos & muneris mediatorii contra Pelagianos.

Non

Non negaſti fidem meam) In præcedentibus nempe graviſſimis perſecutionibus per Vandalos ac Gothos Arianas partes ſequentes excitatis. Confer, quæ de pulchritudine primitiva Eccleſiæ Romanæ Ezech. XXVIII: 12. ſq. occurrunt.

Antipas) Hoc non refero ad teſtes ſub Papatu, quia de ejus Martyrio in tempore præcedenti, antequam Pergamus evaſit thronus Satanæ agitur. Hactenus ergo cum VITRINGA intelligo Homouſianos, niſi quod non opus ſit reſtringere ad teſtes Alexandrinos cum in ipſa Italia, Africa aliiſque regionibus denſata fuerint orthodoxorum funera: ſi Antipas nomen eſt myſticum, tum deſignare poterit idem ac *Patris loco*, quaſi decurtata ex Antipater. Aut idem erit ac Αντιπαις *Filii loco.* Utrumque convenit in eos, qui gloriam Filii & a Patre dilecti & Patri æqualis defenderunt.

AD VS. 14.

Pauca) Non pondere ſed numero ſeu brevibus expedienda.

Habes) Toleras, pro membris agnoſcis.

Doctrinam Balaami) Qui typus Antichriſti, tum nomine, quod deſignat dominantem populo, tum prætenſo Spiritu prophetiæ & infallibilitatis, tum odio contra Iſraëlitas, tum hypocriſi, tum amore mercedis, tum ſpeciatim conſilio, quod ſubjungitur.

Idolothyta) Sacrificium Miſſaticum.

Fornicari) Dum a Chriſto ad prætenſum ejus vicarium Eccleſia ſeducitur. Confer Apoc. XV: 5.

AD VS. 15.

Doctrinam Nicolaitarum) Nimis clare hæc diſtinguitur a doctrina Balamitica, quam ut cum ea confundere audeamus. Ut vero eam inveniamus, obſervandum eſt, quod tales ſint 1) qui ſequuntur veſtigia Nicolaitarum Eccleſiæ Epheſinæ vs. 6. 2) qui non amplius ab Eccleſia ſeparati ſed inſignem ejus par-

partem conficiunt. 3) qui in tali tertio cum Balaamiticis conveniunt, ut itidem poſſint tanquam dominatores populi conſiderari. Hæc concurrunt in Eutychianis. 1. Error eorum capitalis, qui veritatem naturæ humanæ ſuſtulit a Gnoſticis profluxit. V. SALIGIUM. 2) Per tempus diuturnum inſignem interdum etiam valentem Eccleſiæ Græcæ partem confecerunt. 3) Non tantum cum ſede Romana de primatu diſputarunt, ſed etiam Orthodoxos & Neſtorianos rigidiſſime perſecuti ſunt.

Quod odi) Hoc tam ad Balaamitas quam Nicolaitas pertinet.

AD VS. 16.

Bellum cum iis geram) Per teſtes veritatis, nec non per ipſa judicia ſecundum os Prophetarum ſignificata, excitato ſigillatim Muhamedaniſmo & Saracenorum graviſſimis incurſionibus.

AD VS. 17.

De Manna abſcondito) Hoc oppoſitum idolothytis Balaamitarum.

Calculum album & in calculo nomen novum) Opus juſtificationis hic ſymbolice deſcribitur, cujus fundamentum evertebat error Eutychianus. Poſſent tum etiam reſpici anathematiſmi a CYRILLO atque aliis, in ipſos orthodoxos vibrati, nec non res contra Pelagianos feliciter geſta:

EPISTOLA QUARTA.

THYATIRENSIBUS *inſcripta* CAP. II: vs. 18-29.

18. Και τω αγγελω της εν θυατειροις εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο υιος τȣ Θεȣ, ο εχων τȣς οφθαλμȣς αυτȣ ως φλογα πυρος, και οι πο-

18. *Angelo vero Eccleſiæ, quæ Thyatiris eſt, ſcribe: hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ſuos ut flammam ignis & cujus pe-*

δες αυτου ομοιοι χαλκολϊβανω.

19. Οιδα σου την αγαπην και την πιστιν, και την διακονιαν και την υπομονην σου, και τα εργα σου τα εσχατα πλειονα των πρωτων.

20. Αλλ εχω κατα σου, οτι αφεις την γυναικα Ιεζαβελ η λεγουσα εαυτην προφητιν, και διδασκει και πλανα τους εμους δουλους, πορνευσαι και φαγειν ειδωλοθυτα.

21. Και εδωκα αυτη χρονον ινα μετανοηση, και ου θελει μετανοησαι εκ της πορνειας αυτης.

22. Ιδου βαλλω αυτην εις κλινην, και τους μοιχευοντας μετ αυτης εις θλιψιν μεγαλην, εαν μη μετανοησωσιν εκ των εργων αυτης,

23. Και τα τεκνα αυτης αποκτενω εν θανατω. και γνωσονται πασαι αι εκκλησιαι οτι εγω ειμι ο ερευνων νεφρους και καρδιας. και δωσω υμιν εκαστω κατα τα εργα υμων.

24. Υμιν δε λεγω τοις λοιποις τοις εν Θυατειροις, οσοι ουκ εχουσι την διδαχην ταυτην, οιτινες ουκ εγνωσαν τα βαθεα του σατανα, ως λεγουσιν, Ου βαλω εφ υμας αλλο βαρος.

25. Πλην ο εχετε κρατησατε, αχρις ου αν ηξω.

pedes ſimiles ſunt chalcolibano.

19. *Novi opera tua, & charitatem, & miniſterium, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & poſtrema uberiora prioribus.*

20. *Sed habeo adverſus te pauca, quod ſinas mulierem Jeſabelem, quæ ſe ipſam dicit* Prophetiſſam *docere & ſeducere* Servos *meos, ut ſcortentur, & edant ex iis quæ ſimulacris ſunt immolata.*

21. *Et dedi illi tempus, ut reſipiſeret á* Scortatione *ſua ſed non reſipuit.*

22. *Ecce ego conjicio eam in lectum, & eos qui cum ea mœchantur in afflictionem magnam, niſi reſipiſcant ab operibus ſuis.*

23. *Et liberos ejus occidam morte: & cognoſcent omnes Eccleſiæ, me eſſe illum, qui ſcrutatur corda & renes, & dabo unicuique veſtrum ſecundum opera veſtra.*

24. *Vobis autem dico & reliquis Thyatirenſibus, qui non habent doctrinam hanc & non cognoverunt profunda Satanæ, ut ajunt: non imponam vobis aliud onus.*

25. *Tantum quod habetis retinete usque quo veniam.*

26. Και ο νικων και ο τηρων αχρι τελους τα εργα μου, δωσω αυτω εξουσιαν επι των εθνων,

26. *Et qui vicerit, & retinuerit ad finem usque opera mea, dabo illi imperium in Gentes.*

27. Και ποιμανει αυτους εν ραβδω σιδηρα, ως τα σκευη τα κεραμικα συντριβεται, ως καγω ειληφα παρα του πατρος μου.

27. *Et paſcet eas virga ferrea, ſicut vaſa fictilia conteruntur, ſicut & ego accepi a Patre meo.*

28. Και δωσω αυτω τον αστερα τον πρωϊνον.

28. *Et dabo ei ſtellam matutinam.*

29. Ο εχων ους ακουσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις.

29. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

ANALYSIS. Cap. II. vs. 18-29.

I. Mandatum ſcribendi.

II. Epiſtola ipſa.

- A. Præfatio vs. 18.
- B. Tractatio.
  - 1. Deſcriptio ſtatus vs. 19-21.
    - a. Quoad partem meliorem vs. 19.
      - α. Generalior: *Novi opera tua*
      - β. Specialior, exhibens virtutes varias, quæ
        - א. Recenſentur.
          - a. Active: tum ratione proximi, *& charitatem & miniſterium* ſc. quo illam demonſtraſti; tum ratione Dei, *& fidelitatem.*
          - b. Paſſive: *& patientiam tuam.*
        - ב. Exaggerantur: *Et opera tua, etiam ultima plura primis.*
    - b. Quoad partem deteriorem vs. 19. 20.
      - α. Præfatio. *Sed habeo adverſus te parum:*
      - β. Accuſationem, in qua.
        - א. Crimen ipſum, quod *ſinas mulierem Jeſabelem qua ſe ipſam dicit prophetiſſam docere & ſeducere ſervos meos.*

ב. Ex-

ב. Exaggeratio ejus, pertinacia Jeſabelis vs. 21.

2. Inſtructio cum eo conveniens vs. 22-29.

a. Duo officia præſcribens vs. 22-25.

α. Attentionem ad vias Dei vs. 22-24.

א. In judiciis ejus

a. De Antichriſtianiſmo.

1) Propoſitio

a) In præſens, De ipſa Jeſabele: *Ego conjicio eam in lecto*, & de adulteris: *Et eos qui cum ea moechati ſunt in afflictionem magnam.*

b) In futurum, De liberis: *Et liberos ejus occidam morte*

2) Fructus ad glorificationem Dei pertinens: *Et cognoſcent omnes Eccleſiæ, me eſſe illum qui ſcrutatur renes & corda*

b. De Eccleſia: *Et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera veſtra*

ב. In temperamento eorum quoad reliqua ſincera Eccleſiæ membra vs. 24. Ubi

a. Perſonæ, circa quas judicia temperanda, quæ duplices

1) Quæ directe pertinent ad Angelum Thyatirenſem: *vobis autem dico*

2) Quæ aliqua ratione ab illis differunt, duasque iterum partes conſtituunt. *Et reliquis in Thyatiris, quotquot.* (a communione Jeſabelis avulſi) *non habent doctrinam hanc &* (qui aliquo modo adhuc irretiti) *quotquot non cognoverunt profunda Satanæ, ut ajunt.*

b. Levamen: *Non conjiciam in vos aliud* &c.

β. Conſtantiam: *Attamen, quod habetis* &c.

b. Promiſſio generalis ſed diverſo modo propoſita

α. Præcedit propoſitio 26-28. Ubi

א. Perſonæ magis ſpecifice exhibentur: *Et qui &c.*

ב. Bonum duplex.

a. Regnum in gentes

1) De jure: *Dabo ei poteſtatem in gentes.*
2) De facto: *Et paſcet.*

b) Præparationem ad futuram Eccleſiæ gloriam *Et dabo.* &c.

β. Sequitur excitatio ad attentionem vs. 29.

SCHOLIA.

AD VERS. 18.

Thyatiris) Eccleſiæ Waldenſium uſque ad abſolutum Reformationus opus. Convenit genius urbis. Fuit 1. ex ſeptem illis Aſiæ maxime ignobilis. 2. urbs ultima Myſiæ i. e. in terminis ejus poſita cujus metropolis erat Pergamus. 3. Ipſa Eccleſia Thyatirenſis fuit p. d. numero exigua, unde Alogis nata exceptio contrà authoritatem Apocalypſeos, a non extantia Eccleſiæ Thyatirenſium petita, de qua Proleg. in Joh. lib. I. c. 7. §. 28. Ut ſcias pingi Eccleſiam inviſibilem ferme coram mundo. De etymo nihil certi. Græculorum cogitationes detortæ ſunt. Propius accedit HILLERI טורא טירה Tioha-Tira *Termini* ſeu *limitis caſtellum.* Incidit etiam an non a תותיר futurum Hiphil radicis יתר *Reliquum facies*, ſeu תותר *reliquum fies.* Quia de reſiduis Eccleſiæ agitur.

Filius Dei) Titulus maxime glorioſus & directus ad reliquarum confirmationem.

Oculos & pedes) Ex dictis vs. 14. 15. liquet, quod hæc epitheta pertineant ad judicia in Eccleſiam Antichriſtianam, quæ ſub hac periodo conſideratur in plenam apoſtaſiam prolapſa, Confer. Apoc. X: 1. XIX: 12.

AD VS. 19.

Et charitatem) Eouſque ut etiam communionis bonorum Waldenſes rei fuerint; & *miniſterium* ſanctis per hoſpitalitatem &c. exhibitum.

Et

Et opera tua etiam ultima) Ita εργα cum τα εσχατα connectendum erit, ut caveatur tautologia, cum jam operum ab initio mentio eſſet facta. Poſt tempora ſcilicet Wiclefi cum non ſolum magis magiſque perrumperet veritas, ſed etiam ingraveſcerent decertationes proveritate.

AD VS. 20.

Quod ſinas mulierem Jeſabelem) Ad meretricem hanc magnam etiam alluditur Apoc. XVII: 1. ſq. Potuit Thyatiris eſſe Sacerdos quædam myſteriorum Dianæ, Gnoſticorum ſimul deliriis imbuta. Talis fuit Ulpia Marcella, cujus mentio fit in quadam Inſcriptione Thyatiris inventa & à Ricautio Deſcriptioni hodiernæ Eccleſiæ Græcæ p. 87. inſerta. Quicquid ſit, nomen Jeſabel eſt myſticum. Quoad literam in hoc commate alluditur ad 2 Reg. IX: 22. ubi dicitur matrem fuiſſe fornicationis & incantationis Jeſabelis. Circa articulos doctrinæ ejus duo eadem capita enotantur, quæ in doctrina Bileami, *ſcortatio* i. authoritatis Antichriſti agnitio, & *idolothyta* ſeu ſacrificium miſſaticum. Hæc duo capita ab Huſſitis atque aliis, non ſatis directe oppugnabuntur. Dum dicitur *ſeducere ſervos Filii Dei*, hoc reſpicit ad illos, qui vs. 24. dicuntur *non cognoviſſe profunditates Satanæ*.

AD VS. 21.

Dedi illi tempus) Nempe quod ab initiis ſeculi XV. uſque ad Reformationem fluxit.

AD VS. 22.

Conjicio eam in lectum) Morbum hoc indicat, tum per detectam ejus turpitudinem à Reformatoribus, tum per imminuendam ejus ſub Reformatione poteſtatem. Hactenus tamen id nondum eſt plenarium.

Digitized by Google

Et eos, qui cum ea moechantur in afflictionem magnam) Per varia judicia, per Turcas, per bella inteſtina religionis cauſa ſubnata in Hungaria, Gallia, Germania, &c. Niſi forte hic jam alludatur ad ultimam afflictionis horam c. III: 10. Hoc enim judicium in adulteros Jeſabelis diſtinguendum eſt a judicio in Jeſabelem. Jeſabeli abſolute prædicitur judicium, quia tempus reſipiſcentiæ ejus jam effluxerat, ſed adulteris ejus conditionate, niſi reſipiſcant, quare innui videtur novum tolerantiæ tempus hiſce adulteris poſt Reformationem uſque ad plenariam Jeſabelis ruinam concedendum.

AD VS. 23.

Et liberos ejus occidam morte) Filii prophetarum ſunt eorum diſcipuli, hoc ad totale excidium adhuc futurum pertinet & per cauſalem poteſt connecti verſui præcedenti: *Nam liberos ejus occidam morte:* proptereaſcilicet, adulteri ejus afflictionem magnam timendam habent.

Et cognoſcent omnes Eccleſiæ) Scilicet in ultimo illo judicio. *Omnes* involvit omnes ſeptem, ad eoque non ſolum antecedentes ſed etiam ſequentes. Unde patet, tum quod cognitio hæc etiam pertineat ad Eccleſiam triumphantem tum quod non antea ſit exſpectanda, quam omnium harum 7 Eccleſiarum periodi effluxerunt.

Et dabo unicuique veſtrum) Hoc itidem pertinet ad judicium poſtremum in Antichriſtum. Confer Apoc. XXII: 12.

AD VS. 24.

Vobis) Wicleſiſtis

Et reliquis Thyatirenſibus) Huſſitis ſeu fratribus Bohemis

Et non cognoverunt profunda Satanæ) Proculdubio alluſum ad myſteria Dianæ. Innuuntur autem teſtes in ipſo Papatu. *Cognoſcere* interdum idem eſt ac approbare.

Non inponam vobis aliud onus) i. præceptum ſc. præter id quod ſequitur, quod in Reformationis initiis eſt poſtulatum & oppoſitum jugo Antichriſtianiſmi.

AD

Digitized by Google

AD VS. 25.

Uſque dum veniam) Hic intelligimus ultimum adventum ad judicium in Antichriſtianiſmum & glorificandam Eccleſiam, quo intermedio tempore eadem norma fidei conſtanter ſervanda, & in illa libertate quam Deus per Reformationem conceſſit acquieſcendum.

AD VS. 26.

Et retinuerit ad finem uſque opera mea) Hæc reſtrictio indicat, quod ſequens promiſſio non ſtatim poſt Reformationem erat plene poſſidenda, ſed tantum initialiter, cum plena fruitio illis ſit exſpectanda, qui finem illum tentationum Eccleſiæ attigerint.

Poteſtatem in gentes) Jus eas convertendi & Regno Chriſti ſubjiciundi. Confer Dan. VII: 27.

AD VS. 27.

Et paſcet eas virga ferrea &c.) Clara eſt alluſio ad Pſ. II: 8. 9. ubi notandum quod illa prophetia quamvis initialiter implenda a primordiis Eccleſiæ N. T. nihilominus non ante plene executioni danda, quam in ultimo de omnibus hoſtibus Eccleſiæ triumpho, uti clariſſime liquet ex Apoc. XIX: 15. Hoc quod de Chriſto primo loco verum eſt, ſecundario quoque verum erit in Eccleſia, uti liquet ex Apoc. XII: 5. ubi filius maſculus eſt Chriſtus myſticus, ſeu ipſa Eccleſia, qui filius primo raptus eſt ad Deum, recturus deinceps, nempe poſt 1260 dies, gentes virga ferrea.

AD VS. 28.

Stellam matutinam) Ipſum Chriſtum, phoſphorum Eccleſiæ. Apoc. XXII: 16. Lumine ſuo ultima tempora illuſtraturum.

AD

Digitized by Google

AD VS. 29.

Qui habet aurem) Hactenus præceſſerat, nunc ſequitur hæc formula uti & in ſeqq. Epiſtolis. Ratio latet. In ipſis promiſſionibus hoc eſt diſcrimen, quod præcedentes fuerint generaliores & internæ, ſequentes autem ſpecialius reſpiciant ſtatum Eccleſiæ glorioſum in ultimis temporibus, ad quem poſt victoriam Eccleſiæ Thyatirenæ magnis gradibus pergebat Dominus.

EPISTOLA QUINTA *Sardenſibus inſcripta*

CAP. III. vs. 1-6.

1. Και τω αγγελω της εν σαρδεσιν εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο εχων τα επτα πνευματα τȣ θεȣ και τȣς επτα αςερας. Οιδα σȣ τα εργα, οτι ονομα εχεις οτι ζης, και νεκρος ει.

1. *Angelo vero Eccleſiæ, quæ Sardibus eſt, ſcribe: Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Novi tua opera: dici te vivere, cum ſis mortuus.*

2. Γινȣ γρηγορων, και ςηριξον τα λοιπα α εμελλεν αποθανειν. ȣ γαρ ευρηκα σȣ τα εργα πεπληρωμενα ενωπιον τȣ θεȣ μȣ.

2. *Eſto vigilans, & ſtabili reliqua, quæ moritura eſſent. Non inveni enim opera tua plena coram Deo.*

3. Μνημονευε ȣν πως ειληφας και ηκȣσας, και τηρει και μετανοησον. Εαν ȣν μη γρηγορησης, ηξω ως κλεπτης, και ȣ μη γνως ποιαν ωραν ηξω επι σε.

3. *Memento igitur, quo modo acceperis & audiveris, & ſerva, & reſipiſce. Si itaque non vigilaveris, ſuperveniam tibi ut fur, & ignorabis qua hora tibi ſim ſuperventurus*

4. Αλλ εχεις ολιγα ονοματα εν σαρδεσιν, οι ȣκ εμολυναν τα ιματια αυτων. Και περιπατησȣσι μετ εμȣ εν λευκοις, οτι αξιοι εισιν.

4. *Habes tamen pauca etiam nomina Sardibus, quæ non inquinarunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

5. *Qui*

Digitized by Google

5. Ο νικων, ȣτος περιβαλειται εν ιματιοις λευκοις. Και ȣ μη εξαλειψω το ονομα αυτȣ εκ της βιβλȣ της ζωης, και ομολογησω το ονομα αυτȣ ενωπιον τȣ πατρος μȣ και ενωπιον των αγγελων αυτȣ.

6. Ο εχων ȣς ακȣσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις.

5. *Qui vicerit, hic amicietur veſtibus albis, & non delebo nomen ejus ex Libro Vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

6. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis*

ANALYSIS Cap. III. vs. 1-6.

I. Mandatum ſcribendi
II. Epiſtola ipſa.
  A. Præfatio *Hæc dicit* &c.
  B. Tractatio
    1. Deſcriptio ſtatus vs. 1. *Novi tua opera &c.*
    2. Inſtructio ei conveniens vs. 2-6. Continens
      a. Hortationem, quæ inculcat
        α. Officia generalia vs. 2. quæ
          א. Proponuntur, & ſunt bina numero.
            a. Quoad ſe ipſum: *Evade vigilans, ſive, expergiſcere.*
            b. Quoad alios: *Et ſtabili reliqua; quæ moritura eſſent*
          ב. Neceſſitas hujus poſtulati indicatur. *Non enim inveni opera &c.*
        β. Media ad talium officiorum præſtationem prærequiſita, quæ ſunt duo
          א. Agnitio beneficiorum acceptorum, quæ involvit
            a. Reminiſcentiam intellectus eorum: *Memento igitur, quomodo acceperis & audiveris.*
            b. Advertentia cordis: *Et ſerva.*
          ב. Reſipiſcentiam: *Et reſipiſce*
      b. Confirmationem vs. 3. med.-6.
        α. Per comminationem, quæ
          א. Proponitur. Ubi diſtinguitur

a. Caſus poſitio. *Si itaque non evigilaveris*
b. Judicium ipſum, quod
1) Indicatur: *Superveniam tibi ut fur.*
2) Exaggeratur: *Et nequaquam cognoſces, qua hora ſuper te venturus ſim*

ג. Tacitæ objectioni occurritur. Ubi ſupponitur caro obmurmurans, quid de Eccleſia futura eſſet, ſi Angelus Eccleſiæ unà cum ea ſit delendus: quod refellitur ex deſcriptione ſeminis ſancti ſuperſtitis, quod Deus conſervaturus eſſet Hic
a. Reliquiæ illæ deſcribuntur: *& Habes pauca nomina in ipſis Sardibus, quæ non tinxerunt veſtimenta ſua*
b. Conſervatio earum in fidei excercitio prædicitur: *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

β. Per promiſſionem generalem vs. 5. 6. quæ
א. Proponitur vs. 5. continens duas claſſes bonorum
a. Plenariam juſtificationem: *Qui vicerit, hic amicietur veſtibus albis*
b. Fundamenta juſtificationis
1) Negativum: *Et* ſive, nam, *non delebo nomen ejus ex libro vitæ* Teſtamenti æterni
2) Poſitivum: *Et confitebor* ut Sacerdos *nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

ב. Urgetur epiphonemate conſueto: vs. 6. *Qui habet aurem* &c.

SCHOLIA AD VS. 1.

Quæ eſt in Sardibus) Intelligimus Eccleſiam Proteſtantium poſt exitum ex Papatu: 1) quia eousque nos deduxit ordo. 2) quia illi, qui per Angelum Sardenſem intelligunt Eccleſiam Antichriſtianam non perpendunt epiſtolas omnes ad Eccleſiæ veræ Miniſtros eſſe directas 3) quia noſtra tempora nondum poſſunt dici Philadelphia, in-

Digitized by Google

invidia inter fratres adhuc ſubſiſtente 4) quia hora tentationis ad tempora cum adventu Chriſti conjuncta pertinet. Convenit ſane typus *a*) Nomen סרדין *Seradin* apud Chaldæos ſunt *vela*, & סרד *Artifex cortinarum*; hoc enim opificium erat celebratum Sardibus: quod adumbrat cumulum mediorum gratiæ, per quæ artificioſe contexuntur veſtes & opercula nuditatis animarum. *b*) Sardis erat metropolis Lydiæ divitiis & deliciis affluens, ſita ad fluvium auriferum Pactolum &c. *c*) Non videtur veritas in ea altas radices egiſſe, quia adhuc diu deinceps ſingularis ſedes idololatriæ & ſpectaculorum gentilium fuit.

Qui habet 7 Spiritus Dei & 7 ſtellas) Hoc clare indicat relationem inter 7 Spiritus & ſtellas. Hæ ſunt quaſi totidem ardentes lucernæ, ſed quas Spiritus oleo implere debet: quod ubi deficit, lucernæ extinguerentur.

Nomen habes, quod vivas) Conferatur præcipue locus parallelus quoad rem ipſam Jeſ. LIX: 10.

AD. VS. 2.

Vigila) Reſpicit noctem & officium paſtorum.

Stabili) στηρίζειν LXX. ponunt pro סעד & סמך *fulcire*, quod deſumtum eſt ab illis qui viribus deficiunt aut præ fame aut præ languore Jud. XIX: 5, 8. Cant. II: 5.

Plena) Non deſunt opera, in veritate contra pontificios tuenda, afflictionibus perpetiendis &c. Sed non ſunt plena coram Deo. Vera cordis forma deficit. Deficit circa media gratiæ nimium vera pietatis praxis: Deficit in ipſis Martyriis purus Dei amor: Deficit diſciplina, fraterna caritas &c.

AD. VS. 3.

Quomodo acceperis) Sc. doctrinam veritatis tum per Apoſtolos, tum per teſtes veritatis, in quibus ſpiritus Apoſtolorum erat, & qui omnia pro veritate ſubiverunt.

Superveniam tibi, ut fur) Diſtingue hoc ab adventu pleno, qui

qui erit illuſtri modo, illuceſcente aurora cum hic intelligatur adventus occultior durante adhuc nocte. Confer Apoc. XVI: 15. unde liquet talem adventum innui, qualis erat eorum qui excubias Levitarum & Sacerdotum viſitabant, veſtesque ſubripiebant illis, quos dormientes inveniebant: quod hic etiam cum allegoria veſtium conſpirat.

Et ignorabis) Unde eo certius exitium timendum

AD. VS. 4.

Non tinxerunt) Ita verto το μολυνειν, ſecundum illa, quæ docte notata ſunt a JAC. HASÆO Bibl. Brem. Cl. III. p. 253. ſq. Cum enim Sardes tinctura *purpura* illuſtres eſſent, quæ color eſt Antichriſtianiſmi Apoc. XIX: 8. oppoſitus colori albo, qui hic exiguis ſinceris reliquiis tribuitur, hinc innuitur, quod quamvis veſtes ſpirituales juſtitiæ & ſanctitatis populi Dei ab omni inquinamento non ſint liberæ, non tamen tinctæ ſunt criterio Antichriſtianiſmi. Reapſe teſtantur ſe communionem omnem cum throno beſtiæ rupiſſe.

Et ambulabunt mecum in albis) Non opus eſt, ut hæc verba vim promiſſionis habeant, ne idem videatur repeti vs. 5. Simplex igitur eſt prædictio, quod fideles hæ animæ non ſolum a purpura Antichriſtianiſmi ſe immaculatas conſervaturæ, ſed etiam ambulatione & converſatione ſua integra coram mundo in communione cum Chriſto ſe tanquam genuinas ſeminis electi reliquias ſint geſturæ.

Quia digni ſunt) LXX. vocem αξιος uſurpant de pecunia, quæ plenum pondus habet Gen. XXIII: 9. 1 Paral. XXI: 22. 24. Indicatur ergo, quod genuina & ſincera Eccleſiæ membra ſint. Unde patet quantum momenti hæc verba habeant ad objectionem refutandam, quæ moveri poterat.

AD. VS. 5.

Veſtibus albis) Iterum oppoſite ad purpuram Sardianam. Ple-

Digitized by Google

Plenaria hic juſtificatio intelligenda, ut diſtinguatur à demonſtratione initiali coram hominibus, de qua vs. 4. actum. Sic *induti* ſuo tempore *ſuperinduendi* 2 Cor. V: 2.

Coram Patre meo & coram Angelis ejus) Loco contumeliæ, quam Nomina hæc fida in terris perpeſſa ſunt.

EPISTOLA SEXTA Philadelphenſibus *inſcripta*

CAP. III: vs. 7-13.

7. Και τω αγγελω της εν φιλαδελφεια εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο αγιος ο αληθινος, ο εχων την κλειν τȣ δαυιδ, ο ανοιγων και ȣδεις κλειει, και κλειει και ȣδεις ανοιγει.

8. Οιδα σȣ τα εργα. Ιδȣ δεδωκα ενωπιον σȣ θυραν ανεωγμενην, ην ȣδεις δυναται κλεισαι αυτην. Οτι μικραν εχεις δυναμιν, και ετηρησας μȣ τον λογον, και ȣκ ηρνησω το ονομα μȣ.

9. Ιδȣ διδωμι εκ της συναγωγης τȣ σατανα των λεγοντων εαυτȣς ιȣδαιȣς ειναι, και ȣκ εισιν, αλλα ψευδονται. Ιδȣ ποιησω αυτȣς ινα ηξωσιν και προσκυνησωσιν ενωπιον των ποδων σȣ, καὶ γνωσιν οτι εγω ηγαπησα σε.

10. Οτι ετηρησας τον λογον της υπομονης μȣ, καγω σε τηρησω εκ της ωρας τȣ πειρασμȣ της μελλȣσης ερχεσθαι επι της οικȣμενης ολης, πειρασαι τȣς κατοικȣντας επι της γης.

7. *Angelo vero Eccleſiæ, quæ eſt Philadelphiæ, ſcribe. Hæc dicit Sanctus ille verax, qui habet clavem Davidis Qui aperit* & *nemo claudit*, & *claudit*, & *nemo aperit.*

8. *Novi opera tua: Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poterit claudere, quia exiguam habes virtutem,* & *ſervaſti ſermonem meum*, & *non abnegaſti nomen meum.*

9. *Ecce, do ex* Synagoga *ſatanæ eorum qui ſe dicunt Judæos eſſe & non ſunt, ſed mentiuntur, ecce ego faciam, ut veniant & adorent coram pedibus tuis, & intelligant, me te dilexiſſe.*

10. *Quoniam ſervaſti ſermonem patientiæ meæ, ego quoque te ſervabo ex hora tentationis, quæ veniet in orbem univerſum, ad explorandos hujus terræ incolas.*

11. Ερχομαι ταχυ. Κρατει ο εχεις, ινα μηδεις λαβη τον ςεφανον σȣ.

12. Ο νικων, ποιησω αυτον ςυλον εν τω ναω τȣ Θεȣ μȣ, και εξω ȣ μη εξελθη ετι, και γραψω επ' αυτον το ονομα τȣ Θεȣ μȣ, και το ονομα της πολεως τȣ Θεȣ μȣ της καινης Ιερȣσαλημ, η καταβαινȣσα εκ τȣ ȣρανȣ απο τȣ Θεȣ μȣ, και το ονομα μȣ το καινον.

13. Ο εχων ȣς ακȣσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις.

11. *Ecce venio cito, tene quod habes, ne quis coronam tuam capiat.*

12. *Qui vicerit, faciam ipſum columnam in templo Dei mei, nec foras egredietur amplius, & inſcribam ei nomen Dei mei, & Nomen Civitatis Dei mei, Novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit è Coelo a Deo meo, & Nomen meum Novum.*

13. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

ANALYSIS. Cap. III. vs. 7-13.

I. Mandatum ſcribendi
II. Epiſtola
- A. Præfatio vs. 7.
- B. Tractatio vs. 8-13.
  - 1. Deſcriptio ſtatus breviſſima vs. 8. init. *Novi opera tua*
  - 2. Inſtructio ei conveniens: Quæ duo præſcribit
    - a. Attentionem ad vias Dei
      - α. Præteritas vs. 8.
        - א. Bonum conceſſum, quod
          - a. Proponitur. *Ecce dedi coram te oſtium apertum*
          - b. Exaggeratur per conſtantiam: *quod nemo poterit claudere*
        - ב. Ratio: *quia exiguam habes virtutem &* (nihilominus) *ſervaſti* &c.
      - β. Præſentes vs. 9. circa quas occurrit
        - א. Promiſſio longanimitatis divinæ: *Ecce do ex Synagoga Satanæ* &c.
        - ב. Salutaris exitus, quem hæc promiſſio habitura eſſet; *Ecce faciam eos* &c.

γ. Fu-

γ. Futuras vs. 10. 11. inic. in quibus continetur
א. Liberatio Eccleſiæ ex inſtanti tentatione. vs. 10. ita deſcripta, ut exhibeatur
a. Motiva ad beneficium hoc præſtandum. *Quoniam ſervaſti ſermonem patientiæ*, potius *ſermonem exſpectationis meæ*
b. Beneficium ipſum deſcribens, partim calamitatem, tum quoad præcipuas ejus circumſtantias, brevitatem & univerſalitatem, tum quoad ejus ſcopum, partim ereptionem ex ea: *Ego quoque te ſervabo ex hora tentationis, quæ veniet in orbem univerſum ad explorandos* &c.
ב. Fundamentum hujus liberationis, quod ſimul poteſt conſiderari tanquam fundamentum ſequentis hortationis: *Ecce venio cito.*

b. Conſtantiam, quæ
α. Commendatur: *Tene, quod habes*
β. Urgetur duabus rationibus, deſumtis
א. A periculo alias imminente: *Ut nemo prehendat coronam tuam*
ב. A promiſſo generali vincentes manente. vs. 12. quod
a. Deſcribitur ſub emblemate columnæ ſanctuarii, hoc ordine ut
1) Proponatur: *Qui vicerit ſive*, (quod attinet vincentem, *faciam ipſum columnam in templo illo Dei mei.*
2) Duplex comparationis tertium indicatur
a) Stabilitas: *Et foras nequaquam, amplius exibit*
b) Ornatus per Epigraphen triplicem: *Et inſcribam ei Nomen Dei mei* &c.
b. Urgetur conſueto epiphonemate: *Qui habet aurem* &c.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIA. AD. VS. 7.

Et Angelo Eccleſiæ in Philadelphia) Intelligi Eccleſiam in meliorem ſtatum tranſlocatam ex corruptione quæ nunc ei incubat conficimus 1) Ex nexu cum præcedentibus. 2) Ex Epiſtolæ tenore, quæ *a*) ſtatum meliorem exhibet, quam quo hactenus Eccleſia gaudet, uti Exegeſis ipſa oſtendet. *b*) Tales phraſes continet, præſertim vs. 9. fine & 10. quæ in verbo prophetico ad tempus magis ſerum ſpectant. 3) Accedit typus Philadelphiæ quem potiſſimum videtur nomine ſuo gerere. Verum illud implendum temporibus, ad quæ Jeſ. XI. & Pſ. CXXXIII. reſpicitur.

Sanctus ille & verax) Convenit deſcriptio Apoc. XIX: 11. Clare indicatur Dominus ad implementum promiſſionum properans.

Qui habet Clavem Davidis) Abundè hic VITRINGA. Forte etiam oppoſitio eſt ad claves Sacerdotales, quales geſtabant Sacrorum apùd gentes Præſides. Vid. CALLIMACHUM in Cererem vers. 44. Dignitas hæc Philadelphiæ, quæ communia, & ſolemnia ſacra habebat, non ignota. In cenſum quoque hic venire debet Jeſ. IX. Nota præterea veſtigia triplicis officii Chriſti, *Sanctus* Sacerdos, *Verax*, Propheta, *habens claves* Rex.

Præcipue hic notetur oppoſitio ad prætenſas a ſede Pſeudo-Apoſtolica claves Regni coelorum.

Qui aperit & nemo claudit) Aperire & claudere quoad claves eſt idem, quod Matth. XVI. *ſolvere* & *ligare*: unde conficimus, quod non ſolum ad perſonas, ſed etiam ad doctrinam reſpiciatur, quæ in hoc temporis intervallo libere prædicanda. Sed includenda tamen relatio ad perſonas propter verſum ſequentem.

Januam apertam) Niſi tamen illic de alia janua agatur ſcilicet *inferni & mortis*, quæ patere debebat coram præconio Evangelii, ut Chriſtus ſe probaret non tantum poſſeſſorem clavium coeli, ſed etiam portarum inferni. Sic ſane ſuadet etiam Matth. XVI. conjunctio *clavium Regni coelorum* & *portarum inferni*.

A D-

Digitized by Google

AD VS. 8.

Exiguam habes virtutem) Non tam ad moralem quam ad phyſicum defectum hoc referimus, conferentes Deuter. XXXII: 36. Id confirmat & nexus cum præcedentibus & ſtatim ſequens elogium.

AD VS. 9.

Do ex Synagoga) Quando penitius hunc locum inſpicio, tum hoc Διδοναι intelligo de datione ſalutari, quam in rem bene notetur conſtructio. Non enim dicitur do ex Synagoga Satanæ tales qui ſe dicunt &c. Sed, *do ex Synagoga Satanæ dicentium*, ut nempe propius indicetur, quid per Synagogam Satanæ intelligatur, nempe tales, qui dicunt ſe Judæos eſſe &c. Hos non omnes dat, ſed quoſdam ex iis, quorum ſalutaris converſio ſtatim deſcribitur. Ad Cap. I: 9. eandem periphraſin explicavimus de hæreticis Judæorum veſtigia prementibus in oppugnando Chriſto. Nihil impedit, hic Archhæreticos in Papatu intelligere. Ex his non omnes ſed quidam convertendi. Hoc oſtendit januam uſque ad adyta templi Antichriſtiani eſſe apertam.

Ut veniant & adorent) Hoc demonſtrat, quod ſint inter datos Eccleſiæ a Filio. Omnino confer. Jeſ. LX. 14.

AD VS. 10.

Sermonem patientiæ exſpectationis meæ) id eſt Propheticum, quo injunxi, ut qui credit, non feſtinet, & quem conſervaſti contra omnes illuſiones hominum ſpem tuam irridentium.

Quæ ventura eſt in omnem habitabilem) quæque propterea diluvio confertur, in quo ut alter Noachus es ſervandus Pſ. XXIX. v. ult. Jeſ. XXVI: 20. 21.

AD VS. 11.

Ut nemo capiat coronam tuam) Tacite innuitur novum pericu-

lum Eccleſiæ imminens a tepore Laodicenæ Eccleſiæ. Non opus eſt, ut hic intelligatur corona vitæ æternæ, ſed laudis conſtantiæ, quam hactenus acquiſiverat.

AD VS. 12.

Columnam) Symbolum hoc relate ad Angelos Eccleſiæ illuſtravi Prolegom in Joh. I: 3.

Scribam ſuper eum nomen Dei mei) paſſim hoc ita intelligitur, quaſi innuatur, quod illud ſubjectum de quo hic agitur, ipſum hoc nomine fuerit cohoneſtatum, & ſic qualitas ipſi ſubjecto inhærens indicaretur. Sed aliud mihi videtur flagitare allegoriæ nexus. Nomina columnis inſcripta non comprehendunt ipſarum columnarum denominationes, ſed potius ſententias ornatus aut inſtitutionis aliorum cauſſa columnis affixas, idque eo magis, quia שם apud Hebræos adeo latam emphaſin habet, ut non mera nomina ſed etiam ſententias integras comprehendat. Varia nomina hic congeſſit Cl. VITRINGA, de quibus cogitari poteſt. Et forte plura ſimul innuuntur, verum non fuiſſet prætermittendum Nomen, quod in omnibus tribus ſubjectis commune poteſt conſiderari, & præ reliquis ſolenne eſt, nempe quod exſcriptum erat in frontali Pontificis. Hoc ſimul erat Nomen Dei Patris, quia ejus ſanctitas per totum ſacerdotium Aaronicum typice adumbrabatur, ſimul Nomen Eccleſiæ Zach. XIV. Pſ. XCIII: 5. ſimul Nomen ipſius Chriſti Act. IV. latens in ipſa deſcriptione quam de ſe dederat ſub initio Epiſtolæ hujus. Nam Αληθινος reſpectum habet ad nomen Jehova. Quod ergo hoc nomen columnæ hujus templi myſticæ inſcriptum eſſet, id indicat totum Miniſterium Euangelii in eo verſaturum ut ſanctitatem Domini veraciſſimi magnificet per judicia in hoſtes effuſa, & auxilium Eccleſiæ præſtitum. Hoc erat argumentum Cantici Moſis & Agni Apoc. XV. Hinc diſcimus, quod, qui Laodicenæ Eccleſiæ teporem vicerint, & ita retinuerint, quod habent, ultima tempora glorioſa attingere debeant.

No-

Nomen meum novum) Novum aliquando ponitur pro eximio Matth. XXVI: 29. de vino novo. Id quod cum nova emphaſi & gloria revelatur. Sic canticum novum Apoc. V: 9. XIV: 3. in priori ſenſu VIRGILIUS Eccl. *Pollio & ipſe facit nova carmina* V. MARTINIUS in Lexico.

EPISTOLA SEPTIMA *Laodicenis inſcripta.*

CAP. III. vs. 14-22.

14. Και τω αγγελω της εν λαοδικεια εκκλησιας γραψον, Ταδε λεγει ο αμην ο μαρτυς ο πιςος και αληθινος, η αρχη της κτισεως τȣ Θεȣ.

14. *Angelo vero Eccleſiæ Laodiceæ ſcribe: Hæc dicit ille Amen Teſtis ille fidelis & verus, Principium creationis Dei.*

15. Οιδα σȣ τα εργα, οτι ȣτε ψυχρος ει ȣτε ζεςος. Οφελον ψυχρος ης η ζεςος.

15. *Novi opera tua, te nec frigidum nec fervidum eſſe. Utinam frigidus eſſes, aut fervidus!*

16. ȣτως οτι χλιαρος ει, και ȣτε ψυχρος ȣτε ζεςος, μελλω σε εμεσαι εκ τȣ ςοματος μȣ.

16. *Itaque quia tepidus es, & nec frigidus nec fervidus, futurum eſt ut te evomam ex ore meo.*

17. Οτι λεγεις, Πλȣσιος ειμι, και πεπλȣτηκα, και ȣδενος χρειαν εχω, και ȣκ οιδας οτι συ ει ο ταλαιπωρος και ο ελεεινος, και πτωχος και τυφλος και γυμνος.

17. *Ais enim: dives ſum & ditatus ſum, & nullius rei indigeo & ignoras te eſſe ærumnoſum, & miſerabilem, & egenum, & coecum, & nudum.*

18. Συμβȣλευω σοι αγορασαι παρ εμȣ χρυσιον πεπυρωμενον εκ πυρος, ινα πλȣτησης. Και ιματια λευκα, ινα περιβαλη, και μη φανερωθη η αισχυνη της γυμνοτητος σȣ. Και κολλȣριον εγχρισαι τȣς οφθαλμȣς σȣ, ινα βλεπης.

18. *Conſulo tibi, ut emas a me aurum igni exploratum, ut diteſcas, & veſtimenta alba ut amiciaris, & maniſeſtum non fiat dedecus nuditatis tuæ, & collyrio inungas oculos tuos ut videas.*

19. Εγω οσους εαν φιλω, ελεγχω και παιδευω. ζηλωσον ουν και μετανοησον.

19. *Ego quoscunque diligo, redarguo & caſtigo. Æmulare igitur & reſipiſce.*

20. Ιδου εστηκα επι την θυραν και κρουω. Εαν τις ακουση της φωνης μου, και ανοιξη την θυραν, εισελευσομαι προς αυτον, και δειπνησω μετ αυτου, και αυτος μετ εμου.

20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiat vocem meam & aperuerit oſtium, ingrediar ad eum, & coenabo cum eo, & ipſe mecum.*

21. Ο νικων, δωσω αυτω καθισαι μετ εμου εν τω θρονω μου, ως καγω ενικησα και εκαθισα μετα του πατρος μου εν τω θρονω αυτου.

21. *Qui vincit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, quemadmodum & ego vici, & conſedi cum Patre meo in ipſius throno.*

22. Ο εχων ους ακουσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις.

22. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

ANALYSIS. Cap. III. vs. 14-22.

I. Mandatum ſcribendi.
II. Epiſtola ipſa.
- A. Præſatio vs. 14.
- B. Tractatio
  - 1. Enarratio peccatorum.
    - a. Teporis vs. 15. 16.
      - 1. Deſcriptio ſtatus miſeri
        - a. Quoad corruptionem vs. 15. quæ
          - α. Proponitur vs. 15. *Novi opera tua, quod nec frigidus ſis nec fervidus.*
          - β. Exaggeratur per additum votum, *utinam*
        - b. Quoad imminens judicium. Faſtus ſpiritualis; qui per particulam cauſſalem connexus eſt, quia primi eſt radix. vs. 16. 17.
          - α. Proponitur vs. 16.
          - β. Aequitas ejus defenditur, ex culpæ, cujus hunc Angelum accuſaverat, veritate, detecto illius teporis fonte, quæ erat falſa perſuaſio

&

& gloriatio, quæ vs. 17.

א. Commemoratur: *quia dicis &c.*

ב. Abſurditatis convincitur, *& neſcis &c.*

2. Inſtructio huic ſtatui conveniens, quæ continet.

aa. Præcepta duplicia, quorum priora aptos reddebant ad ſequentia.

a. Prius conſilium contra faſtum tamquam radicem comparationis triplicis boni quod triplici defectui reſpondebat vs. 18.

b. Poſterius contra teporem, hortationem ad reſipiſcentiam vs. 19-20.

א. Via ad eam ſternitur per commemorationem ſalutaris ſcopi vs. 19. init.

ב. Hortatio proponitur vs. 19. fine: *Zela igitur & reſipiſce*

β. Ad exceptionem Domini, ubi

א. Præmittitur excitatio ad agnoſcendam Domini præſentiam. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo*

ב. Additur commendatio legitimæ exceptionis, continens

a. Conditionem, *ſi quis audierit vocem meam & aperuerit januam*

b. Bonum inde imminens, *ingrediar ad eum & canabo &c.*

bb. Eorum confirmationem per promiſſionem &c.

SCHOLIA AD VS. 14.

Laodicena) Conſideramus hanc tanquam typum Eccleſiæ, qualis erit, poſteaquam glorioſus Eccleſiæ ſtatus jam videbatur incepiſſe, poſteaquam nova ex Antichriſtianiſmo converſio facta. Cum externa enim illa amplificatione non illico conjunctus erit maximus modulus gratiæ. Hinc externa illa proſperitas in multorum cordibus ſuſcitabit ſuperbiam & ſecuritatem. Id non ſolum florens hujus Eccleſiæ ſtatus, ſed etiam nomen ipſum prodit. De implemento nihil certi poſſumus dicere, quoniam

niam adhuc futurum eſt. Sufficit, quod infra ſuo loco certos gradus deſtructionis Antichriſtianiſmi ſimus inventuri.

Amen ille) procul dubio reſpicitur ad Jeſ. LXV: 16. ubi Deus relate ad glorioſi Eccleſiæ ultimorum temporum ſtatus promiſſiones dicitur אלהי אמן. Interpretatio hujus nominis eſt. 2 Cor. I: 20. Relationem ſingularem habet ad nomen *Jehova*, quod quando omnia promiſſa finem habebunt, ceſſabit, & in Amen convertetur. Confer Gaillard. de Filio Hominis.

Teſtis ille fidus & verax) Vid. Cap. I: 5. Πιςος hic paſſive intelligimus de teſte, qui fidem meretur, propter ſummam ſuam exellentiam, Αληθινος, qui promiſſa ſua implet. Prius ad perſonam, poſterius ad verba referri poteſt.

Principium creaturæ Dei) Potiſſimum hic intelligo creaturam myſticam, illam quæ Rom. VIII: 29. 22. exſpectans & gemens, & Apoc. V: 13. celebrans Deum introducitur, quæ cum glorioſo Eccleſiæ ſtatu in pleno ſplendore emerget, quando creatio nova plene abſolvetur. Facile liquet, quod hæc epitheta Eccleſiæ ſpem confortent, quando non illico poſt horam tentationis ſuperatam novum coelum ac novam terram contemplatur

AD VS. 15.

Nec frigidum nec fervidum) Proponit ſibi Eccleſiæ externæ Doctores ſub ſymbolo aquæ & fontium ex quibus bibant, qui doctrinas ex ore eorum hauriunt. Jam vero laudantur non ſolum *fontes frigidi*, ſed etiam *thermæ*, quarum non exigua in Aſia copia. Frigidus & fervidus paſſim refertur ad agnitionem miſeriæ & ad Zelum, ſed ſic aliquid vitii im frigore ponitur, cum tamen in fontibus laudetur frigus. Nempe ſunt *frigidi* fontes, ſunt ad communem uſum aptiſſimi, & ſitim reſtinguunt, *calidi* autem ad medicinalem, ita officium Doctorum verſatur tum circa ſana Eccleſiæ membra, tum circa morbida. Adeoque Doctor nec frigidus nec calidus eſt, qui talem doctrinam profert, quæ inutilis eſt tam ſanis, quam ægrotis: quæ nullum ſanorum & ægrotorum diſcrimen facit &c.

AD

AD VS. 16.

Evomam) Fontes tepidi maxime ſpernuntur. Aqua tepida ad vomitum ſolet ægris porrigi. Doctrina talium, qui abſque ullo diſcrimine omnia confundunt, qui vera ac falſa Eccleſiæ membra eodem loco habent, non ſapit Chriſto myſtico, id eſt fidelibus ſpiritu judicii impletis, qui omnia guſtant, & tantum quæ bona ſunt, retinent. Hi nequeunt talem doctrinam approbare, & ab iis, qui illam proferunt tamquam a mercenariis, qui non ſunt paſtores, fugiunt

AD VS. 17.

Quia dicis) Hoc non ſolum cum præcedenti ſed etiam cum ſequenti verſu 18. poteſt connecti. In priori ſenſu habet fundamentum teporis, nempe perſuaſionem de ſtatu Eccleſiæ felici. In poſteriori ſenſu continet anſam conſilii, quod vs. 18. datur.

Dives ſum & ditatus ſum) Prius reſpicit ad bona N. T. generalia, in quibus ſolent tepidi Doctores multum gloriari, poſterius ad cumulum, qui poſt horam tentationis accedat.

AD VS. 18.

Conſulo tibi) Inter varias alluſiones, quas STEPH. LE MOYNE ad Jerem. XXIII. Cap. V: 26. producit, nulla eſt melior, quam quæ fit ad opes & mercaturam, quam Laodiceni exercebant. Tria hujus conſilii membra ita ſe habent, ut ultimum tamquam medium conſiderari debeat ad duo priora. Duo ergo priora magis directe defectui ſunt oppoſita. *Aurum* generatim omnia ſolida ſpiritualia, interna gratiæ beneficia, quæ per teſtationem inventa ſunt ſolida eſſe. *veſtes albæ* ſigillatim veras juſtitias ſanctorum etiam in tota converſatione revelandas diſignant.

Collyrium) Medicamentum generale ex variis ſuccis & aroma-

Digitized by Google

matibus compoſitum, interne & externe applicatum, quod quaſi panacea quædam apud veteres eſt adhibitum: unde etiam ad oculos aliquando inſtillando applicatum, non tam coecis, quam lippientibus, aut alio vitio minori laborantibus: Optime exprimit panaceam verbi divini, cujus ſymbolum etiam apud Hebræos habere GRELLOTUS Prodrom. p.41. docet. Hinc & Antonin: lib. v. § 26. tamquam ſymbolum Philoſophiæ uſurpat.

AD VS. 19.

Quoſcunque amo) Supereſt ergo pars melior a Deo amata, ſed ipſa teporis rea, Confer Matth. XXV: 5.

Zela igitur & reſipiſce) Hic Zelus tepori fidelium oppoſitus ſimilis eſt illi, cujus teſtimonium Corinthiis exhibetur, 2 Cor. VII: 9. 11. unde quoque reſipiſcentia, de qua hic agitur, non eſt illa, quæ cum regeneratione conjuncta, ſed qua fideles ipſi indigent, quando Zelo implentur propter neglecta a ſe & aliis officia, atque amore Domini pudefacti ardentius eum redamare incipiunt.

AD VS. 20.

Sto ad oſtium) In genere id appropinquantem Dominum indicat ad judicium hoſtium & liberationem Eccleſiæ ſuæ ut Matth. XXIV: 33. Jac. V: 5. Phraſin ex profanis quoque illuſtrarunt BOS in N. T. p. 11. 12. RAPHELIUS ex XENOPH: p.51. Hinc patebit ſtare ad oſtium in concreto non deſignare longanimitatem, uti paſſim interpretantur, ſed inexſpectatum adventum Quod Θύραι ſint emblema ſenſuum ex Euſtathio obſervat VITRINGA in Obſ. lib. III. p. 66. Sed id parum huc pertinet, cum generaliora ſint quærenda. Illuſtrari hæc alllegoria poteſt collato Cant. V: 2. oſtium clauſum hic debet conſiderari ut oppoſitum oſtii aperti, de quo vs. 7. Tale etiam adveniens Dominus invenit Luc. XII: 36. & ex parte bonum ex parte malum ſignificatum habet, In bono ſenſu, quoad Eccleſiam, quæ eſt domus dei, de-

Digitized by Google

ſignat, quod illa in temporibus nubilis ſit tamquam domus clauſa, in qua fideles latent & mundo ſe ſubducunt Jeſ. XXVII: 2. Sed malum ſenſum habet, quod ipſi Domino clauſæ fores inveniantur, quod pertinet ad teporem in eo exſpectando & neglectum verbi Prophetici. Præludium fuit in foribus occluſis Joh. XX.

Vocem meam) Ea a pulſatione diſtinguenda. Hæc fit per varios motus in mundo, qui tamen ſunt vagi, niſi conferantur cum *voce ſponſi* in verbo Prophetico teſtantis

Si quis) Reddi etiam poteſt *quicumque*. Neque enim dubium eſt, quin aperturi ſint fideles audientes vocem Chriſti, id eſt, per veram fidem agnituri, peſſulos timoris remoturi. Εαν non ſemper indicat conditionem ſed rem certo futuram & præceſſuram. Sic Joh. XIV: 3. XVI: 7. 3 Joh. vers. 10. & ο εαν deſignat, *quidquid* Marc. V: 22. 23. Et Joh. XX: 23. Αν τινων *quorumcunque*.

Coenabo cum eo & ipſe mecum) Prius ad œconomiam gratiæ, poſterius gloriæ referrem.

AD VS. 21.

Sedere mecum in throno) phraſin illuſtrat le MOYNE, var. Sacr. II. p. 380 ſq. tum ex Judæorum diſtinctione inter domum judicii ſuperiorem, & inferiorem, tum ex Gentium more, quibus qui per apotheoſes in Deorum numerum relati erant, συνθρονοι dicebantur. *Laodicena* Eccleſia jam certa ratione *ſedebat in thronis* ex promiſſione Matth. XIX: 28. in Eccleſia militante confer. Apoc. XX: 4. Sed gradus ulterior eſt *ſedere in eodem cum Chriſto throno* ſcilicet in Eccleſia triumphante. Quod confertur cum ſeſſione ejus in throno patris, quia ſicut hoc involvit communionem ejuſdem cum Patre majeſtatis, ita quoque exaltatio fidelium involvit communionem gloriæ Chriſti, quoad natura eorum capax eſt.

Digitized by Google

VISIONUM ulterior DEDUCTIO à Cap. IV. uſque ad Cap. XXII.

Tranſimus ad viſum ſeu actum alterum Revelationis noſtræ, qui ad finem libri decurrit.

In præcedenti indicatum erat, quid faciendum ſit Eccleſiæ in variis circumſtantiis poſitæ, ut ad Chriſti adventum glorioſum ſe præparet. Sequentia oſtendunt, quid dominus facere velit, ut per gradus promiſſiones ſuas impleat.

Scopus ergo colludit, nempe ut iterum nova ratione oſtendat, quamvis Deus adventum ultra ſpem non ſit retardaturus, ſupereſſe tamen ſecundum firmum Dei conſilium multa, quæ præmitti debebant.

Hinc theatrum longe illuſtrius, antea tantum terra, nunc totum univerſum coelum cum ſubjecta terra ac mari, uti vel ex C. V: 13. notum. Diſtincte hic nobis imaginari debemus tum theatrum, tum perſonam, quæ illud contemplatur.

Theatrum eſt latiſſimum uti diximus, ſed tamen ita, ut non ſtatim ab initio plene ſe oculis ſiſtat, ſed paulatim.

Diviſum eſt in duas partes majores, *coelum & terram*. Quæ in coelo geruntur magis internum, quæ in terra externum Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt.

Coelum occurrit tum a ſuperiori tum ab inferiori parte conſpiciendum, ab inferiori apparent Sol, luna, ſtellæ, quæ itidem ad externum ſtatum pertinent qui interdum etiam mutatur C. VI: 14. ſuperiori parte conſtanter perſiſtente. vs. 16.

In coelo primo occurrit *thronus Dei*, deinceps *Templum* & quidem ita, ut primo occurrat atrium cum altari Cap. VI: 9. deinceps ipſum Templum hoc apertum Cap. XI: 19. Præter hoc quoque integra ædes ſancta procul dubio in coelo fuit, ſed quæ aut non commemoratur, aut nondum animadverſa eſt a Joanne donec Cap. XXI. a coelo deſcenderet.

Terræ integrum quaſi ſiſtitur hemsphærium in 4 ventos diviſum Cap. VII: 1. in illa mare, inſulæ, flumina magna, puteus cer-

certus abyſſi Sodomiticæ &c. Sigillatim hic puto pandi coram oculis Joannis mare mediterraneum cum ſuis inſulis & adjacentibus regionibus, præcipue verſus orientem, Palæſtinam Syriam & Aſſyriam cum ſuo Euphrate In Palæſtina autem ei occurrit alia Hieroſolyma, aliud Templum a coeleſti diviſum Cap. XI: 2. conjunctum cum monte. Zion. Cap. XIV: 1.

Horum tota facies mutatur Cap. XX: 11. & quæ ſeparata fuerunt, conjunguntur Cap. XXI.

In theatro tam vaſto omnia ſimul Joannis oculis non ſubjiciuntur, unde illum identidem locum mutantem deprehendimus.

Ordo generalis comprehendit.

I. Viſum præparatorium Cap. IV. V.
   A. Remotius Cap. IV.
   B. Propinquius Cap. V.

II. Viſum principale totum ordinem conſilii Divini pandens Cap. VI-XXII.
   A. Quoad certamina Eccleſiæ Cap. VI-XVIII. quæ ita pertractantur, ut
      1. Omnia certo ordine inter ſe connectantur vs. VI-XI. idque
         a. Quoad afflictiones varias ſub 7. ſigillis Cap. VI. VII.
         b. Quoad judicia & victorias de iis, qui has afflictiones inferunt. Cap. VIII-XI.
      2. Illuſtre aliquod certamen cum dracone in regno Antichriſtiano ſpeciatim depingatur Cap. XII-XVIII. ortus Cap. XII. incrementum Cap. XIII. decrementum Cap. XIV. exitus Cap. XV-XVIII.
   C. Quoad liberationem Eccleſiæ Cap. XIX-XXI. quæ comprehendit.
      1. Victoriam cap. XIX.
      2. Glorioſum ſtatum poſt Victoriam Cap. XX. XXI.

VISUM PRÆPARATORIUM.

CAP. IV: VS. 1-11.

1. ΜΕΤΑ ταυτα ειδον, και ιδȣ θυρα ανεωγμενη εν τȣ ȣρανω, και η φωνη η πρωτη ην ηκȣσα ως σαλπιγγος λαλȣσης μετ εμȣ, λεγων, Αναβα ωδε, και δειξω σοι α δει γενεσθαι μετα ταυτα.

1. *Poſtea vidi, & ecce oſtium erat in coelo apertum, & vox prima, quam audiveram inſtar tubæ mecum loquentis, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ poſthac fieri oporteat.*

2. Και ευθεως εγενομην εν πνευματι. Και ιδȣ θρονος εκειτο εν τω ȣρανω. Και επι τον θρονον καθημενος,

2. *Confeſtim igitur coepi eſſe in ſpiritu: & ecce thronus poſitus erat in Coelo, & quidam in throno conſidens.*

3. και ο καθημενος ομοιος ορασει λιθω ιασπιδι και σαρδιω. Και ιρις κυκλοθεν τȣ θρονȣ ομοια ορασει σμαραγδινω.

3. *Is autem qui conſidebat, aſpectu ſimilis erat lapidi Jaſpidi, & Sardio: & thronum circumdabat iris, aſpectu ſimilis ſmaragdo.*

4. Και κυκλοθεν τȣ θρονȣ θρονοι εικοσιτεσσαρες. Και επι τȣς θρονȣς εικοσιτεσσαρας πρεσβυτερȣς καθημενȣς, περιβεβλημενȣς εν ιματιοις λευκοις, και επι τας κεφαλας αυτων σεφανȣς χρυσȣς.

4. *Et circa thronum throni erant viginti quatuor, & in iis vidi conſidentes viginti & quatuor Presbyteros amictos veſtibus albis, & habentes impoſitas capitibus ſuis coronas aureas.*

5. Και εκ τȣ θρονȣ εκπορευονται αςραπαι και φωναι και βρονται. Και επτα λαμπαδες πυρος καιομεναι ενωπιον τȣ θρονȣ, αι εισι τα επτα πνευματα τȣ θεȣ.

5. *Ex throno autem illo prodibant fulgura & tonitrua & voces: & ſeptem lampades igneæ ardentes coram throno, quæ ſunt ſeptem illi Spiritus Dei.*

6. Και ενωπιον τȣ θοονȣ ως θαλασσα υαλινη ομοια κρυςαλλω. Και εν μεσω τȣ θρονȣ και κυκλω τȣ θρονȣ τεσσαρα ζωα γεμοντα οφθαλμων εμπροσθεν και οπισθεν.

6. *Et erat ante thronum mare vitreum ſimile cryſtallo, & in medio throni & circùm thronum quatuor animalia plena oculis ante & retro.*

7. Ani-

7. Και το ζωον το πρωτον ομοιον λεοντι, και το δευτερον ζωον ομοιον μοσχω, και το τριτον ζωον εχον το προσωπον ως ανθρωπος, και το τεταρτον ζωον ομοιον αετω πετομενω.

7. *Animal autem primum ſimile erat Leoni, & ſecundum animal ſimile Vitulo. & tertium animal facie referebat Hominem, & quartum animal ſimile Aquilæ volanti.*

8. Και τα τεσσαρα ζωα εν καθ εν αυτων εχον ανα πτερυγας εξ, κυκλοθεν και εσωθεν γεμουσιν οφθαλμων, και αναπαυσιν ουκ εχουσιν ημερας και νυκτος λεγοντες, Αγιος αγιος αγιος, Κυριος ο Θεος ο παντοκρατωρ, ο ην και ο ων και ο ερχομενος.

8. *Et quatuor animalia ſingula pro ſe habebant alas ſex circumquaque, & intus plena erant oculis, interdiu ac noctu ſine intermiſſione dicentia: Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ille Omnipotens, Qui erat, & Eſt, & Venturus eſt.*

9. Και οταν δωσουσι τα ζωα δοξαν και τιμην και ευχαριστιαν τω καθημενω επι του θρονου τω ζωντι εις τους αιωνας των αιωνων,

9. *Et cum tribuerent illa animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem ei qui inſidebat throno, Illi Viventi in ſæcula ſæculorum.*

10. Πεσουνται οι εικοσιτεσσαρες πρεσβυτεροι ενωπιον του καθημενου επι του θρονου, και προσκυνησουσι τω ζωντι εις τους αιωνας των αιωνων, και βαλουσι τους στεφανους αυτων ενωπιον του θρονου λεγοντες,

10. *Procidebant Viginti quatuor illi presbyteri coram conſidente in throno illo & adorabant illum Viventum in ſæcula ſæculorum, & projiciebant coronas ſuas ante thronum, dicentes:*

11. Αξιος ει Κυριε Θεος ημων λαβειν την δοξαν και την τιμην και την δυναμιν. Οτι συ εκτισας τα παντα, και δια το θελημα σου ησαν και εκτισθησαν.

11. *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem, & potentiam, quia tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.*

ANALYSIS Cap. IV.

Nunc ergo inchoamus a viſo præparatorio, in quo duo intendit Spiritus Chriſti, tum ut doceat firmum in coelis permanere propoſitum de Eccleſia glorificanda per adventum Chriſti

in regnum ejus, tum ut ſimul exhibeat fundamentum infallibilis hujus ſpei.

Ad priorem ſcopum pertinet, quod in hoc viſo occurcurrat Eccleſia univerſalis glorificata in tali ſplendore, in quo non ante poterit ſiſti, quam in ultimis temporibus Eccleſiæ. Talia etiam in hoc viſo prædicata occurrunt, quæ nos neceſſario ad ea reſtringunt, quia ad nulla tempora præcedentia applicari poſſunt v. gr. 1 XXIV. Presbyteri 2. mare vitreum inſtar cryſtalli coll. Apoc. XV: 3. tota creatura Cap. V: 13.

Neque tamen inde ſequitur, quod quæ cap. VI. *ſq.* de 7. ſigillis occurrunt, poſt hanc viſionem etiam quoad tempus ſint ordinanda. Viſum enim hoc eſt quaſi Prologus in totum ſequentem actum: atque oſtendit, quo tendant viæ illæ, quæ longo ordine in ſequentibus deſcribendæ.

Cum autem duo præcipue ſint fundamenta firmitatis promiſſionum Dei, beneplacitum Patris & meritum Filii, ſingula, hæc ſigillatim percenſentur.

Ad prius pertinet Cap. IV. ad poſterius Cap. V.

In priori diſtinguimus.

I. Aperturam ſcenæ vs. 1. 2. part. pr. in qua

A. Repræſentatio nova Joanni facta vs. 1.

1. Quoad viſum: *Poſtea vidi, & ecce, oſtium apertum in cœlo*

2. Quoad auditum, ubi commemorat

a. Quem audiverit: *Et vox illa prima, quam audivi inſtar tubæ loquentis mecum*

b. Quid audiverit: *dicens, adſcende huc &c.*

B. Effectus Ecſtaſis vs. 2. *Et confeſtim* &c.

II. Viſum ipſum throni cum adjunctis, quæ nobis exhibemus ſub forma amphitheatri, cujus tum circuitus tum interior area deſcribitur. Utque eo vividius nobis figuram hujus repræſentaminis imprimamus, ſupponimus amphitheatrum hoc partibus templi reſpondere. Thronus non fuit in templo, nam iſtud clauſum eſt uſque ad Cap. XI. finem, ſed ſupra iſtud evectus. Hic conſtituebat partem occidentalem amphitheatri. Pars orientalis conſtabat ex XXIV. aliis thronis pres-

Digitized by Google

preſbyterorum aliquantum depreſſioribus & aream atrii Sacerdotum cingentibus: reliqua in interiori circulo conſpiciuntur.

A. Exterior circuitus delineatur vs. 2-4.

1. Pars ejus in ſublimius ſupra templum evecta occidentalis vs. 2. 3. deſcribitur

a. Generatim vs. 2.

α. Quoad thronum: *Et ecce thronus poſitus erat in coelo.*

β. Quoad inſidentem: *Et in throno (erat) ſedens.*

b. Speciatim vs. 3. deſcribitur

α. Adſpectus inſidentis: *Et ſedens ille erat &c.*

β. Ornatus throni: *Et iris erat in circuitu throni ſimilis adſpectu ſmaragdino* (ſcilicet colori)

2. Pars ejus depreſſior orientalis atrium complectens vs. 4.

a. Throni alii: *Et in circuitu throni* (id eſt, circulum quaſi ante thronum conficientes) *erant throni XXIV.*

b. Inſidentes illis, conficientes

α. Certa ſubjecta. *Et vidi illos XXIV. Seniores*

β. Prædicata deſcribentia eorum honorem

א. Ex ſitu, *in thronis ſedentes*

ב. Ex habitu: *amictos* &c.

B. Interioris areæ memorabilia, quæ iterum ſunt duorum generum

1. Quædam ad partem throni ſublimiorem pertinebant, atque immediate cum eo conjuncta erant. vs. 5. Hæc comprehendunt

a. Proxime ſigna quædam illuſtria præſentis majeſtatis Divinæ: *Et ex throno illo proficiſcuntur* &c.

b. Paulo remotius, quamvis connexum cum his ſignis candelabrum fulgidum. *Et 7 lampades.*

2. Quædam in parte depreſſiori & area ante thronum notanda:

a. Mare vitreum: *Et coram throno mare vitreum* &c.

b. Certa quædam animalia, quorum deſcriptio uberior datur vs. 6. med. --11.

α. Quoad externum adſpectum vs. 6. med.-8. med:

א. Ratione ſitus: *& in medio throni illius & in circuitu*

Digitized by Google

cuitu throni illius 4 animalia.

ב. Ratione formæ.

a. Facierum.

1) Quid omnibus commune vs. 6. fine *plena oculis ante & retro.*

2) Quid ſingulis peculiare vs. 7.

b. Alarum vs. 8. *Et 4 animalia, unumquodque pro ſe habebant alas ſex in circuitu & intus plena oculis.*

β. Quoad opus vs. 8. med: 11.

א. In præſenti vs. 8. *interdiu ac noctu &c.*

ב. In futuro vs. 9-11. quod opus deſcribitur.

a. In ſe vs. 9. *Et quando dabunt. &c.*

b. Relate ad Seniores, qui cum illis in hac doxologia ſe juncturi vs. 9-11. Horum notantur.

1. Actiones tres.

a) Proſtratio: *Procident &c.*

b) Adoratio: *Et adorabunt &c.*

c) Coronarum projectio *Et jacient &c.*

2. Verba argumentum doxologiæ exhibentia vs. 11. in quibus eſt.

a) Confeſſio gloriæ Domini, *dicentes, dignus es &c.*

b) Ratio: *quia tu* &c.

SCHOLIA AD. VS. 1.

Janua aperta in coelo) Præparatorium hoc ad ſequens viſum. Nondum enim in ecſtaſi erat Joannes. Quare phænomenon hic, quale in Baptiſmo Chriſti &c. ſtatuendum, quod Evangeliſtæ ante ecſtaſin exhibitum, veritatem ſequentis viſionis ecſtaticæ confirmabat.

Quæ poſthac fieri oportet) Eadem verba hic redeunt; quæ Cap. I: 19. illuſtravimus. Qui totam viſionem 7. ſigillorum ad tempora ultima referunt, *μετα ταυτα* connectunt cum 7. Epiſtolis.

Sed

Sed hæc reſtrictio in loco ciato non occurrit. Potius ergo eſſe cenſemus, ut referatur ad tempus viſionis, quo pacto edocemur, quidquid ſequitur, eſſe Prophetiam de fatis futuris, ſed quæ terminum a quo habebant in illo temporis articulo, in quo conſtitutus erat. Et certe non ſubordinata, ſed cordinata eſſe viſa ſuadet 1) theatrum mutatum 2) revelationum diverſitas. *Illa* auribus, *hæc* oculis, illa animo præſenti & vigilanti, *hæc* in ecſtaſin rapto, *illa* conſilia Eccleſiæ præſcribit, *hæc* decreta ipſius Die enarrat.

AD. VS. 2.

Factus ſum in Spiritu) Redierat ad ſe, dum dictata exceperat, nunc iterum extra ſe rapitur.

AD. VS. 3.

Jaſpidi & Sardio) Cum Sardium referre Hebr. אדם a Viris Doctis abunde ſit probatum, hic habemus duos lapides, qui in pectorali Pontificis primum & ultimum locum conficiebant. Non facio cum iis, qui jaſpidi hic viridem colorem tribuunt, Nihil ille habet cum adſpectu perſonæ commune, Neque etiam idem utrique gemmæ color debet adſignari. Diligentiſſimus hujus rei indagator BRAUNIUS II: 19. oſtendit Jaſpidem apud veteres fuiſſe cryſtallo ſimilem, ſed vehementius colorem intendentem, & de rubro participantem. Unde LXX. Interpretibus nata eſt occaſio per Ονυχιον vertendi. *Fulva* appellatur Aeneid: IV: 261.

- - - - - - - - - - - - *Stellatus jaſpide fulva*
Enſis erat.

In quem verſum conſuli merentur MEMOIR: de l' Academ: Royal: Tom: II: p. 471. ſq. Cum ergo Sardius ſit igneus & ſpeciem ſanguinis referat: Jaſpis ruborem albicantem exprimit, adeoque hic color analogus eſt colori chalcolibano, de quo ad Cap I: vs. 15.

Iris circumdabat thronum) Adeoque non caput, coronæ inſtar, uti vult Cl. VITRINGA. Nec ſemicirculum, ut alii, ſed integrum conficiebat rotunditate ſua abſoluta, & æternitatem Regni Dei & univerſalitatem deſignans, præcipue poſt Eccleſiam militantem & triumphantem propriori communione devinctam.

Aſpectu ſimilis ſmaragdo) Nempe quoad circuli partem exteriorem. Interior enim procul dubio ex analogia iridis igneo fulgore throni & ſedentis ſuper eum illuſtrata rubrum colorem retulit.

AD VS. 4.

XXIV. *Seniores*) Hi ſpectandi non ſolum ut antitypus XXIV Ordinum ſacerdotalium, ſed etiam Leviticorum, in miniſterio ſuo. Videbimus enim ipſos, qua ſacerdotes mox *phialis*, ſed qua Levitas *citharis* inſtructos. Repræſentant miniſterium Eccleſiæ univerſalis. Numerus. XXIV. conſtat duplici duodenario. Nec ſolum univerſalitas ratione loci, ſed etiam ratione temporis ſpectanda. Nam in templo ephemeriæ nunquam ſimul, ſed alia poſt aliam adſcendebat. Clare ergo hic ſpectatur hebdamada anni myſtici ultima & tempus, quo omnes omnium temporum Doctores, certa ratione in unum collecti *ſplendebunt ut ſtella.*

In thronis ſedentes) *Sedere* ſymbolum eſt quietis poſt laborem tranſactum. *Sedere in thronis* alludit ad poteſtatem judicialem, quæ Sacerdotibus V. T. competebat:

AD VS. 5.

Prodibant fulgura & tonitrua & voces) ut Trinitatis myſterium in hoc viſo eo diſtinctius animadvertatur, hic cogitandum de operationibus Spiritus Sancti: Analogus eſt Dan. VII: 10. fluvius ignis, & Apoc. XXII. fluvius aquæ vivæ ex eodem throno prodiens. Quod eo facilius eſt conceptu, quia ſeptem Lampades ignis ante thronum per ignem ex throno prodeuntem accenſæ, adeoque eodem igne throni rutilantes, eaſdem operationes Spiritus relate ad Eccleſiam univerſalem exprimunt. *Prodire ergo*

Digitized by Google

go e throno, hic idem eſt, quod Joh. XV: 26. *procedere a Patre.* Duplicia autem ſigna efficaciæ Spiritus Sancti hic conjunguntur *viſui* partim, partim *auditui* oblata. Ad prius ſpectant *fulgura*, ad poſterius *tonitrua* & *voces*, illa terrori hoſtium, hæ incitamento Eccleſiæ inſervientes.

Septem lampades, quæ ſunt 7. Spiritus) Confer Cap. I: 4.

AD. VS. 6.

Mare vitreum) Omnino requieſco in VITRINGÆ exegeſi. Tantum notetur, mare hoc vitreum debere conſiderari tamquam pavimentum toti throno ſubſtratum, & per totum atrium ſe extendens, uti ex coll. Apoc. XV: 2. facile liquet.

Et in medio throni & circuitu throni) Quoad locum, in quo animalia conſpiciebantur, putem apparere, quod ita in medio throni ſint locanda, ut tamen in circuitu throni ſteterint. Nempe quia ſuppoſuimus theatrum duobus ſemicyclis conſtitiſſe editiori & depreſſiori in ipſa illa medietate hos ſemicyclos dividente locata fuiſſe animantia, nobis apparet. Sic ſimul immediate *ante throni baſin*, ſimul, *ſub throni* uti Ezechieli, apparent.

Quatuor animantia) Animantia hæc analoga fuere Cherubinis antiquiſſimis præſentis Majeſtatis divinæ teſtibus, uti liquet ex Gen. III: 24. Emblemata ſunt omnium miniſtrorum extraordinariorum omnium temporum. Proxime enim coram throno ſunt conſtituti. Et quaternarius pertinet ad univerſalitatem Eccleſiæ, æque ac XXIV. Presbyterorum alluſione procul dubio facta ad caſtra Iſraelis quadripartita. Num. II: 1. & ſq. Quamvis enim neſciamus, an fundamentum habeat Judaica traditio de 4 vexillis Judæ, leonis, Rubenis, hominis, Ephraimi bovis, & Danis aquilæ, nihilominus traditionis hanc baſin fuiſſe cenſemus, quod 4 animalia Ezechielis reſpectum habuerint ad 4 caſtra Iſraelis, per quæ univerſalitas Eccleſiæ repræſentata. Quidam univerſalitatem non ſolum loci, ſed etiam temporis reſpici putarunt in 4 Oeconomias Eccleſiam dividentes.

Oculis ante & retro) Illis ad Eccleſiam, his ad thronum directis.

Digitized by Google

AD. VS. 7.

Animal primum) Ex Ezechiele conſtat, ſingula animalia 4 capita habuiſſe, ſed a fronte ea adſpexit Joannes, ita ut unus tantum vultus ei apparuerit, cæteris averſis. Compingere veteres in hieroglyphicis animantia diverſa in unum ſolebant. Sphinges &c. vide & SPANHEM: de Numm: Tom. I, p. 241. 242.

AD VS. 8.

Plena oculis) Hoc ut diſtinguatur a vs. 6. ad ipſas alas referri poteſt.

Et requiem non habent interdiu & noctu dicentia) confer Jeſ. LXII: 6, 7. Verba hæc ad totam Eccleſiæ oeconomiam ſunt extendenda, quæ per vices *dierum & noctium* gubernatur. Quæ etiam cauſſa eſt, varietatis inter hunc locum & Ieſ. VI. Nec enim hic dicitur: *omnes terra gloria ejus repleta ſunt*; ſiquidem hoc non conveniſſet cum ſtatu *noctis*, ſed ſimpliciter id teſtimonium ſanctitatis Deo perhibetur, quod in omnibus viis ſuis, etiam maxime nubilis meretur. Unde etiam ex parte conſiderat ut illum, qui jam fuerat & erat, ſed ex parte tanquam adhuc futurum. Et hinc patet fundamentum diſtinctionis inter hunc verſum, & euchariſtiam commatis ſequentis. Hic enim indicatur quid ſemper faciant; & commate ſequenti, quid facturi ſint. Exhibent autem Apoſtoli & Prophetæ hanc doxologiam Deo tum immediate in çoelo, tum per ſcripta in terris.

AD VS. 9.

Et cum daturi ſunt) Mirum eſt, quomodo Viri Docti, nimium in enallagis luxuriantes non animadverterint ad *futurum*, hoc & ſequenti commate continuatum, præcipue, cum ipſum ſchema id exhiberet; nam *ſedentes* in throno Presbyteros videbat, cum hic prædicatur illos *prociſuros* & coronas *abjecturos*. Ac-

Accedit, quod non agatur de mera doxologia, ſed cum euchariſtia conjuncta. Adeoque hic tantum prædicitur id quod Cap. V: 11. actu accidere animadvertitur. Ratio autem hujus prolepſis eſt, quia Spiritus Sanctus ſigillatim volebat exhibere, primo, quomodo Thronus gratiæ thronus Patris eſſet, ſequenti capite oſtenſurus, quomodo etiam eſſet thronus Agni, unde hoc capite conjungit ea, quæ demonſtrabant, primam gloriam totius operis ſalutis ad Patrem redire.

AD VS. 11.

Accipere gloriam & honorem & potentiam) λαβειν hic involvit idem, ac ſumere, aut tibi vindicare ut talia, quæ tibi debentur *Gloria* hic deſignare poteſt perfectionum divinarum agnitionem, honoris cultum inde fluentem, *potentia* jus dominii, eo magis, quia δυναμις *poteſtatem & facultatem* exprimit, æque ac כוח. Dan. I: 4. & גבורה auctoritatem Regiam 1 Reg. XV: 23. XVI: 7, 27. XXII: 46. Et ratione Dei poteſtatem agendi in regno ſuo, quæ vult. 1 Chron. XXIX: 11, 12. Pſ. CVI: 2. CXLV: 4, 11, 12. &c.

Quia tu creaſti omnia) qua cauſſa efficiens.

Et propter voluntatem tuam ſunt & creata ſunt) qua cauſſa finali. *Voluntas* hic eſt conſilium gratiæ, quo Deus voluit glorificari in Redemtione peccatoris. Proptur illam *omnia ſunt*, totusque mundus gubernatur: propter illam omnia *creata ſunt* creatione ſecunda, per Chriſtum & Spiritum ejus.

VISI PRÆPARATORII Expoſitio ulterior

CAP. V. vs. 1-14.

1. Και ειδον επι την δεξιαν τȣ καθημενȣ επι τȣ θρονȣ βιβλιον γεγραμμενον εσωθον και οπισθεν, κατεσφραγισμενον σφραγισιν επτα.

1. *Deinde vidi in dextra Sedentis in throno librum ſcriptum intus & in tergo, obſignatum ſigillis ſeptem.*

2. Και ειδον αγγελον ισχυρον κηρυσσοντα εν φωνη μεγαλη, Τις αξιος ανοιξαι το βιβλιον και λυσαι τας σφραγιδας αυτȣ;

2. *Et vidi Angelum robuſtum clamantem voce magna: Quis eſt dignus qui aperiat librum, & ſigilla ejus ſolvat.*

3. Και ȣδεις εδυνατο εν τω ȣρανω, ȣδε επι της γης, ȣδε υποκατω της γης, ανοιξαι το βιβλιον, ȣδε βλεπειν αυτο.

3. *Nemo autem poterat in coelo, neque in terra, neque ſubter terram, aperire librum, nec eum inſpicere.*

4. Και εγω εκλαιον πολυ, οτι ȣδεις αξιος ευρεθη ανοιξαι το βιβλίον, ȣτε βλεπείν αυτο.

4. *Et ego multum plorabam neminem dignum inventum eſſe qui aperiret & legeret librum, nec qui eum inſpiceret*

5. Και εις εκ των πρεσβυτερων λεγει μοι, Μη κλαιε. Ιδȣ ενικησεν ο λεων ο εκ της φυλης Ιȣδα, η ριζα Δαυιδ, ανοιξαι το βιβλιον και τας επτα σφραγιδας αυτȣ.

5. *Tum unus ex Presbyteris mihi dixit. Ne fleto. Ecce vicit Leo ille qui eſt ex tribu Juda, Radix Davidis, ut aperiat Librum, & ſolvat ſeptem ejus ſigilla.*

6. Και ειδον εν μεσω τȣ θρονȣ και των τεσσαρων ζωων, και εν μεσω των πρεσβυτερων, αρνιον εστηκος ως εσφαγμενον, εχον κερατα επτα και οφθαλμȣς επτα, οι εισι τα επτα πνευματα τȣ θεȣ τα απεσαλμενα εις πασαν την γην.

6. *Et vidi & ecce in medio Throni & quatuor Animantium & in medio Presbyterorum, Agnus ſtans velati mactatus, habens cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem illi Spiritus Dei miſſi in totam terram.*

7. Και ηλθε και ειληφε το βιβλιον εκ της δεξιας τȣ καθημενȣ επι τȣ θρονȣ.

7. *Et venit & accepit Librum è dextra conſidentis in Throno.*

8. Και οτε ελαβε το βιβλιον, τα τεσσαρα ζωα και οι εικοσιτεσσαρες πρεσβυτεροι επεσαν ενωπιον τȣ αρνιȣ, εχοντες εκασος κιθαραν, και φιαλας χρυσας γεμȣσας θυμιαμάτων, αι εισιν αι προσευχαι των αγιων.

8. *Cumque accepiſſet Librum quatuor illa Animalia, & viginti quatuor Presbyteri, prociderunt coram Agno habentes ſinguli citharas, & phialaſ aureas, refertas ſuffimentis, quæ ſunt preces ſanctorum.*

9. *Et*

9. Και αδουσιν ωδην καινην λεγοντες, Αξιος ει λαβειν το βιβλιον και ανοιξαι τας σφραγιδας αυτου. Οτι εσφαγης, και ηγορασας ημας εν τω αιματι σου εκ πασης φυλης και γλωσσης και λαου και εθνους.

10. Και εποιησας αυτους τω θεω ημων βασιλεις και ιερεις, και βασιλευσομεν επι της γης.

11. Και ειδον και ηκουσα φωνην αγγελων πολλων κυκλω του θρονου και των ζωων και των πρεσβυτερων. Και ην ο αριθμος αυτων μυριαδες μυριαδων και χιλιαδες χιλιαδων,

12. Λεγοντες φωνη μεγαλη, Αξιον εστι το αρνιον το εσφαγμενον λαβειν την δυναμιν και πλουτον και σοφιαν και ισχυν και τιμην και δοξαν και ευλογιαν.

13. Και παν κτισμα ο εστιν εν τω ουρανω, και επι της γης, και υποκατω της γης, και επι της θαλασσης, και τα εν αυτοις, παντας ηκουσα λεγοντας, Τω καθημενω επι του θρονου και τω αρνιω η ευλογια και η τιμη και η δοξα και το κρατος εις τους αιωνας των αιωνων.

14. Και τα τεσσαρα ζωα ελεγον, Αμην. Και οι πρεσβυτεροι επεσαν και προσεκυνησαν.

9. *Et canebant canticum novum, dicentes: Dignus es qui accipias Librum & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo ſanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & gente.*

10. *Et feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes: & regnabimus in terra.*

11. *Et vidi & audivi circum thronum, Animalia & Presbyteros, vocem Angelorum multorum, & erat eorum numerus myriades myriadum & chyliades chyliadum*

12. *Dicentium voce magna: Dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat potentiam, & divitias, & ſapientiam & robur & honorem & gloriam, & benedictionem.*

13. *Quin & res omnes creatas, quæ in coelo ſunt & in terra, & ſubter terram, & quæ in iis ſunt omnia audivi dicentia: Ei qui inſidet throno & Agno ſit benedictio & honor & gloria, & robur in ſæcula ſæculorum*

14. *Quatuor autem illa Animantia dicebant, Amen: & viginti quatuor illi Presbyteri prociderunt in facies ſuas, & adorarunt Eum, qui vivit in ſæcula ſæculorum.*

Nunc

ANALYSIS. Cap. V.

Nunc tranſit Spiritus Prophetiæ ad fundamentum proximum certitudinis promiſſionum Dei, quod eſt perfectiſſimo merito innitens, & ſufficiens tanto operi, Filii tamquam conſummati Sacerdotis & Regis poteſtas, quæ Cap. V. ita exhibetur, ut *primo* enarretur, quomodo implementum Teſtamenti ac promiſſionum Divinarum ei ſit demandatum vs. 1-7. *Secundò*, quam glorioſas ſequelas ſuſceptio tanti operis habuerit vs. 8-14.

I. Demandatio implementi decretorum Dei de glorioſo Eccleſiæ ſtatu certo ordine promovendo admodum ſolenniter inſtituitur.
  A. Præparatio ad eam fit vs. 1-5.
    1. Per demonſtrationem inſufficientiæ omnis creaturæ. vs. 1-3. quæ ita inſtituitur, ut
      a. Objectum, de quo agebatur, in viſione exhibeatur vs. 1. *Et vidi* &c.
      b. Invitatio ad ſuſcipiendum opus proponatur vs. 2.
      c. Defectus poteſtatis ad illud requiſitæ in univerſa creatura demonſtratur vs. 3. *Et nemo poterat in coelo, neque in terra, neque ſub terra aperire librum, neque videre illum*, id eſt, illorum, quæ in eo ſcripta ſunt implementum
    2. Per indicium talis perſonæ, quæ debitam ſufficientiam habebat ex occaſione moeſtitiæ Joannis, ubi
      a. Ploratus ejus cum cauſſa adjecta deſcribitur: *Et ego plorabam multum, quod nemo dignus eſſet inventus neque ad aperiendum & legendum librum neque ad videndum*
      b. Solamen adhibitum vs. 5.
        α. Perſona *Tum unus ex presbyteris.*
        β. Verba ipſa, continentia
          א. Interdictum flendi *Ne fleto.*
          ב. Ratio addita. *Vicit enim Leo &c.*
  B. Ipſa demandationis ſolennitas vs. 6. 7. in qua deſcribitur
    1. Subjectum, cui opus demandabatur vs. 6.
    2. Ritus demandationis vs. 7.

II. Se-

Digitized by Google

II. Sequelæ glorioſæ hujus rei continentes doxologias egregias a choris diverſis exhibitas. Chori illi tres ſunt, qui quatuor quaſi ſcenas ſibi invicem ſuccedentes conficiunt. Priores duæ ſcenæ ad agnum, tertia ad Deum & agnum, quarta ad Deum directa

A. Præit chorus ſemicirculum immediate ante thronum conficiens animalium & presbyterorum vs. 8-10. ubi.

1. Recenſentur δοξολογȣντες.

a. *Quatuor illa animalia.*

b. *Et viginti quatuor presbyteri habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas ſuffimentis, quæ ſunt preces Sanctorum.*

2. Celebratio eorum,

a. Geſtu: *Cum recepiſſet librum, prociderunt coram agno.*

b. Voce vs. 9. cujus exprimitur.

α. Modulamen, *Et canunt canticum novum, dicentes.*

β. Argumentum continens:

א. Agnitionem excellentiæ & ſufficientiæ agni: *dignus es* &c.

ב. Fundamenta illius.

a. Præterita.

1) Generalius impetrationem ſalutis: *quoniam mactatus es.*

2) Specialius applicationem ſalutis per duo genera beneficiorum gratiæ.

a) Commune: *Et emiſti nos &c.*

b) Speciale vs. 10. *Et feciſti nos.*

b. Futurum. *Et regnabimus in terra.*

B. Sequitur chorus angelorum totum amphitheatrum cingens vs. 11. 12.

1. Deſcribuntur δοξολογȣντες vs. 11.

2. δοξολογια ipſa vs. 12.

a. Modus: *dicentes voce magna.*

b. Verba. *Dignus eſt Agnus* &c.

C. Hos excipit univerſalis concentus eorum, qui in terra, ſub terra & in mari ſunt, vs. 13.

1. Deſcribuntur δοξολογȣντες: *Et omnem creaturam, quæ eſt in coelo & in terra, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & omnia, quæ ſunt in illis, audivi dicentes.*

2. δοξολογια. *Ei qui inſidet throno, & Agno* &c.

D. Claudit chorus interior vs. 14.

1. Animantium. *Quatuor autem illa* &c.

2. Presbyterorum. *Et viginti quatuor illi Presbyteri* &c.

SCHOLIA AD. VS. 1.

Librum) Non poteſt eſſe liber legis, uti SCHUURMANNUS cenſet. Ille 1) non erat occluſus, ſed apertus, quia Moſes ſingulis ſabbathis legebatur. 2) non erat obſignatus, poſteaquam agnus mactatus fuerat, qui per ipſam mortem omnia legis impedimenta ſolvit. Objectio, quod nemo indignus ſit aperire hunc librum & ſolvere ſigilla ejus, cum in libro Prophetiarum fas ſit legere, concidit. α) Quia aperire ſigilla hic plus eſt, quam ſenſum aſſequi β) quia etiam ad id nemo dignus eſt, niſi per ſanguinem agni.

Intus & in tergo) Quatenus *in tergo* erat conſcriptus etiam ante reſignationem legi poterat, adeoque per illam ſcriptionem intelligimus, quidquid de decretis Dei in Prophetiis exſtat, & conſequenter legi atque animadverti poteſt, ſtudium afferentibus, ſed *intus* reſpicit ad id, quod in decretis adhuc eſt reconditum

Obſignatum ſigillis ſeptem) Formam hujus obſignationis recte concepit VITRINGA. Sigilla hic in littera debent conſiderari tamquam ſigilla ipſius Dei, annulo quaſi ejus ſignatorio ſingulis voluminibus addito. Aut enim ſunt ſigilla divina, aut humana. Poſteriora ſolvere non indignæ ſunt omnes creaturæ. Et cujus liber eſt, ejus quoque ſigilla ſunt. Illa ergo aliquid deſignabunt 1) quod character eſt ipſius gloriæ divinæ. Nam in ſigillo poſſeſſoris character eſt expreſſus. 2) quod impedimentum afferebat, ne decreta Dei in actum deducerentur 3) quod propter ſum-

Digitized by Google

ſummam Dei ſanctitatem ita inviolabile erat, ut relate ad hominem, omnis ſpes decollaret 4) ad quod ſolvendum agni mactatio requirebatur. Hæc criteria conſpirant in juſtitiam Dei, qua legem ſuam ſanxit, commodeque ad eam applicantur. Sed quid *ſeptenarius*? Illum retulerim ad ſeptuplicem culpam per Epiſtolam expreſſam, quæ ſi pleno ſuo jure Deus agere voluiſſet implementum promiſſionum ejus toties de novo retardaſſet. Verum ſepties identidem adeoque ſemper intercedens merito ſanguinis ſui agnus omnia illa ſigilla ita ſolvit, ut non rumpat, ſed integra conſervet, & nihilominus curet, ut Deus promiſſa ſua exhibeat. Confer ſeptuplices aſperſiones ſanguinis in V. T. unde liquet ſeptenarium Sigillorum æquo paſſu currere cum ſeptenario Epiſtolarum.

AD VS. 2.

Angelum robuſtum) Diſtinctum ab angelis coeteris, adeoque procul dubio Spiritum Sanctum.

Angelum Gabriel) cujus proprium officium eſt convincere mundum de peccato & juſtitia & judicio. Nec obſtat, quod idem dicatur Angelus. Nam & agnus Apoc. VIII. occurrit ut Angelus ſacerdos. Conſiderandus autem ut clamans per præcones Evangelii, velut Apoc. XIV. 2.

AD VS. 3.

Aperire librum nec videre ipſum) In contextu actus diſtinguuntur, qui diſtingui debent, *accipere*, *aperire*, *reſignare*, *legere*, *videre* 1. *Accipere* vs. 7. jam involvit divinam dignitatem, quia ſupponit talem, cui Deus ipſe ſigillum ſanctitatis ſuæ quaſi in depoſitum dat, & qui idoneus eſt ad eam etiam inter peccata ſartam conſervandam. 2. *Apertura* collocatur ante reſignationem vs. 2. & 5. adeoque indicat ſignaculum Dei non ab initio ſed in fine ſingulorum voluminum in dorſo eſſe poſitum, tamquam impedimentum transeundi ad ſequens volumen. Quo ſuppoſito a) ſeptem quidem ſunt ſigilla, ſed octo volumina

 quo-

Digitized by Google

quorum ultimum & internum plenam gloriam, ſeptem autem præcedentia exteriora, gradus ſeptem ad illam præparantes deſignabunt. b) primum volumen conſideratur tamquam jam *reſignatum*, ſed nondum *apertum:* nempe quia prima periodus jam poſt mortem Chriſti & ſublatam Rempublicam Judæorum deſluere inceperat, ſed nondum recte agnoſcebatur, inde ſolius Chriſti erat tamquam Prophetæ ſummi per Spiritum ſuum ſcopum omnium viarum Domini edocere. 3) *Reſignatio*, nempe inciſo filo, ſalva manente cera eſt ipſa per meritum Chriſti remotio impedimentorum, tali modo, ut ſigillum filii Dei undique reluceat 4) *Lectio* eſt tum intima & adæquata cognitio, tum etiam accuratus ſecundum ichnographiam conſilii Divini progreſſus Zach. III: 13. Hebr. VIII: 5. 5.) *Viſio* eſt experimentalis per executionem ipſam Pſ. XLV: 5.

AD VS. 4.

Ego flebam) Neceſſario hic Joannes repræſentabit Eccleſiam ipſam in afflictione ſimili, ac in quali Joannes erat, conſtitutam, quia alio reſpectu ipſum Joannis miniſterium per 4 animalia fuit adumbratum.

AD VS. 5.

Vicit ut aperiat & ſolvat) Attendatur ad nexum inter victoriam Chriſti & aperturam ac ſolutionem ſigillorum. Hic eſt ſcopus illius. *Aperit* enim ut Propheta, *ſolvit* ut Sacerdos conſummatus, utrumque a *victoria* Satanæ & inferni dependet. Teſtamentum novum non poterat aperiri, antequam mortuus eſſet teſtator.

AD VS. 6.

In medio throni & quatuor animantium, & in medio Seniorum) Duplex repetitio τυ ιν μεσω involvit, quod agnus conſtiterit non

non in ſemicyclo ſuperiori templi, ſed inferiori atrii, ejusque medium occupaverit locum, ita ut hinc thronum, & quæ ejus hemicyclum dividebant, animalia, illinc corona 24. ſeniorum æque late diſtarent: Locus hic ſecundum litteram phraſin ſumendo, non eſt alius, quam quem altare holocauſtorum occupabat, quod cum Cap. ſequenti itidem appareat, hinc agnum tamquam mactatum mihi videor videre tamquam conſtitutum erectum in pedes, uti cætera quatuor animalia in altari, ſicque ſtantem, & quaſi ex mortuis ſe exſerentem, & perpetuum ſacrificitum per obedientiam ſuam pro Eccleſia offerentem. Sic omnia belle fluunt, quoniam agnus, victima frequentiſſima, ut non ſolum agni paſchales, ſed etiam ſacrificiorum jugium docent. In eo quoque ſpecialis potuit eſſe anſa, cur hic agnus ſimul ut Leo conſideretur. Notum enim eſt, Judæos ignem ſacrum *Ariel*, ſive *Leonem Dei* appellare.

Septem cornua & oculos) Quid ſi oculi in cornibus. Sic Ægyptii ſceptrum cum oculo. Sic colludit ſymbolum candelabri, cujus rami cornuum, cujus lumen oculorum inſtar.

Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei) Nulla eſt difficultas in conſtructione cur non hic 7. æque ad cornua ac ad oculos referatur. Nam & omniſcientiæ ſeu providentiæ & omnipotentiæ Chriſti gloriam Spiritus revelat, qui in ipſo eſt non ſolum Spiritus conſilii, ſed etiam roboris Jeſ. XI: 2. Sic & Zachar. IV: 6. Neque obſtat maſculinum οι, quod ex eo oritur, quoniam ὀφθαλμοὶ proxime præcedunt interea hic verſus conferendus eſt, cum Apoc. IV: 5. uti ex coll. I: 4. conſtat intelligi Spiritum Sanctum. Verum in alia relatione. Illic relate ad divinæ cauſſæ plenitudinem, hic relate ad Chriſtum & Eccleſiam. Illic relate ad originem, *Patrem luminum*, unde omnia bona dona, hic relate ad effecta.

AD VS. 7.

Et venit & accepit librum) De figura Agni hic multa habet VITRINGA extra textum: neque felicius Pontificii ſuos agnos

Dei pingunt. Videmus agnum in altaris area quaſi ſtantem, id eſt, in pedes poſteriores erectum, uti etiam 4 animantia Cherubinos repræſentantia, quæque huic proxime adſtabant. Obverſari igitur potuit tamquam anterioribus pedibus librum accipiens Quod dicatur *veniſſe*, in eo nos confirmat, agnum non in area throni, ſed in area atrii primo apparuiſſe, atque ex ea per eandem viam, per quam ſacerdotes in ſanctuarium ibant, acceſſiſſe ad thronum.

AD VS. 8.

Citharas & phialas aureas) Optime juncta hic & Levitarum & Sacerdotum ſymbola notarunt interpretes, quoniam utriusque ordinis antitypus ſimul adimpletus eſt in Presbyteris, ſeu ordinariis Eccleſiæ Novi Teſtamenti Miniſtris, quorum totum munus ad hæc duo capita revocatur: *verbum* & *preces* Act. VI. 4. unde etiam in typo ephemeriæ Levitarum & ſacerdotum reſpectum ad ſe invicem habebant, unde utriusque muneris perennis conſervatio promittitur Jerem. XXXIII: 18. ſq. In repræſentatione viſi non opus eſt, ut difficultatem nectamus cum illis, qui ſiniſtra citharas, dextra phialas ſeu acerras tenuiſſe putant. Nihil enim prohibet ita rem concipere, ut & acerras & citharas ſimul ſiniſtra tenuerint, præcipue cum acerræ manubrium oblongum haberent. Sic dextra vacabat, ſicuti coronarum abjectioni Cap. IV: 10. ita ſuffitui adolendo Cap. VIII: 3. & citharis pulſandis Cap. XIV: 2.

AD VS. 9.

Et canunt canticum novum) Reſpicitur hic ad Prophetias Pſ. XXXIII: 3. XL: 4. XCVI: 1. XCVIII: 1. Pſ. CXLIV: 9. CXLIX: 1. Jeſ. XLII: 10. quarum omnium implementum hoc pacto indigitatur ad aperturam ſigillorum ſpectare, unde quoque præſenti utitur: *& canunt canticum novum*, ut indigitet, canticum hoc tum quidem incepiſſe, ſed continuatum fuiſſe Cap. XIV: 3. XV: 3. Ma-

Digitized by Google

Mactatus es & redemiſti nos) Quoad phraſes hæc inſignem analogiam habent cum Cap. I: 5, 6. Et emphatice *diligere* alternat cum *mactatum eſſe* &c. *lavari* alternat cum *redimi Deo* &c. Additur autem in noſtro loco: *ex omni tribu & lingua & populo & gente*; quia hic ſpectatur Eccleſiæ univerſalis antitypus 24. Presbyterorum, qualis per ipſam aperturam ſigillorum paulatim colligitur, donec plenitudine gentium intrante Iſrael quoque ſervabitur: quæ eſt felicitas poſt apertum ſigillum 6. adeoque ſub 7 periodo exſpectanda; conf. Apoc. IX: 9. ubi eadem phraſis. Et præparatio ad illam occurrit Apoc. XIV: 6.

AD VS. 10.

Et regnabimus in terra) Quamvis magnam gloriam jam acceperint, majorem exſpectant in regno illo millenario de quo Cap. XX. Ex hac notabili temporum mutatione ſequitur choros hic comparentes debere ſpectari non ſolum ut ſubjectis, ſed etiam ut tempore diverſos. Nam vs. 13. talia ſequuntur, quæ regnum illud in terra ſupponunt.

AD VS. 11.

Angelorum multorum) Confer Apoc. VII: 11. ubi itidem collectam Eccleſiæ univerſalitatem excipit chorus angelorum ſimile canticum canentium. Quando ergo hi ſtatim apparent cingentes non ſolum thronum, ſed etiam *animalia & Presbyteros*, tum id ipſum oſtendit, jam tum regnum in terra ſupponi tamquam occupatum, in quo adminiſtrando adſunt Angelorum miniſteria.

Myriades myriadum & chiliades chiliadum) Prodigioſus numerus, qui cum a Joanne iniri non potuerit, ei neceſſario indicatus eſt. Non ſimpliciter *myrias myriadum*, ſed in plurali *myriades*, quod ad minimum involvit duas myriades & chiliades, adeoque idem plane numerus hic adeſt, ſed per mille multiplicatus, qui Pſ. LXVIII: 18. occurrit. *Curruum Dei ſunt dua myriades mil-*

millia duplicata. Quo pacto & מחנים Gen. XXXII: 1, 2. & angelos Dei adſcendentes ac deſcendentes ad Filium Dei Joh. I. 52. coll. Gen. XXVIII. in cenſum hic vocare debemus. Nec tantum de angelis propriis, ſed etiam myſticis hic cogitandi datur occaſio, innumerabili ſcilicet præconum Evangelii turba. Diſcrimen hoc pacto innuitur inter priores & poſteriores victorias atque gloriam Eccleſiæ quæ ſe habet uti unum ad mille Jeſ. LX: 22. Porro quando myriades & chiliades conjunguntur, reſpicitur ad antiquiſſimum ordinandi exercitus per mille uſum. Sigillatim multiplicati *denarii* perfectionem internam, multiplicati *millenarii* externam repræſentant. Chiliades enim interiorem chori circulum, Myriades exteriorem conficiunt. Quomodo autem myriades & chiliades in viſo diſtinctæ fuerint, docebit DANIEL Cap. VII: 10. qui chiliades Deo ſervientes, myriades autem coram eo ſtantes animadvertit.

AD VS. 12.

Potentiam & Divitias &c.) Ex ſeptem his prædicatis tria priora reſpiciunt ſuſceptionem operis, quartum exſecutionem, tria ultima ſequelas. Ad ſuſceptionem pertinet *potentia* ſeu poteſtas jus ad regendum, *divitiæ*, omniſufficientia ad providendum omnibus neceſſitatibus Eccleſiæ, *ſapientia*, ad diſpenſandum theſauros acceptos, prout ex intima cognitione conſilii pacis fluebat. Ad exſecutionem pertinet *robur* omnibus impedimentis, hoſtibus ſuperandis ſufficiens. Quod ubi confectum eſt, ſequela duplex eſt, primo manifeſtatio *gloriæ divinæ*, quæ τιμη & δοξα dicitur, quia eſt bipartita & a Patre collata quo τιμην referimus, & ex propria excellentia fluens, quo ſpectat δοξα. Secundo ejus gloriæ jugis *celebratio*, quæ ευλογια dicitur.

AD VS. 13.

Omnem creaturam) De emphaſi, quam phraſis hæc relate ad creationem myſticam habet, egi ad Pſ. XLV. vs. 12.

Quæ

Quæ in coelo eſt &c) In quatuor claſſes hic omnis creatura dividitur. *Coelum* eſt in genere *Eccleſia triumphans*, *terra* in genere Eccleſia militans. Sed hic magis reſtringuntur coelites, quia diſtinguuntur ab iis, qui ſub terra ſunt, & qui in terra ſunt, quia diſtinguuntur ab aliis, qui in mari ſunt, & utrique, quia diſtincta hæc creatura occurrit ab Angelis in præcedentibus, & adhuc clarius a 4 Animalibus & Presbyteris in ſequentibus. Poſſet hic conferri Apoc. XX: 12, 13. ſed in ea non ſubſiſtimus, quia creatura hic occurrens jam judicata eſt. Potius ad illuſtrationem notamus 1) Cum reſpectum ſit in præced: verſu ad Pſ. LXVIII: 18. procul dubio alluditur hic ad ejusdem Pſ. vs. 23. *dixit dominus ex Baſane reducam, reducam ex profunditatibus maris* 2) Prophetæ hic repræſentari ſtatum Eccleſiæ ultimæ in gloria illa, ad quam per tot vices erat emerſura, id quod ipſa univerſalitatis nota innuit, poſt judicium Apoc. XX. deſcriptum, quando *novum coelum & nova terra* iterum emerſit, de qua Apoc. XXI: 1. quando in emphaſi *omne genu ſe Chriſto flectet, & omnis lingua jurabit* Jeſa. XLV. *in coelo, in terra, & ſub ea* Phil. II. Confer Rom. XIV: 9, 11. 3) Non agi de omnibus individuis, ſed de illis, quæ tum temporis conficient creaturam myſticam, excluſis tum illis, qui in præcedentibus temporibus Eccleſiam confecerunt, quorum univerſalitas per animantia & ſeniores pingitur, tum illis, qui adhuc tum in regno peccati reſidui erunt. *Coelum* ergo hic capimus pro coelo rectorum Eccleſiæ, *terram* pro membris ſingulis præſertim illis in locis, ubi hactenus Eccleſia habitavit, *ſub terra* pro ex Antichriſtianiſmo convertendis, in *mari* pro gentilium univerſalitate.

Et quæ in iis ſunt omnia) Non individua, ſed membra, partes, facultates, Pſ. CIII. 4.

Benedictio & honor) Ordine retrogado, ea tantum, quæ quoad exſecutionem agno deberi Angeli indicaverant, ei tribuunt. Angeli a priori, hi a poſteriori agnum celebrant.

Digitized by Google

AD VS. 14.

Dicebant Amen) Quia Prophetæ & Apoſtoli hæc eventura eſſe prædixerant, hinc emphatice illi hoc implementum ſuarum prædictionum vocula Amen obſignant, ſive prævidentes certitudinem implementi hujus, ſive de implemento hoc ſuo tempore in coelis certiores faciendi, & per hoc animandi ad veritatem & fidelitatem Domini celebrandam: poſterius magis convenit dictis ad Cap. IV: 10. ex quo etiam ſequentia hujus commatis ſunt explicanda.

SIGILLUM PRIMUM Cap. VI: 1. 2.

Comprehendens latiora Eccleſiæ initia.

1. Και ειδον οτε ηνοιξε το αρνιον μιαν εκ των επτα σφραγιδων, και ηκουσα ενος εκ των τεσσαρων ζωων λεγοντος ως φωνη βροντης, Ερχου, ιδε.	1. *Et vidi cum aperuiſſet Agnus unum ex Sigillis, & audivi unum ex quatuor illis Animalibus dicens, tanquam voce tonitrui; Veni & Aſpice.*
2. Και ειδον, και ιδου ιππος λευκος, και ο καθημενος επ αυτον εχων τοξον, και εδοθη αυτω στεφανος, και εξηλθε νικων, και ινα νικηση.	2. *Adſpexi igitur & ecce equus albus, & qui ei inſidebat, habebat Arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens & ut vincerent.*

ANALYSIS. Cap. VI. vs. 1-2.

Ex ordine totius libri ad initium Cap. IV. dato liquet quod viſum 7. ſigillorum Cap. VI. & VII. referamus ad afflictiones Eccleſiæ, per quas illa præparanda, antequam plenam gloriam promiſſam hæreditare poterat. Id facile liquet ex ipſo argumento, uti & variarum afflictionum cumulum Cap. VI: 3-8.

3-8. prolongationem Cap. VI: 9. & ſeq. Cap. VII: 1. ſeq. & tandem liberationem ab illa, earumque glorioſum finem Cap. VII: 13. 17.

Ut autem circa illas aſſequamur ſenſum Prophetæ 1) videndum, ad quod intervallum temporis in genere pertineant 2) qua methodo enumerentur.

Circa intervallum, tria ſunt ſaniorum Interpretum divortia, Quidam æque late ac 7. Epiſtolarum eſſe volunt. Alii ad prima tempora referunt, alii ad ultima Eccleſiæ Laodicenæ ſubjungentes. Nobis cum Cl. VITRINGA prima ſententia magis arridet, qui etiam alteram refutatam dedit.

Tertia non minus incommoda eſt 1) propter numerum ſeptenarium qui ad 7 oculos & cornua agni reſpectum habet, ſicut illa ad 7. candelabra. 2) quia Cap. XI: 8. ſub ſigillo 4. prodit Mors & infernus, proprium tyrannidis Anti-Chriſtianæ emblema. 3) quia vs. 9. occurrunt, qui jamdiu ſub afflictionibus præſentibus exſpectarunt, & nondum illico audiuntur. 4) quia ſub ſigillo ſexto demum illæ revolutiones afferuntur, quæ collatæ cum aliis Prophetiis præparationem ad regnum glorioſum faciunt.

Objici poſſet, 1.) Cap. IV: 1. *quæ oporteat fieri poſthac*. Reſpondemus, relate non ad viſa, ſed ad tempus Joannis, præſertim quia tum in ecſtaſi non erat. Obj: 2.) Cap. V: 7. plauſus eſt ultimi temporis. Reſpondemus, fatemur, ſed quia in proſcenio illo volebat oſtendere præparatorie omnium afflictionum exitum. Alias ſigilla poſt illud viſum in exſecutione ordinanda eſſent, quod fieri nequit, quia ſigilla 2. 3. 4. 5. nil niſi triſtia ſpirant. Obj. 3) convenientia cum Dan. VII. qui thronus tamen poſt devictum cornu parvum ponitur. Reſpondemus, ex præcedenti Objectionem 4. ex textu in explicatione præſtruemus.

Quoad methodum obſervamus, illam generalius ita ſe habere, ut tam ad præciſa temporum intervalla, quam ad res ipſas ſit attendendum. Unde non opus eſt, ut cum certa temporum periodo res ad tale ſigillum pertinens decurrat, & ut in ea ſingula ſigilla cum ſingulis epiſtolis conferantur. Nam quamvis initia ſingularum periodorum ſint diſerta, nihilominus res præcedentis

Digitized by Google

periodi etiam in ſequenti ſigillo ſubſiſtere pergunt, ſicut in creatione opus præcedentis diei tantum ſequenti comſummabatur, opus diei primæ die quarta, opus diei ſecundæ, die tertia 2) Aliud quoque argumentum eſt Sigillorum, quam Epiſtolarum.

In tres ergo partes generales diſpeſcimus ſigilla. Prima comprehendit lætiora Eccleſiæ erectæ initia ſub ſigillo 1. Altera afflictiones quæ progreſſum retardarunt ſigillo 4. ſequentibus Tertia lætiſſimum exitum 6. & 7.

In ſigillo ergo primo conſpicimus picturam victoriarum Evangelii a Trajani potiſſimum temporibus ad uſque plenum in ultimo tempore triumphum ſe extendentem.

I. Præparatio ad viſionem vs. 1. comprehendens.
  A. Aliquid, quod vidit: *Et vidi quando aperuit Agnus primum ex ſigillis.*
  B. Aliquid, quod audivit: *Et audivi primum ex 4. illis animantibus dicens tamquam voce tonitrui: Veni & vide.*

II. Viſio ipſa, continens.
  A. Attentionem videntis vs. 2. *Et vidi & ecce.*
  B. Subjecta oculis ejus exhibita.
    1. *Equus albus.*
    2. Eques ei inſidens deſcriptus.
      a. Ab habitu, in quo apparuit: *Et* (erat) *inſidens ei habens arcum.*
      b. A caſu duplici, qui circa eum contigit.
        α. *Et data eſt ei corona.*
        β. *Et exivit vincens & ut vinceret.*

SCHOLIA. AD. VS. 1.

Veni & vide) Mutationem loci hæc vox deſcribit. Antea ita erat poſitus Joannes, ut theatrum gloriæ Domini in coelo potuerit ſibi repræſentare, nunc in talem locum ſe debebat conferre, in quo etiam oculis ejus ſubjiciebantur, quæ in terra gerebantur.

AD

AD VS. 2.

Equus albus) Utique hic diſtinguenda *Equus*, & *Eques* cum adeo diſtincte recenſeat Apoſtolus. *Eques* Moderatorem, *Equus* populum ſubjectum repræſentat. Eques Chriſtus eſt, collato Apoc. XIX: 11. non tamen ſecundum perſonam, ſed ſecundum Spiritum conſideratus, vivens in doctoribus Eccleſiæ. Apparatus ejus hic & Cap. XIX. admodum differt, ut ſcias hic primordia tantum inveniri illius lætæ cataſtrophes, quæ in fine mundi exſpectanda. Quare *equus* eſt ipſa Eccleſia ſub hoc ſymbolo relate ad Chriſtum ſæpe propoſita Cantic. I: 9. Zach. I: 8. X: 3. XIV: 20. *Album* colorem referimus non tam ad victorias quas adhuc obtenturus, quam ad pacem, quam hic Princeps pacis ſuis poſſidendam dat, tanquam fructum juſtitiæ, tum interne in conſcientia, tum externe per Judæorum & gentium conjunctionem.

Arcum) Ut adhuc pugnaturus, & quidem eminus, cum tot adducendi, qui adhuc procul erant.

Corona) Non illa coeleſtis, cum ejus adſcenſione conjuncta, quam jam habebat. Apoc. I. ſed terreſtris, in devicto imperio Romano gentili, atque ad confeſſionem nominis ejus per & poſt Conſtantinum Magnum coacto. Hæc corona tantum una eſt, diſtincta a coronis multis Apoc. XIX. addendis. Corona præcedit victoriam.

Exivit vincens) Nempe poſt datam coronam orbis Romani partes ac gentes omnes paulatim ſubigens.

Ut vinceret) Hæc longe alia victoriarum ſeries in futuro ἵνα νικήσῃ, ad quam & corona & victoriarum poſt eam acceptam obtentarum ſeries, nil niſi præparatio erat.

SIGILLA QUATUOR ſequentia Cap. VI: 3-11.

Varias Eccleſiæ afflictiones comprehendentia.

3. Και οτε ηνοιξε την σφραγιδα την δευτεραν, ηκουσα τυ δευτερυ ζωυ λεγοντος, Ερχυ.

4. Και εξηλθεν αλλος ιππος πυρρος, και τω καθημενω επ αυτον εδοθη αυτω λαβειν την ειρηνην της γης, ινα αλληλυς σφαξωσι, και εδοθη αυτω μαχαιρα μεγαλη.

5. Και οτε ηνοιξε την σφραγιδα την τριτην, ηκυσα τυ τριτυ ζωυ λεγοντος, Ερχυ. Και ειδον, και ιδυ ιππος μελας, και ο καθημενος επ αυτον εχων ζυγον εν τη χειρι αυτυ.

6. Και ηκυσα φωνην εν μεσω των τεσσαρων ζωων λεγυσαν, Χοινιξ σιτυ δηναριυ, και τρεις χοινικες κριθης δηναριυ. Και το ελαιον και τον οινον μη αδικησης.

7. Και οτε ηνοιξε την σφραγιδα την τεταρτην, ηκυσα τυ τεταρτυ ζωυ λεγοντος, Ερχυ.

8. Και ειδον, και ιδυ ιππος χλωρος, και ο καθημενος επανω, ονομα αυτω ο θανατος, και ο αδης ακολυθει μετ αυτυ. Και εδοθη αυτω εξυσια επι το τεταρτον της γης αποκτειναι εν ρομφαια και εν λιμω και εν θανατω, και υπο των θηριων της γης.

3. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal dicens: Veni & vide*

4. *Et prodiit alius Equus rufus, cui qui inſidebat ei datum eſt pacem tollere de terra, ut alii aliós mactent: datuſque illi eſt Gladius magnus.*

5. *Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audivi tertium animal dicens: Veni & vide Adſpexi igitur & ecce Equus niger, & qui ei inſidebat ſtateram habebat in manu ſua.*

6. *Et audivi vocem inter illa quatuor Animantia dicentem: Choenix tritici denario, & tres choenices hordei denario & vinum & oleum ne læſeris.*

7. *Et cum aperuiſſet ſigillum quartum audivi vocem quarti Animalis dicentem Veni & vide.*

8. *Et vidi & ecce Equus pallidus, & qui ſuper ipſum ſedebat, nomen ei Mors, & Infernus eum ſequebatur: & data eſt iis poteſtas occidendi quartam partem terræ, gladio, & fame & morte & à feris terræ.*

9. *Quum*

9. Και οτε ηνοιξε την πεμπτην σφραγιδα, ειδον υποκατω τȣ θυσιαςηριȣ τας ψυχας των εσφαγμενων δια τον λογον τȣ θεȣ και δια την μαρτυριαν ην ειχον, και εκραξαν φωνη μεγαλη λεγοντες.

9. *Quum verò aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant.*

10. Εως ποτε ο δεσποτης ο αγιος και αληθινος ȣ κρινεις και εκδικεις το αιμα ημων απο των κατοικȣντων επι της γης;

10. *Clamabant autem voce magna, dicentes: Uſque quò, Domine, qui ſanctus es & verax non judicas ac vindicas ſanguinem noſtrum ab iis qui habitant in terra.*

11. Και εδοθη αυτοις εκαςω ςολη λευκη, και ερρεθη αυτοις ινα αναπαυσωνται ετι χρονον, εως πληρωθωσι και οι συνδȣλοι αυτων και οι αδελφοι αυτων, οι μελλοντες αποκτεινεσθαι ως και αυτοι.

11. *Et datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ & dictum eſt iis ut requieſcerent adhuc paululum temporis, donec etiam compleantur conſervi eorum & fratres eorum, qui occidendi erant ſicut & ipſi.*

ANALYSIS. Cap. VI. vs. 3-11.

De afflictionibus Eccleſiæ ita agitur, ut.

I. Oſtendatur, quomodo paulatim invalituræ, & ſucceſſive accumulandæ 3-8.

A. Diviſim uſque ad medium vs. 8.

1. Prima ſub Sigillo ſecundo vs. 3. 4.

a. Præparatio ad viſionem vs. 3.

b. Viſio ipſa, ſubjecta duo repræſentans.

α. Equum.

β. Equitem a poteſtate ei tradita deſcriptum, quæ poteſtas.

א. Deſcribitur, tamquam duplex.

a. Prior: *Et inſidenti ei Datum eſt tollere pacem de terra.*

b. Poſterior: *Et ut ſe invicem mactent:*

ב. Sig-

ב. Signum ejus poteſtatis additur: *Et datus eſt ipſi gladius magnus.*

2. Secunda ſub Sigillo tertio vs. 5. 6.

a. Præparatio ad viſionem.

b. Viſio ipſa.

α. Attentio videntis. *Aſpexi igitur, & ecce.*

β. Argumentum viſionis objectum.

א. Oculis.

a. Equum nigrum

b. Equitem deſcripum ab adjuncto. *Et qui ei inſidebat, ſtateram habebat in manu ſua.*

ב. Auribus vs. 6.

a. Unde vox venerit. *Et audivi vocem inter illa animantia.*

b. Quid continuerit, præceptum de alimentis cum aridis: *Choenix tritici denario, & tres choenices hordei denario*; cum liquidis: *Et oleum & vinum &c.*

3. Tertia ſub Sigillo quarto vs 7. 8.

a. Præparatio

b. Viſio ipſa.

α. Attentio videntis. *Et vidi & ecce.*

β. Subjecta exhibita.

א. *Equus Pallidus.*

ב. Eques deſcriptus.

a. A nomine. *Et qui ſuper ipſum ſedebat nomen ei Mors*

b. A comiatu. *Et infernus ſequebatur.*

B. Conjunctim vs. 8. parte poſteriori.

II. Edoceatur, quomodo liberatio ab hiſce malis protrahenda ſub Sigillo quinto vs. 9. 10. 11. ubi.

A. Deſcribuntur ſubjecta exhibita vs. 9. idque.

1. Aqualitatibus internis, *animas mactatorum.*

2. A circumſtantiis externis, *vidi eas ſub altare cum aperuiſſet quintum ſigillum.*

B. Enarratur, quomodo ad patientiam in mora liberationis Eccleſiæ excitatæ.

1. Que-

Digitized by Google

1. Querela earum vs. 10.
   a. Modus proponendi. *Clamabant autem voce magna:*
   b. Argumentum.
      α. Compellatio. *Domine qui Sanctus es & verax.*
      β. Quæſtio propoſita duplex: *quouſque non judicas & vindicas.*
2. Confortatio earum. vs. 11.
   a. Per ſymbolum. *Et data ſunt ſingulis ſtola alba*
   b. Per addita dicta. *Et dictum eſt, ut requieſcerent* &c.

SCHOLIA AD VS. 4.

Alius Equus rufus) Symbolum Imperii Romani, quod ſanguine fundatam eſt & ſanguine crevit. Color hic analogus eſt colori draconis rufi Apoc. XII. & directe *albo*, uti ſæpe oppoſitus. *Alius*) deſignat aliud & oppoſitum plane Regnum.

Qui inſidebat ei) Rectores illius ſuccedentes ſibi invicem ut nobis videtur, præſertim poſteaquam in varias partes, in diverſa crura, pedes, digitos eſt diviſum, veluti inferior pars, Coloſſi Nebucadnezari in ſomnio oblati, quod a quinti ſæculi potiſſimum exordio numeramus, ubi ex diviſo oriente & occidente deinceps lites, bella civilia, irruptiones barbararum gentium, ſciſſiones in novas partes atque regna obtinuerunt, quod ipſum maximopere Eccleſiam afflixit, quia gentes irrumpentes & inſignes Imperii partes ſibi vindicantes ipſæ falſæ religioni deditæ primo Arianiſmo, tum Muhamedaniſmo, denique & Antichriſtianiſmo eandem propagarunt.

Ut ſe invicem mactent) Non opus eſt, ut a proprietate litteræ recedamus, ſecundum quam bella civilia & inteſtina, phraſis ινα αλληλυς σφαξωσι deſignat. Ipſa loca in contrarium a Cl: VITRINGA producta pro nobis faciunt v. gr. Matth. XXIV: 13. *proditio* & *odium* non ſunt peccata unius partis ſed reciproce à diverſis factionibus ſe invicem diſcerpentibus perpetrata coll. vs. 7. quæ tamen populo Dei quoque graviſſima mala cauſſarunt vs. 9.

Datus eſt illi) Tamquam executoribus judiciorum Divinorum etiam in Eccleſiam corruptam.

Digitized by Google

Gladius magnus) Adeoque non culter mactatorius, qui non dictus eſſet *μαχαιρα μεγαλη* ſed gladius Herois forti manu vibrandus ad clades ſtrageſque magnas in *terra* orbis Ramoni efficiendas.

AD VS. 5.

Equus niger) Eſt idem Imperium Romanum ſed in relatione alia ad ſtatum Eccleſiaſticum conſideratum. *Niger color* eſt ſymbolum tum in genere temporis triſtiſſimi, tum in ſpecie tenebrarum, ignorantiæ, & peccatorum in ipſa Eccleſia ingruentium, uno verbo barbariei, quæ ſequela proxima tot bellorum vaſtationumque fuit & altæ noctis inſtar terræ incubuit.

Qui inſidebat ei). Corpus Rectorum Eccleſiaſticorum, præſertim poſteaquam dominari in populum coeperunt, uti ſignate factum eſt, cum Epiſcoporum authoritas per ipſos in Imperio contendentes promota invaleſceret, ſigillatim a temporibus poſt Bonifacii III. tempora ingruentibus occaſionem præbente annonæ caritate ſpirituali per ignorantiam, quæ inceperat homines obſidere.

Habebat ſtateram in manu ſua) Difficilis eſt hujus & ſequentis verſus allegoria Annonæ caritas deſcribitur, quam augere contendit inſidens huic equo, *lancem* habens, ſed ei *non datam*, quam ergo ſupponitur propria authoritate erecta ſibi appropriaſſe. Quod repræſentat homines, qui ſibi in conciliis arrogabant authoritatem definiendi articulos fidei.

AD VS. 6.

Et audivi vocem in medio 4. animalium) Procul dubio ipſius agni inter illa ſtantis & curam electorum gerentis, ac definientis, quo uſque in abuſu poteſtatis ſuæ Epiſcopis permiſſum eſſet progredi.

Choenix &c) In theſi hic accedimus VITRINGÆ, quæ ad hypotheſin noſtram facile applicari poteſt. Sane qui de nundinatio-

tione Antichriſtiana hic cogitant, non perpendunt, quod ſymbola *tritici*, *hordei*, *vini & olei* deſignant veritates, quæ ſub nundinationem Antichriſtianam non cadunt. Neque etiam pretium *denarii* tam immane eſt.

Ne laſeris) Videtur eques, ut annonam augeat conſilium cepiſſe, fructus hoſce nobiliores plane corrumpendi, aut ſaltem lucri cauſſa eos adulterandi, atque per frumenta traditionum humanarum inutiles reddendi, quod ei hic interdicitur.

AD VS. 8.

Equus pallidus) Sequor hic COCCEJI ſententiam, quod reſpiciatur regnum Antichriſtianum, verum in ακμη, quale ſigillatim a temporibus Gregorii VII. fuit. Sic א) Optime univerſalitas omnium afflictionum ſub tribus his equis comprehendetur, quæ Eccleſiam premere poſſunt. ב. Conſtans eſt mortis & inferni ſymbolum uti ad Cap. I: 18. notavimus. Vnde Apoc. XX: 14. totale Hoſ. XIII: 14. judicium in Antichriſtianiſmum peremtorium intelligitur. VITRINGA diſſentit α) quia eques hic eſt executor judiciorum Dei. Reſpondemus, non agi in ſigillis de judiciis divinis ſed de afflictionibus Eccleſiæ. β) quia mors hic temporalis eſt intelligenda ob conjunctionem gladii, famis, peſtis & ferarum terræ. Reſpondemus contrarium patet ex noſtra exegeſi. *Pallor* equi deſignat ſocietatem morbidam, & exteremm Spiritum trahentem.

Infernus eum ſequebatur) Forte ſub belluæ horrendæ ac devorantis imagine: unde ei reſpondere poterunt, *fera terra*.

Data illis poteſtas) Nempe omnibus tribus ſimul ſubſiſtentibus a temporibus potiſſimum Gregorii VII. & Innocentii, III. cum Equus *rufus* in Hunnis, Saracenis, cruce ſignatus &c. *niger*, in Eccleſiaſtaſticorum ignorantiæ & Scholaſticæ Theologiæ tenebris, *pallidus* in Paparum vitiis, Excommunicationibus, Tribunali inquiſitionis ſubſiſteret. Huc comparati erant, gladius bellorum, fames ſpiritualis ex verbi Dei neglectu, peſtis ex vitiorum incremento. Accedebant in hacce ſolitudine regnantes, ululantes, diſcerpentes

Digitized by Google

feræ, Monachi ſcilicet ad iſtud tum aliorum criminum, tum præcipue ſævitiæ culmen adſcendentes, ut non ſolum aſpectu horrido ac miſanthropia, ſed & perſecutionum fervore omnem humanitatem exuerint.

AD VS. 9.

Animas eorum, qui mactati fuerunt) Nihil impedit, quo minus id proprie intelligamus de animabus martyrum. Neque enim ignari ſunt coelites ſtatus Eccleſiæ in terris relictæ, & pro ejus liberatione procul dubio vota fundunt. Quod autem ita ſub ſigillo ſexto potiſſimum occurrant, inde eſt 1) quia nulla ætas plures atque atrociores in teſtes veritatis perſecutiones vidit 2) quia propter extremam afflictionem, ſub qua Eccleſia tum gemebat, revera tandem finis videbatur exſpectandus jure eſſe. Unde quoque nulla ætas plura de caſu Antichriſti prætenſa vaticinia protulit 3) quia reformatione ingruente revera jam videbatur ſpes matura eſſe.

AD VS. 10.

Ac vindicas ſanguinem noſtrum) Cave hoc intelligas de privatæ vindictæ cupidine. Ipſa compellatio Dei contrarium oſtendit.

AD VS. 11.

Ut requieſcerent adhuc tempore exiguo) Nova ergo ſub reformationis aurora injecta eſt ſpei Eccleſiæ mora, & ad nova certamina ſe accingere Eccleſia debebat.

Digitized by Google

SIGILLA DUO ULTIMA CAP. VI: 12- VIII: 1.
Liberationem Eccleſiæ plenariam ſiſtentia.

12. Και ειδον οτε ηνοιξε την σφραγιδα την εκτην, και σεισμος μεγας εγενετο, και ο ηλιος εγενετο μελας ως σακκος τριχινος, και η σεληνη εγενετο ως αιμα. κ. τ. λ.

12. *Et vidi cum aperuiſſet ſigillum Sextum, & ecce terræ motus magnus factus eſt, & Sol factus, eſt niger ut ſaccus cilicinus, & Luna facta eſt ut ſanguis. &c. &c.*

ANALYSIS. Cap. VI: 12. VIII: 1.

De liberatione Eccleſiæ plenaria agunt duo ultima Sigilla, eamque & præſtitam & continuatam docent.

I. De præſtatione ſub ſigillo 6to Cap. VI. 12-VII. integrum Continet hoc tres diverſas ſcenas, quæ non tam diverſa, & ſibi ſubſequentia tempora, quam diverſas res exhibent. Prima ſcena deſcribit maximos motus, per quos Deus liberationem Eccleſiæ promoturus erat, ſecunda & tertia curam Dei circa populum ſuum tum in illis motibus conſervandum, tum illis ſuperatis beandum. Scenæ hæ non ordinatæ ſunt relate ad ordinem temporis ſed rerum. Nam ſecunda & tertia comprehendit, quæ in principio & fine ſcenæ primæ. Quod autem ſcena ſecunda ſubjungatur primæ, inde eſt, quia Propheta uno ordine exhibere volebat capitales afflictiones Eccleſiæ.

A. Scena prima occurrit vs. 12-17. quæ delineat.

1. Præparationem vs. 12. part. pr.
2. Viſum ipſum deſcribens tum tempeſtatem, tum conſternationem hominum inde ortam.
   a. Horrenda tempeſtas vs. 12, 13. 14. ejus.
      α. Origo: *Motus terræ magnus factus eſt.*
      β. Effecta in toto univerſo.
         ℵ. In coelo & ſpeciatim.
            a. In ſole.

b. In luna.
c. In aſtris.
d. In nubibus: *Et coelum amotum eſt, ut liber, qui convolvitur.*
ב. In terra vs. 14. parte poſt.
b. Panica conſternatio vs. 15-17.
α. Perſonæ. *Et Reges terræ* &c.
β. Signa conſternationis.
א. Factis. *Occultarunt ſe in ſpeluncis* &c.
א. Verbis. vs. 16. 17.
a. Objecta, ad quæ illa dirigebantur. *Et dixerunt montibus* &c.
b. Verba ipſa continentia.
1. Effatum vs. 16. *Cadite in nos* &c.
2. Rationem vs. 17. *Nam venit dies ille* &c.

B. Scena ſecunda oſtendit curam Dei de populo ſuo ſub magnis illis motibus conſtituto Cap. VII: 1-8.
Exercitium hujus curæ deſcribitur per moram duplicem tempeſtatis in ſuperiori ſcena deſcriptæ plenæ pervaſioni injectam.
1. Prima mora fit per angelos quatuor exſecutionem judicii divini ad tempus aliquod ſuſpendentes vs. 1.
a. Deſcribuntur hi angeli. *Stantes ad quatuor angulos* &c.
b. Oſtenditur, quomodo moram attulerint; *tenentes quatuor illos ventos terræ* &c.
2. Secunda mora fit per angelum obſignantem.
a. Deſcribitur vs. 2. *Et vidi alium Angelum* &c.
b. Mandatum ejus additur.
א. Modus, quo mandavit; *dicens*
א. Verba vs. 3. *Ne lædite terram* &c.
c. Effectus ejus mandati, ipſa obſignatio.
α. Generatim vs. 4. *Et audivi* &c.
β. Speciatim vs. 5-8. *Ex tribu Juda XII. Millia*

C. Scena tertia vs. 9-17. oſtendens lætiſſimum poſt horam illam tentationis eventum.
1. Repræſentatio hujus ſcenæ 9-12. in qua duo chori.

a. Pri-

Digitized by Google

a. Prior eſt Redemtæ Eccleſiæ vs. 9. 10.
α. Subjecta vs. 9.
β. Occupatio eorum in δοξολογία vs. 10.
b. Alter eſt angelorum vs. 11. 12. Hi deſcribuntur.
α. A ſitu vs. 11.
β. Ab honore, quem Deo & Agno exhibuere.
א. Geſtu. *Et prociderunt ante thronum &c*
ב. Verbis vs. 12.
2. Illuſtratio ejus per colloquium, quod Presbyter coram Joanne de hac multitudine inſtituit, in quo.
a. Compellatio presbyteri per quæſtionem vs. 13.
b. Reſponſio, in qua ignorantiam ſuam confitetur vs. 14.
c. Inſtructio latior qua ſubjectorum illorum proprior notitia exhibetur.
α. Generatim indicando, quinam ſint. *Hi ſunt venientes ex afflictione illa magna.*
β. Speciatim informando de ſtatu redemtæ illius multitudinis tam antecedente, quam conſequente.
א. Status antecedens, probationis, qui eſt fundamentum ſequentis felicitatis, deſcribitur vs. 14. ult. *Et* (ſeu potius *nam*) *lavarunt ſtolas ſuas Et dealbarunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*
ב. Status conſequens, beatitudinis, quæ tamquam ſequela hujus exercitii fidei conſideratur. Illa beatitudo deſcribitur.
a. A præſentibus initiis vs. 15. init.
b. A futuris incrementis, quæ ita exhibentur, ut bonum Triplex diſtinguere liceat a tota Trinitate exſpectandum.
1) Defenſio Patris vs. 15. fine *Et inſidens ille in throno obumbrabit eos.*
2) Gratioſus ductus Filii vs. 16. 17. init. qui ita deſcribitur, ut.
a) Removeantur omnia incommoda, quibuscum hactenus confligtandum, habuere,

ere, exqua remotione oppoſitum licet colligere vs. 16.

b. Ratio addatur vs. 17. part. pr.

3. Conſolatio Spiritus Sancti: *Et abſterget Deus omnem lacrymam. &c.*

II. Continuationem hujus felicitatis apertum ſeptimum ſigillum paucis indicat Cap. VIII: 1.

SCHOLIA AD. VS. 12.

Motus magnus factus eſt) Non *terra*, ſed integræ atmoſphæræ per ventum vehementiſſimum. Sic enim de procella ingenti vox occurrit Matth. VIII: 24. Et colludit allegoria maxime tempeſtatis, quæ in tota hac ſcena continuatur, ac propter quam ſub initio ſcenæ ſequentis Angeli, quibus poteſtas in ventos data eſt, comparent. Intelligimus maximam cataſtrophen rerum, quæ viam parabit ad tempora ſereniora. Horum afflictiones Apoc. III. ulterius deſcribuntur ſub relatione judicii Apoc. XVI: 17. ſq.

Sol) Emblema Chriſti, quatenus per præconium Evangelii innoteſcit. Nullus locus eſt in Apocalypſi, in quo opus ſit ab hoc emblemate abire.

Factus eſt niger ut ſaccus cilicinus) Nihil hoc aliud dicit, quam magnam obtenebrationem, qualis ſit, quando craſſiores nubes in tempeſtatibus graviſſimis ita eum obſtipant, ut lumen ejus obtenebretur: quamvis ipſe Sol nihil inde patiatur.

Luna) Eccleſia vera militans variis mutationibus obnoxia.

Facta eſt ut ſanguis) Per maximas tribulationes & perſecutiones, nec non bella inteſtina in illis regionibus in quibus Eccleſia habitat.

* * * * * *

Quum nihil præterea à Viro Beato literis ad explicationem Apocalypſeos *ſit conſignatum, ut hiſce fragmentis in ſuam rem uti velit Lector benevolus, eum cumprimis rogatum volumus.*

Digitized by Google

FRID. AD. LAMPE
ANNOTATIONUM
IN
SALOMONIS ECCLESIASTEN
FRAGMENTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTÆ ANALYTICO-EXEGETICÆ IN ECCLESIASTEN SALOMONIS.

INTROITUS.

§. I.

SALOMONIS ſingularem circa hunc librum componendum curam fuiſſe verſatam, adeoque illum pro primario Scriptore ejus habendum eſſe vix poteſt dubitari.

א. Quoniam ipſe directe tanquam loquens introducitur, non quidem Cap. I: 1. & 2. (uti aliis interpretibus viſum eſt) ſed tamen vs. 12.

ב. Quoniam deſcriptio tam *Sapientiæ*, omnem ſapientiam filiorum hominis ſuperantis cap. I: 13. quam *magnificentiæ* atque luxus plane extraordinarii cap. II: 1. & ſqq. non facile in ullo ſubjecto præter SALOMONEM plenam Emphaſin nanciſcetur.

ג. Quoniam ſingularis inter *Proverbia* & *Eccleſiaſten*, tam quoad res ipſas, quam quoad ſtylum & phraſes intercedit Analogia, quam in rem Exempli loco huc adduci poſſunt *Eccl.* cap. I: 8. coll. *Prov.* XXVII: 20. *Eccl.* II: 14. cum *Prov.* XVII: 24. *Eccl.* II: 26. cum *Prov.* XIII: 22. *Eccl.* IV: 6. cum *Prov.* XVI: 16. 18. & XVII: 1. *Eccl.* VII: 2. cum *Prov.* XXII: 1. *Eccl.* IX: 16. cum *Prov.* XXI:

22. & XXIV: 5. *Eccl.* X: 8. cum *Prov.* XXVI: 27. *Eccl.* X: 14. cum *Prov.* X: 19..

§. II. An tamen SALOMO univerſum *Eccleſiaſtis* librum calamo proprio conſignaverit de eo ambigi poteſt, nam non deſunt rationes, ex quibus licet ſuſpicari, librum hunc fuiſſe *opus integra* cujusdam *Congregationis* piorum virorum & divinitus inſpiratorum, quales à piis Iſraëlis Regibus in aliis quoque occaſionibus tanquam Conſiliarii intimæ admiſſionis ſunt adhibiti, ut in rebus difficilibus & obſcuris eorum prudentia atque precibus adjuvarentur: Veſtigia talis inſtituti occurrunt in illis *Viris Hiskiæ*, quorum Prov. XXV: 1. mentio inſtituitur.

Novam quidem hic proponimus ſententiam, verum non multum diſcrepat ab illa, quam ANTONIUS FAYUS, Theologus Genevenſis in medium protulit Proleg. Commentarii in Kohelet, qui Genevæ anno 1608. eſt impreſſus: ille ſtatuit Sermones hoſce ex Salomonis ore à viris piis ac ſapientibus, qui ipſius lateri continuo adhæſerunt, exceptos ac deinceps in publicum editos eſſe; In eandem hypotheſin inclinant JOH. MERCERUS & MICHAEL WALTHERUS *officina Bibl.* §. 921.

Noſtræ ſaltem mentis ſequentia habemus argumenta

1. Quoniam nomen קֹהֶלֶת quod plus ſemel in noſtro libro de perſona loquente adhibetur cap. I: 2. VII: 27. XII: 8-10. proprio ſignificatu *Congregatam*, id eſt, Εκκλησιαν, adeoque *Societatem* quandam *plurium* deſignat: Nam participium Benoni in Kal hic non poſſe locum habere MERCERUS jam ex eo confecit, quoniam radix קהל in forma Kal non occurrit, unde R. ABARBANEL, & ex Chriſtianis THOMAS CARTWRICHTUS, COCCEJUS & MOMMA, nomen hoc ex forma *Puhal* paſſiva derivarunt, quoniam illa conjugatio in verbis, quæ literam gutturalem in medio habent, in locum vocalis *Kibbuz*, ad compenſandum *dages forte*, quod ex medio radicali excidit *cholem*, ſubſtituunt; Et per hanc hypotheſin evitantur omnes tricæ grammaticales, quibus reliquæ interpretationes laborant: neque enim ſic indigemus *Enallage* generis foem. pro maſc. neque *Anomalia*, qua flexionem foe-

ſoemininam aliquando mutari in genus maſc. MERCERUS ac HOTTINGERUS, aut in genus commune CARPZOVIUS & WOLFIUS cenſuerunt, neque Ellipſi, aut vocis איש cum Doctiſſimo HEUMANNO, aut vocis בן filius, cum DANZIO, Philologo inſigni, neque ullis aliis longe quæſitis interpretatiunculis, cum naturalem notionem vocis ſervemus.

2. Accedit teſtimonium diſertum Eccl. XII: 11. quod hæc verba ſint דברי החכמים *verba ſapientum*, qui etiam in mox ſeqq. dicuntur בעלי אספות *Viri congregationum* vel *Domini collectionum*.

3. Occurrunt quoque expreſſiones quædam in contextu, quæ videntur minus ipſi SALOMONIS perſonæ congruere, præſertim in capp. poſter. v. gr. c. VIII: 2. c. X: 20. ubi *de Rege* in tertia perſona ſermo inſtituitur, & officia illum ſpectantia præſcribuntur, quin *obedientia Regis* in priori loco à perſona loquente ſibi ipſi appropriatur. *Ego os Regis cuſtodio.*

4. Hac ratione quoque difficultas illa facile removeri poteſt, quam alias repetitio earundem rerum atque phraſium videtur efficere, cum ſecundum noſtram ſententiam diverſi ejuſdem rei teſtes cum ſingulari orationis artificio producantur.

§. III. *Divina* autem hujus libri *Inſpiratio* extra omnem eſt controverſiam

α. Quoniam nequit dubitari, quod inter ſcripta V. T. quæ à Judaica Eccleſia, atque ipſo Servatore, & Apoſtolis ad Canonem ſacrum pertinere ſunt agnita, locum habet; In Templo enim ſecundo hunc librum jam fuiſſe pro θεοπνευςω habitum, liquet vel ex JOSEPHI l. 1. cap. 1. CONTRA APPIONEM, & ex aliis antiquiſſimis Canonis V. T. Catalogis.

β. Dum SALOMO fuit ejus ſcriptor, pro Auctore habuit virum, qui divina revelatione eſt gaviſus.

γ. Ipſum Argumentum libri huc veliſicatur, non ſolum propter ſanctitatem doctrinæ, ſed etiam propter myſteriorum ſublimitatem, quæ tanta ſunt, ut ſapientiſſimus Rex illa omni ſapientiæ humanæ præferat, uti ex cap. I: 16. & 12. videre eſt.

Digitized by Google

δ. Quamvis non directe in N. T. citetur, cenſuerunt tamen viri Doctiſſimi alluſiones quasdam ad hunc librum in ſcriptis N. T. occurrere: Fateor pleraſque in hanc rem à CARPZOVIO atque aliis adductas nihil facere ad rhombum, quibuſdam tamen id negari nequit v. gr. Joh. III: 8. coll. Eccl. XI: 5. 1 Cor. IV: 5. & 2 Cor. V: 10. coll. Eccl. XII: 14.

ε. Ipſum præjudicium, quod in vanum quidam ex antiquiſſimis ex Hebræis conati ſunt, huic tractatui creare, veluti ex *Talmude* & *Midraſchim* Hebr. MAIMONIDES atque ABEN-EZRA & alii monuerunt, ſcilicet, quod ſapientes quæſiverint hunc librum occultare, ne ad poſteritatem transmitteretur, cum nonnulla in ſe partim Hæretica, partim contradictoria videretur continere. Quod enim & Judæi reliqui & Patres Eccleſiaſtici prorſus contrarium ſtatuerint poſt MERCERUM, HUETIUM atque alios, CARPZOVIUS in Introductione in libris V. T. p. 222., monuit: Adde quod in Eccleſia Antiqua pro Hæreticis jam declarati ſint teſte PHILASTRIO Hæreſi 130. qui librum hunc rejicere ſunt auſi.

Objectiones autem quæ contra hanc Authentiam ab aliis ſunt formatæ facile refelluntur: deſumtæ enim ſunt, vel ab *obſcuritate ſtyli*, vel à *confuſo* (uti illis quidem viſum eſt) *ordine*, vel à *phraſibus* quibuſdam extra nexum ſuum conſideratis, quæ monſtri aliquid alere putabantur, quæ ſingula hic ſicco pede tranſimus, quoniam ipſa *Analyſis* & *Illuſtratio* quam dare conabimur, his incommodis abunde conſulent.

§. IV. DE TEMPORE SCRIPTIONIS. Illi recte cenſuerunt, qui non putarunt hunc librum potuiſſe ante provectam Salomonis ætatem concinnari, nam id evidens eſt, *tum* ex maximis illis operibus, quæ Salomonem jam præcedenti tempore confeciſſe cap. II. declaratur; *tum* ex longa rerum Experientia, in qua gloriatur; *tum* ex incommodis Senectutis, quæ ipſum jam ſenſiſſe cap. XII. innuitur: Nec immerito poſſet inquiri, an non tempus adhuc ſerius poſſit ſupponi, nempe, ſive *in ipſius morte*,

ſive

Digitized by Google

ſive *brevi poſt illam*, occurrunt enim loca cap. IV: 2. cap. VII: 2. 3. cap. IV: 4. cap. XII: 7. quæ ad mortem ejus collimant, ſic ut non immerito Verba Salomonis in hoc ipſo libro conſervata pro *ultimis ejus Verbis* haberi queant.

§. V. Hiſce obſervatis in illam deducti ſumus hypotheſin: Quod duplex *occaſio* à Spiritu Sancto potuerit obſervata eſſe ad libri hujus inſpirationem; proxima erat *mors ipſius Salomonis*, ſive jam inſtans, ſive brevi antea contigerit; Accedebat triſtis illa rerum confuſio, cui totum Iſraeliticum Regnum involutum erat circa mortem Salomonis, *partim* propter adoleſcentiam Rehabeami & conſiliariorum ejus, quo cap. XII: 16. 17. alluditur, *partim* propter apoſtaſiam Jeroboami & cum eo conjunctam 10. tribuum abſciſſionem, quæ ſuperſtite adhuc Salomone indicata erat, quo cap. X: 4. & ſeq. alluſio occurrit; Quod concernit priorem occaſionem à nobis indicatam, de illa cogitandi anſam ipſe CHALD. PARAPHRASTES ſuppeditavit ad vs. 2. ita ſcribens; *cum videret Salomon Rex Iſraël per Spiritum Propheticum Regnum Rehabeami filii ſui diviſum iri, cum Jeroboam Filio Nebat, Hieroſolymum & Sanctuarium deſtructum iri*, & *populum Iſraël exulaturum dixit in verbo ſuo* VANITAS VANITATUM SECULO HOC.

§. VI. Ex hac occaſione redundat detectio SCOPI peculiaris hujus libri, qui p. d. ille fuit, ut ſpes Regni Meſſiæ, quæ per hos eventus fatales atque decrementa Throni Davidici non parum concutiebatur, de novo confirmaretur. Hic ſcopus erat maximi momenti, *tum* quia Meſſias Regni Davidici Hæres debebat eſſe, adeoque abolitio hujus regni exſpectationem quoque Redemtoris ſuſtuliſſet; *tum quia* maxima rerum omnium ſub feliciſſimo Salomonis regno abundantia multos Epicuræos & contemtores protruſerat, qui ex tali cataſtrophe contra Providentiam Dei & ſpem piorum profanas Diſputationes inſtituebant, quorum ratiocinia vana refellere è re populi Dei erat; *tum* quoniam cataſtrophe hæc ſtatus Judaici præparatio erat ad Meſſiæ adventum, quoniam per illam vanitas bonorum terreſtrium Canaänis luculenter demonſtratur: atque inde mani-

fe-

feſtum eſt, quomodo ſcopus hujus libri ſuavi harmonia cum ſcopo reliquorum omnium librorum V. T. conſpiret.

§. VII. Huic ſcopo congruit *Argumentum*, quod in *Ecclesiaſte* pertractatur, quod in ſe comprehendit, *partim* defenſionem providentiæ in omnibus viciſſitudinibus hujus mundi, *partim* inſtructionem de talibus officiis, quæ tam ab Iſraëlitis piis atque credentibus, quam à Rehabeamo, obſervanda erant, ut fides in Deum conſervetur & juſta ejus ira à Domo Davidis avertatur, quo magis hæc officia curæ erant, eo certius ſperari poterat Thronum Davidis & cum eo ſpem Meſſiæ nunquam vacillaturam eſſe.

§. VIII. In hujus argumenti pertractatione ſingulare artificium adhiberi manifeſtum eſt, quod Salomoni & in reliquis ſcriptis æque familiare fuit, nempe ut per προσωποποιίαν, ſive, ut alii loquuntur *Dramatico more*, diverſæ perſonæ introducantur, quæ alternatim loquuntur, ſuaſque meditationes ad rem, de qua agebatur, confirmandam in commune conferunt, integra enim *Societas Magiſtrorum Collectionis* hic ſiſtitur, quæ, præmiſſo emphatico Prologo, *ultima* quaſi *verba Salomonis* recitat, & poſtquam illum loquentem percepit, ſuis meditationibus adjectis idem thema illuſtrat.

§. IX. In genere 3. partes Principales Libri noſtri poſſunt conſtitui

I. Inſcriptio totius libri cap. I: vs. 1.
II. Tractatio ipſa cap. I: vs. 2. uſque ad XII: vs. 8.
III. Concluſio cap. XII: 9-14.

INSCRIPTIO. Cap. I. vs. 1.

דברי קהלת בן דוד מלך בירושלים *Verba Congregationis Filii David, Regis in Hieroſolymis.*

NO-

NOTÆ ANALYTICO-EXEGETICÆ

IN CAP. I: 1.

In præcedentibus jam eſt monitum, vocem קהלת, quæ Authorem totius libri indicat, paſſive ab interpretibus doctiſſimis explicari, videtur quidem obſtare quod מ participii per aphæreſin exciderit: Verum id non ſolum ex ipſa verborum conſtructione non plane eſt inuſitatum, uti v. g. אלמ Hitpahel Pſ. LXXXIX: 38. verum præcipue etiam frequens iſtud eſt in nominibus, quæ à participiis derivantur, ad quæ noſtrum pertinet. conferatur HILLERUS p. 326. ſeq. Quod ſi nihilominus arrideat *forma activa*, concinne illa conjungi poteſt. Eſt enim *Eccleſia* ſimul *congregata à Domino*, ſimul ipſa *Alma Electorum* in unum corpus *congregatrix*.

Quidquid ſit, hanc קהלת ab ipſo Salomone eſſe diſtinctam, vel ex textus noſtri accentu conjunctivo Munach ſub קהלת apparet, unde DEUSINGIUS quoque in Allegoria Hiſtorica V. T. p. 109. in eam deductus eſt ſententiam, quod ipſa Summa Sapientia, ipſius Salomonis Magiſtra, tanquam loquens in hoc libro debeat conſiderari; difficulter tamen id admitti poteſt, quoniam ei non convenit profectus ille in ſapientia, quam noſtra *Congregatio* de ſe prædicat cap. VII: 28. & XII: 9. 10. quare nulla hactenus apparet ratio, cur ab hypotheſi, quam propoſuimus, diſcedamus; deſcribitur autem hæc *congregatio* a quodam illuſtri capite ſuo, quod nominatur *Filius Davidis*, *Rex in Hieroſolymis:* Evidentiſſimum hoc eſt ipſius SALOMONIS indicium, cujus nomen licet non exprimatur, talia tamen ejus attributa hic commemorantur, quæ ad ſcopum Spiritus ſancti faciebant, nam hæ Salomonis denominationes in ſe continebant baſin infallibilitatis promiſſionum divinarum, quæ *ſub ultimis annis Regni Salomonis* admodum videbantur obſcurari, nam

א. Erat *Filius illius Davidis*, quocum Deus foedus æternum pepigerat, quod non obſtantibus Salomonis quoque peccatis,

tis, ratum firmumque manere debebat, quo ſatis clare alluditur 2 Sam. VII: 13. ſeq. Pſ. LXXXIX: 33. ſeq.

ב. *Rex* erat *in illa urbe*, in qua Deus locum habitaculi ſui fixerat; Quando jam *Congregatio* noſtra ſe cognominat ab hoc *Filio Davidis*, illius rei ratio erat

1. Quod Auctor & Præſes hujus congregationis fuerit.
2. Quod Spiritus Salomonis in reliquis quoque membris ejus requieſceret: Silentio interea hujus libri Scriptores propria nomina prætereunt, cum ut indicarent ſe honorem proprium non quærere, tum, ut eò clarius imaginem veræ Eccleſiæ exhiberent; quæ omnem ſuam dignitatem a Majeſtate coeleſtis Salomonis mutuatur, nec aliter quam in nomine ejus loquitur.

TRACTATIO IPSA.

Illam diſtinguimus ſecundum Perſonas loquentes, unde tres Partes Generaliores naſcuntur.

I. Prologum ipſa *Congregatio* præmittit, per deſcriptionem generalem omnium bonorum apparentium, hujus vitæ c. I: 2-11.

II. Sequuntur verba ipſius Salomonis ultima, quæ per hanc congregationem cuſtodita ſunt; & in quibus Rex ille non ſolum ex propria experientia eandem bonorum hujus mundi vanitatem confirmat, ſed etiam ad Objectiones quaſdam contemtorum Dei, contra vias Providentiæ ejus reſpondet c. I: 12-c. VII: vs. 7.

III. Denique reſumit orationem tota Congregatio novis obſervationibus eandem materiam illuſtrans, c. VII: 8-ad XII: 8.

PROLOGUS LIBRI a TOTA CONGREGATIONE PROPOSITUS Cap. I: 1-11.

הבל חבלים אמר קהלת הבל הבלים הכל הבל׃	2. *Vanitas Vanitatum hinc dicebat* Congregatio, *vanitas vanitatum, hoc omne eſt vanitas.*
מה־יתרון לאדם בכל־עמל	3. *Quanam eſt ſuperſtes excel-len-*

Digitized by Google

שיעמל תחת השמש׃

*lentia homini in omni moleſti-
a, qua ſe fatigaverit ſub ſole;*

דור הלך ודור בא והארץ לעולם
עמדרת׃

4. *Generatio abit & generatio ve-
nit & terra in ſeculum ſubſiſtit.*

וזרח השמש ובא השמש ואל--
מקומו שואף זור ח הוא שם׃

5. *Sol etiam hic ortus eſt, & Sol
hic occidit, & quidem in loco
ſuo, attrahens illic ubi oritur.*

הולך אל--דרום וסובב אל-- צפון
סובב-סובב הולך הרוח ועל--
סביבתיו שב הרוח׃

6. *Ambulat verſus meridiem &
circuit verſus ſeptentionem
ſemper circumiens & ambulans
ventus, quoniam per circuitus
ſuos ventus rediit.*

כל-- הנחלים הלכים אל- הים
והים איננו מלא אל-- מקום
שהנחלים הלכים שם הם
שבים ללכת׃

7. *Omnia flumina eunt verſus
mare & mare non impletur,
ad locum unde fluvii eunt ad
eundem revertitur ad eundem.*

כל--הדברים יגעים לא--יוכל
איש לדבר לא--תשבע עין
לראות ולא--תמלא און משמע׃

8. *Omnes res hæ ſunt fatigantes,
non poterit homo eloqui, non Sa-
turabitur oculus videndo, & non
implebitur auris per auditum.*

מה--שהיה הוא שיהיה ומה-
שנעשה הוא שיעשה ואין
כל--חדש תחת השמש׃

9. *Id quod fuit idem eſt quod erit,
& id quod factum eſt, idem
eſt quod fiet, & nihil eſt novum
ſub hoc ſole.*

יש דבר שיאמר ראה--זה חדש
הוא כבר היה לעלמים אשר
היה מלפנינו׃

10. *Eſt res de qua dicetur: Ecce
illam, hoc eſt novum, jam fuit à
ſeculis, quod fuit modo ante nos.*

אין זכרון לראשונים וגם לאחרנים
שיהיו לא--יהיה להם זכרון עם
שיהיו לאחרנה׃

11. *Non eſt memoria priorum,
atque pariter quoad poſteros,
qui erunt, non erit eorum re-
cordatio, apud illos, qui dein-
ceps poſt eos erunt.*

Digitized by Google

ANALYSIS PROLOGI HUJUS à Cap. I: 2-11.

In hoc Prologo duæ partes ſunt diſtinguendæ

I. Theſis univerſalis in ſequentibus probanda præmittitur vs. 2. *Vanitas vanitatum hinc dicebat congregatio: vanitas vanitatum, hoc omne eſt vanitas.*

II. Confirmatio hujus theſeos vs. 3-11. ita inſtituitur, ut

A. Argumentum per quod hæc theſis aſſeritur præponatur vs. 3. *quænam eſt ſuperſtes Excellentia homini in omni moleſtia, qua ſe fatigaverit ſub ſole?*

B. Per partes demonſtretur vs. 4-11.

1. Per vitæ hominis, quamdiu ſuperſtes, inanitatem, a vs. 4-10. Hæc inanitas per duo documenta monſtratur.

a. Prius documentum petitur a brevitate humanæ vitæ comparate ad reliquas res viſibiles a vs. 4-7. Hæc brevitas

α. Deſcribitur ſub initio vs. 4. *Generatio abit & Generatio venit.*

β. Recenſentur res viſibeles, per quarum ſubſiſtenam longiorem hæc brevitas illuſtratur. Illæ res viſibiles ita ordinantur, ut

א. Inchoetur ab ea, quæ proximè homini adjacet & in qua ſub Vet. T. Iſraëlitæ paſſim ſubſiſtebant vs. 4[ti] parte poſt: *& terra in ſeculum ſubſiſtit.*

ב. Adduntur tria alia ſpecimina longioris durationis

a. Primum deſumtum eſt a ſole, *ſol etiam hic ortus eſt, & ſol hic occidit & quidem in loco ſuo, attrahens illuc ubi oritur.*

b. Alterum deſumtum eſt ab oppoſito quodam exemplo rei inconſtantiſſimæ, nempe venti vs. 6. *ambulat verſus meridiem, & circuit verſus ſeptentrionem ſemper circumiens & ambulans ventus, quoniam per circuitus ſuos ventus rediit.*

c. Tertium Exemplum ſuppeditant flumina. vs. 7. *omnia flumina eunt verſus mare & mare non impletur ad locum, unde fluvii eunt ad eundem.*

b. Porrò inanitas vitæ humanæ demonſtratur ex fruſtraneo labore vs. 8, 9, 10.

α. Pro-

α. Propoſitio hujus argumenti occurrit vs. 8. *omnes res hæ ſunt fatigantes, non poterit homo eloqui, non ſaturabitur oculus videndo & non implebitur auris per auditum.*

β. Illuſtratio hujus argumenti inſtituitur per occupationem objectionis, quæ tam quoad futurum, quam quoad præſens poteſt formari vs. 9. 10.

א. Ratione futuri ſolvitur præſumtio quaſi id, quod nunc inſufficiens eſt, deinceps lapſu temporis plus ſoliditatis acquirere poſſit, hic enim reſpondetur, *id quod fuit idem eſt, quod fiet, & nihil eſt novum ſub hoc ſole.*

ב. Quoad præſens ſolvitur objectio, quaſi in præſentia multa contingant, quæ præcedenti tempore non fuerunt vs. 10. *eſt res de qua dicetur: Ecce illam, hoc eſt novum, jam fuit a ſeculis, quod fuit modo ante nos.*

2. Altera ratio, per quam confirmatur argumentum vs. 3. propoſitum, deſumta eſt a ſpe fruſtranea etiam poſt hanc vitam vs. 11. *non eſt memoria priorum atque pariter quoad poſteros, qui erunt, non erit eorum recordatio apud illos, qui deinceps poſt eos erunt.*

NOTÆ EXEGETICÆ AD VS. 2.

Loquens hic introducitur קהלת ſive *Congregatio*, quaſi conſenſum omnium ejus membrorum circa rem proponendam declarans: אבל *vanitas* appellatur quidquid nebulæ poteſt aſſimilari, unde metaphora petita eſt tam ratione levitatis & inconſtantiæ quæ in rei alicujus eſſentia occurrit, quam ratione ſpei fallacis, quam quis ex illa ſibi fecit; *Vanitas vanitatum* ſecundum ſtylum ſacræ ſcripturæ eſt id, quod inter res vanas pro leviſſimo atque fallaciſſimo haberi debet; abrupta dictio conſiderari debet tanquam exclamatio per ecſtaſin, quaſi quis diceret: *O vanitas vanitatum*; tum ut indicetur admiratio, tum ut indignatio, atque moeror depingatur, quibus affectibus loquens quaſi obrutus

 eſt,

eſt; Quod attinet repetitionem hujus exclamationis cum additamento, eam conſideramus tanquam illuſtrationem præcedentis enunciati, qua non ſolum loquens indicat ſibi rem eſſe cum auditoribus incuriis atque incredulis, quibus difficillime deceptio, qua laborant, detegitur, ſed etiam edocetur, quam amplum hujus vanitatis regnum ſit, quando clauditur: *hoc omne*, הַכֹּל, *eſt vanitas*. Exulare hic meritò jubemus ὑπερβολήν, quam GEIERUS atque alii putarunt heic occurrere, quaſi *omnia* pro plurimis poſita eſſent, nam ה emphaticum ſubjectum hic ſatis reſtringit, Theatrum quaſi coram oculis loquentis eſt apertum, quod ſigillatim cenſemus eſſe, omnia illa externa bona Veteris Teſtamenti, quæ in Canaane copioſiſſimè poſſidebantur, *hæc omnia*, *vanitas* declarabantur: Quidam vertunt *hoc totum eſt vanitas*, & ſic non ſolum ſingulorum bonorum apparentium falſitas indicaretur, ſed etiam omnium partium atque relationum, quæ in talibus bonis occurrunt, a quocunque latere conſiderentur.

AD VS. 3.

Quæritur hic de certa quadam *Excellentia*, quæ poſt omnia bona apparentia hujus vitæ ſuperſit, atque præferri iiſdem mereatur, quæ *Excellentia* procul dubio id ipſum eſt, quod tanquam Summum Bonum debet conſiderari, hinc vocem יתרון optimè vertunt LXX. Interp. per περισσεία, hinc CHALDÆUS eandem vocem interpretatur, *de bono futuri ſeculi*, dum talem paraphraſin dat, *quid reliquum eſt homini*, *poſtquam mortuus fuerit*, *de omni labore ſuo*, *quem ipſe laboravit in hoc ſeculo*; In eodem ſublimi ſenſu vocem noſtram ſumendam eſſe præter Rabbinos, in *Michlol Jophi*, SCHMIDIUS, RAMBACHIUS, FRANCKIUS, Autor *Oblationum Berolinenſium* T. 2. p. 141. & ſeq. aliique cenſent; atque huic ſententiæ favet non ſolum radix, quæ aliquid *perdurans* deſignat, ſed etiam oppoſita vanitas; GEORGIUS WACHTERUS nuperrimè Commentarium vernaculum in Eccleſ. concinnavit, in quo ſæpiuſcule emphaſin phra-

Digitized by Google

phraſium ſine cauſa extenuat, inde contra hanc ſententiam itidem varia objicit, inter quæ hoc eſt præcipuum, ſi יתרון ſemper *manens* & *æternum bonum* indicaret, tum quæſtionem non per voculam מה, ſed per præfixum ה, היתרון inſtituendam fuiſſe, Quæſtionem enim tum fuiſſe, non, quodnam bonum reportaturus ſit Homo, ſed *num bonum ſemper manens adepturus ſit*, idque ea de cauſa, quoniam unum tantum bonum verum ac permanens eſt: Verum difficultas hæc facile ſolvitur, tum quia Bonum ſummum, licet unum ſit ſubjectivè, varias tamen habet ſcheſes defectibus multiplicibus oppoſitas, tum quia quæſtio ad tales dirigitur, qui circa multa bona circumvolitant, atque adigi poſſunt, ut dicant, quodnam ex illis bonis, quæ ſub ſole quærunt, pro permanente ſit habendum? Id certum eſt, quod cura talis præcipui boni debeat objectum eſſe laboris hominum, qui dicitur עמל propter moleſtiam, quæ ei adhæret, & כל עמל propter hujus moleſtiæ multiplicitatem, confer teſtimonium Lamechi. Geneſ. V: 29. Hic *moleſtus labor* adeò *univerſalis* eſt, ut nihil *ſub hoc ſole* queat excipi; vita terreſtris conſideratur, tanquam ſub ſole poſita, oppoſitè ad vitam futuram, in qua neque à ſolis externi vivificatione & vegetatione ita dependebimus, neque intra circulum radiorum ejus videtur gloria Electorum limitanda eſſe: Ad has res ſub ſole hoc, utique etiam pertinet externus cultus, qualis præcipuè fuit ſub lege Moſis, ſub cujus onere & maledictione Iſraël defatigabatur Mal I: 13. Pro duplici autem miſeria eſt habendum, ſi quis non ſolum *moleſtè* ſed etiam *fruſtrà* laboret; id Iſraëlitis in ſumma Canaanis affluentia expectandum erat Jeſ. LV: 2. & tanta miſeria per quæſtionem, quæ proponitur, uniuſcujuſque conſcientiæ meditanda commendatur.

V S. 4.

In hoc commate incipit Propheta demonſtrare, quod bonum permanens in hac vita non ſit expectandum ex eo argumento, quoniam Homo ne quidem capax eſt in hac vita ad talis boni poſ-

poſſeſſionem. Hoc argumentum proponitur in primo lemmate: *generatio abit & generatio venit.* Deinceps autem hæc fluxa conditio generis humani ſub tali mortalitatis lege poſiti illuſtratur collatione ipſius boni caduci, quod ulterius quam hæc vita per naturam ſuam ſe extendit, quando additur: *terra autem in ſeculum eſt conſiſtens*: Abſone agunt, qui ex hac phraſi volunt deducere phyſicam terræ ſubſiſtentiam, cum totus nexus abunde indicet, textum noſtrum non de ſitu ſtatuque terræ naturali, ſed de ſtatu ejus morali & de conſtantia ejus relate ad hominem, agere; Poſſet quidem certo reſpectu iſtud בעולם abſolute intelligi, quoniam non apparet eſſentiam terræ unquam eſſe deſtruendam. Interea innovationem expectat, atque eo reſpectu ſecundum conſuetam limitationem vox עולם poteſt accipi, nempe quoniam facies terræ longe majoris durationis, quam vita noſtra eſt, & quoniam terminus innovationis ejus a nobis ignoratur.

Ex hac autem collatione clariſſime ſequitur, nihil ſuperſtes boni permanentis poſt bonum caducum in hac vita eſſe expectandum, nam (1) bonum apparens longioris durationis eſt quam homo, & (2) quoniam bonum apparens etiam poſt obitum hominis ſubſiſtere pergit, hinc ſequitur hominem nihil ſecum eſſe ablaturum. Job. I: 21. Pſ. XLIX: 18.

VS. 5.

Porro hæc theſis illuſtratur comparatione rerum aliarum viſibilium, atque inter eas (1) *Solis*, cui *ortus* & *occaſus* tribuitur, non cum reſpectu ad integrum ſolare corpus, ſed ad radios, quos emittit, quod etiam videtur innui illa expreſſione, qua indicatur, quod *in loco ſuo* hos effectus cieat, quod convenit cum Syſtemate Copernicano; Tantum abeſt, ut hic locus ei adverſetur; Hic motus ſolis mediante conſtantia radiorum ejus fluxu legibus adeo fixis dirigitur, ut ea propter Deus *ſolem* in ſignum *conſtantiæ foederis ſui* poſuerit, Jer. XXXI: 35. & 36.

Quomodo autem hoc faciat ad illuſtrandam fluxam bonorum apparentium Conditionem, vel ex illo CATULLI conſtat:

Soles occidere & redire poſſunt,
Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

VS. 6.

Succedit per elegantem oppoſitionem illuſtratio theſeos petita à re, quæ omnium leviſſima & inconſtantiſſima videtur, nempe *a Vento*, ad quem merito totum verſum referimus, præeunte etiam accentuum ſitu.

Nervoſe *Venti* ratio hîc depingitur, nam in primo inciſo ei tribuitur *circuitus perplexus*, atque perpetuis motibus irregularibus, ut nobis videtur, obnoxius; verum in ſecundo inciſo indicatur, apparentem hunc motum, nullis legibus parentem, nihilominus ordine conſtanti gaudere, cum circulatio venti perpetua obtineat, quoniam per circulos mire ſibi invicem innexos ad primum ſui motus punctum ſemper revolvatur: ſi venti ratio clarius eſſet detecta, procul dubio adhuc ulterius aſſequeremur id, quod ſapientia Spiritus Sancti de natura venti his verbis teſtari voluit: verum experientia in hunc uſque diem comprobat veritatem dicti Salvatoris Joh. III: 8. de ignorantia originis atque termini motus ventorum; Ex ſenſuum ſanè præjudicio verba Eccleſiaſtis noſtri non eſſe depromta, apparet, quoniam ejusmodi motum circularem per ſenſus non animadvertimus, atque eo certius eſt teſtimonium hoc de natura ventorum, ad quod confirmandum experientia nondum ſufficit, ex divina inſpiratione profluxiſſe; Obſervationes quidem aliquas ſpecialiores in hanc rem HALLEJUS affert in Act. Erud. anno 1687. p. 509. ſeq. quæ aliquam de quorundam ſaltem ventorum circulatione cogitandi anſam ſubminiſtrant, verum illæ ventum generaliter conſideratum non concernunt, & rectiſſimè hic per ſingularem numerum הרוח unus tantum eſſe innuitur, quoniam procul dubio unicum omnis motus in äere eſt principium, unde omnium ſuccedentium motionum concatenatio oritur. Cæterum apprimè *circularis ille venti fluxus atque refluxus* congruit hypotheſi *de*

eadem motus in rerum natura *quantitate* conſtanter permanente.
Si ergo tam conſtans eſt ventorum motus, tum evidentiſſimum eſt, quod res omnium leviſſima, & quæ nihil niſi merum accidens eſt, nihilominus majori duratione gaudeat, quam vita humana.

VS. 7.

Hic novum ſpecimen conſtantiæ rerum præ vita hominis petitur *a ratione aqua*, quæ ipſa quoque alias inter res leviores numerari ſolet; nihilominus leges fixæ hujus elementi *in mari* & *fluviis* occurrunt: mare non excedit ſua littora, quamvis omnes fluvii in id ſe exonerent; fluvii nunquam exſiccantur aut defluunt, ſecundum illud HORATII:

Ruſticus exſpectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Nempe quoniam hic quoque perpetua humorum obtinet circulatio, uti Phyſici abunde demonſtrarunt.

VS. 8.

Tres verſus ſequentes oſtendunt, etiam, ſi vita ulterius, quam hæc objecta ſe extenderent, nihilominus objectorum illam eſſe paupertatem, ut cupiditates humanas exſatiare non poſſint. Hoc primo inde deducitur, quoniam illa eſt rerum natura, ut ipſæ ſint *fatigata* יגעים, quæ vox à DRUSIO & COCCEJO activè ſumitur, quaſi diceretur *fatigantes*, verum cum ea non occurrat, niſi Deut. XX: 18. & 2 Sam. XVII: 2. ubi non niſi paſſivam ſignificationem habet, in illa hîc quoque ſubſiſtendum erit; *Res* autem *fatigata* non niſi per metaphoram dici poſſunt, nam feſſum eſt quidquid ab onere incumbente premitur, & viribus eſt exhauſtum, quo ſenſu vox cognata occurrit Job. III: 17. nempe *feſſa* ſunt *res*, quoniam ſub maledictione per peccatum omnes ſunt concluſæ, atque viribus illis quaſi ſpoliatæ,
quæ

Digitized by Google

quæ ad ſcopum obtinendum requirebantur, corruptæ ſunt cum peccatore, quoniam non amplius ad honorem Dei impenduntur, ſed potius vanitati hominis inſerviunt, *hæc fatigatio rerum nequit pronunciari*, tum propter multitudinem, tum propter magnitudinem calamitatis, qua Creatura univerſa per peccatum eſt obruta: Quid autem tales res poſſent afferre ad bonum permanens, quæ ipſæ tot ſigna iræ divinæ in ſe expreſſa oſtendunt?

Accedit experientia ſenſuum duorum præcipuorum hominis, *viſus* & *auditus*, abſque quorum uſu nullum bonum apparens ad fruitionem noſtram poſſet pervenire.

Objecta *viſus* non dant veram ſatietatem, ut ex collato cap. IV: 9. & Prov. XXVII: 20. ſequitur. Excellentiora videntur eſſe objecta *auditus*, qualia ſunt ſcientiæ, atque honores per famam celebrem acquiſiti; ſed & illa objecta non implent aures, quoniam eorum tanta eſt curioſitas & pruritus, ut plura ejuſmodi audire ſemper deſiderent.

V S. 9.

Hoc comma eò pertinet, ut indicetur in futurum nullam aliam ſpem expectandam eſſe, quoniam & objecta & actiones hominum ſemper eædem manent; Prior phraſis ad objecta, poſterior ad actiones pertinet, quæ omnes, pari imperfectione, hæ pariter perverſitate laborant, unde id colligitur, quod *nihil novi ſit ſub ſole*, Phraſis illa *ſub ſole*, ſpectat ad res viſibiles, quæ mediante ſolis luce percipiuntur, nam quoad res inviſibiles, ſæpe *aliquid novi Deus molitur*, uti liquet ex Jerem. XXXI: 22. 2 Cor. V: 17. Apoc. XXI: 1. Verum hæ tanquam *ſupra ſolem* evectæ conſiderantur.

Præterea eo minus talia poſſunt objici, quoniam Eccleſ: noſter non agit de operibus divinis, ſed de actionibus hominum: Gloria Dei eſt, nova ſemper producere, verum impotentia creaturæ eadem ſemper chorda oberrat.

V S. 10.

Duo Tmemata hic verſus habet, quæ totidem argumenta ſubminiſtrant pro illa theſi, quod *nihil novi fiat ſub ſole:* Primum tmema præſcindit objectiones in futurum, alterum reſpicit ad præterita; ad futurum collimatur, quando dicitur: *Jam rem quandam eſſe, quæ futuro tempore pro nova venditanda*; verbi gratiâ, Rebellio contra regnum & domum Davidis, quæ tum ſe movebat, quando Salomo hæc ſcripto conſignabat; hæc quidem res apud poſteros tanquam nova erat prædicanda, etiamſi illi ipſi eandem ſcenam mutatis tantum perſonis eſſent acturi in rebellione, contra Davidis filium atque Dominum: Idem poterat illuſtrari ex præcedenti agendi modo ab omnibus ſeculis, cum id, quod modo acciderat per defectionem Jeroboami & aliorum à Salomone, idem eſſet, quod jam à ſeculo per omnes mutationes Eccleſiæ erat factum, ſemen enim ſerpentis jam à Paradiſo contra ſemen mulieris arma geſſerat.

V S. 11.

Hic indicat Propheta, cum hactenus abundè eſſet perſpectum in vita præſenti, nullum bonum verum ſuperfuturum eſſe poſt omnes labores, & moleſtias hujus vitæ devoratas, quod etiam *poſt hanc vitam in terra nihil eſſet exſpectandum*, nam unicum quod poſt hanc vitam expectari poterat, in fama poſt mortem ſuperſtite ponendum erat, verum quam vanum etiam hoc eſſet, per experientiam confirmatur, nam cum nos tam facile ſubeat oblivio eorum, quæ à majoribus egregiè ſunt facta, idem quoque à poſteritate relatè ad nos expectandum erit,

Mors etiam ſaxis nominibuſque venit, ut AUSONIUS ait.

ULTIMA VERBA SALOMONIS:

Duabus partibus illa conſtant.

I. In illis vanitas omnium bonorum apparentium per propriam ex-

experientiam deſcribitur &c. cap. I: 12. ad cap. II. fin:
II. Teſtificatio hæc confirmatur contra doctrinam contemtorum Dei, à cap. III. initio cap. VII: 27.

TESTIFICATIO EXPERIMENTALIS SALOMONIS DE VANITATE OMNIUM BONORUM APPARENTIUM.

à Cap. I: 12- Cap. II. fin.

אני קהלת הייתי מלך על--ישראל בירושלם:

12. *Ego, ô Congregatio, fui Rex ſuper Iſraelem, Hieroſolymis.*

ונתתי את--לבי לדרוש ולתור בחכמה על כל--אשר נעשה תחת השמים הוא ענין רע נתן אלהים לבני האדם לענות בו:

13. *Et tradidi cor meum ad quærendum & explorandum per illam ſapientiam, ſecundum quod fit ſub hoc coelo; Hæc eſt occupatio mali, quam Deus dedit filiis hominis ad affligendum in illa.*

ראיתי את- כל-המעשים שנעשו תחת השמש והנה הכל הבל ורעות רוח:

14. *Aſpexi omnes actiones, quæ fiunt ſub hoc ſole, & ecce; illæ omnes ſunt vanitas & contritio Spiritus.*

מעות לא--יוכל לתקן וחסרון לא--יוכל להמנות:

15. *Curvum non poteſt rectum fieri, & defectus non poteſt ſuppleri.*

דברתי אני עם--לבי לאמור אני הנה הגדלתי והוספתי חכמה על כל-אשר-היה לפני על-- ירושלם ולבי ראה הרבה חכמה ודעת:

16. *Locutus ſum ego mecum corde meo, dicendo: Ego, ecce! magnificavi ſapientiam ſuper omnes, qui ante me fuerunt ſuper Hieroſolymis, & cor meum multum vidit ſapientiæ & cognitionis.*

ואתנה לבי לדעת חכמה ודעת

17. *Et tradidi cor meum ad agnoſcen-*

הללות ושכלות ידעתי שגם--זה הוא רעיון רוח:

ſcendum ſapientiam & ſcientiam ſtoliditatis ac ſtultitiæ. Agnovi quod in hoc ipſo ſit contritio Spiritus.

כי ברב חכמה רב--כעס ויוסיף דעת יוסיף מכאוב:

18 *Nam in multitudine ſapientiæ eſt multitudo inquietudinis, & qui augmentat ſcientiam multiplicat dolorem.*

CAP. II.

אמרתי אני בלבי לכה--נא אנסכה בשמחה וראה בטוב והנה גם--הוא הבל:

1. *Dicebam ego in corde meo: agedum tentabo te per lætitiam & aſpice bonum; Eſt ecce hoc etiam eſt vanitas.*

לשחוק אמרתי מהולל ולשמחה מה--זה עשה:

2. *De riſu dicebam, veſanus eſt: & de lætitia, quid illa facit.*

תרתי בלבי למשוך ביין את--בשרי ולבי נהג בחכמה ולאחז בסכלות עד אשר-אראה אי--זה טוב לבני האדם אשר יעשו תחת השמים מספר ימי חייהם:

3. *Exploravi cor meum pelliciendo verſus vinum carnem meam: Verum cor meum ducitur ſapientia etiam per apprehenſionem ſtultitiæ, uſque dum viſurus ſum, quale iſtud bonum ſit filiorum hominis, quod fecerint, quod comparaturi ſunt ſub coelo in numero dierum vitæ eorum.*

הגדלתי מעשי בניתי לי בתים נטעתי לי כרמים:

4. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, plantavi mihi vineas.*

עשיתי לי גנות ופרדסים ונטעתי בהם עץ כל--פרי:

5. *Confeci mihi hortos & paradiſos, & plantavi in illis quamcunque arborem frugiferam;*

עשיתי לי ברכות מים להשקות

6. *Confeci mihi piſcinas aquarum, ad*

Digitized by Google

מהם יער צומח עצים:

ad inrigandum per illos ſylvam floreſcentem lignis.

קניתי עבדים ושפחות ובני--בית היה--לי גם מקנה בקר וצאן הרבה היה לי מכל שהיו לפני בירושלם:

7. *Acquiſivi ſervos & ancillas; Et filii domus erant mihi, etiam facultas armenti & pecudis plurima mihi erat, præ omnibus qui fuerunt ante me Hieroſolymis.*

כנסתי לי גם--כסף וזהב וסגלת מלכים והמדינות עשיתי לי שרים ושרות ותענגות בני האדם שדה ושדות:

8. *Congregavi etiam mihi argentum & aurum & peculia Regum & Provinciarum*; Comparavi mihi cantatores & cantatrices, & dilicias filiorum hominis, concubinam & concubinas.*

וגדלתי והוספתי מכל שהיה לפני בירושלם אף חכמתי עמדה לי:

9. *Et magna feci & coacervavi præ omnibus, qui ante me Hieroſolymis fuerunt; etiam ſapientia mea reſtabat mihi.*

וכל אשר שאלו עיני לא אצלתי מהם לא--מנעתי את--לבי מכל--שמחה כי--לבי שמח מכל--עמלי וזה--היה חלקי מכל--עמלי:

10. *Et quidquid deſiderabant oculi mei, non prohibui ab illis; Non retinui cor meum a quacunque lætitia, quoniam cor meum lætabatur, propter omnem meum moleſtum laborem, atque hæc erat pars mea, ex omni mea moleſtia.*

ופניתי אני בכל--מעשי שעשו ידי ובעמל שעמלתי לעשות והנה הכל הבל ורעות רוח ואין יתרון תחת השמש:

11. *Et converti ego me ad omnia opera mea, quæ fecerunt manus meæ, & ad moleſtiam quam impendi ad illa facienda, & ecce iſtud omne erat vanitas & confractio Spiritus, & nulla excellentia ſuperſtes erat ſub ſole.*

12. *De*

ופניתי אני לראות חכמה
והוללות כי מה האדם שיבוא
אחרי המלך את אשר--כבר
עשוהו:

12. *Et converti ego me ad videndum ſapientiam & deliramenta, & ſtultitiam; nam quiſnam eſt in eo homo, qui Regem illum ſequitur, quem ipſi antea fecerunt.*

וראיתי אני שיש יתרון לחכמה
מן--הסכלות כיתרון האור
מן--החשך:

13. *Nam vidi ego quod ſapientia habeat prærogativam permanentem præ ſtultitia, ſicuti eſt prærogativa lucis præ tenebris;*

החכם עיניו בראשו והכסיל בחשך
הולך וידעתי גם--אני שמקרה
אחד יקרה את--כלם:

14. *Quod attinet ſapientem, oculi ejus ſunt in capite ejus, & ſtultus ambulat in tenebris, verum etiam ego cognovi, quod unus eventus omnes illos ſit manſurus.*

ואמרתי אני בלבי כמקרה הכסיל
גם--אני יקרני ולמה חכמתי אני
אז יתר ודברתי בלבי שגם--זה
הבל:

15. *Et dixi ego in corde meo, ſi ſecundum eventum ſtulti etiam mecum agetur, ſapiens ego tunc evaſi, & dixi in corde meo, quod iſtud etiam ſit vanitas.*

כי אין זכרון לחכם עם--הכסיל
לעולם בשכבר הימים הבאים
הכל נשכח ואיך ימות החכם
עם--הכסיל:

16. *Quoniam nulla eſt memoria ſapientis æque ac ſtulti in ſeculum, quia jam ante dies venturos iſtud oblivioni eſt traditum, & vah! morietur ſapiens cum ſtulto.*

ושנאתי את--החיים כי רע עלי
המעשה שנעשה תחת השמש
כי--הכל הבל ורעות רוח:

17. *Et odio habui hanc vitam, quoniam opus quod fiebat ſub ſole malum coram me erat, quia omne id eſt vanitas & fractio Spiritus.*

ושנאתי אני את--כל--עמלי שאני

18. *Et odio ego habui omnem meam*

עמל תחת השמש שאניחנו
לאדם שיהיה אחרי:

am moleſtiam, in qua ego laboravi ſub ſole, quoniam illam relicturus homini qui erit poſt me.

ומי יודע החכם יהיה או סכל וישלט
בכל--עמלי שעמלתי ושחכמתי
תחת השמש גם--זה הבל:

19. *Quis autem novit an futurus ſit ſapiens an ſtultus, & tamen imperabit omni in eo moleſto labori, quem cum moleſtia & cum ſapientia exercui ſub ſole, Hoc quoque eſt vanitas.*

וסבותי אני ליאש את--לבי על
כל--העמל שעמלתי תחת
תחת השמש:

20. *Et converti me ego ad cor meum ſpe exuendum propter omnem illam moleſtiam, quæ me exercuit ſub hoc ſole.*

כי--יש אדם שעמלו בחכמה
ובדעת ובכשרון ולאדם שלא
עמל--בו יתננו חלקו גם--זה
הבל ורעה רבה:

21. *Eſt enim homo, cujus moleſtus labor præſtitus fuit in ſapientia & in experientia & in rectitudine, & homini qui nullam moleſtiam ea de re habuit, tradet ſortem ſuam, hoc itidem eſt vanitas & malum magnum.*

כי מה-הוה לאדם בכל--עמלו
וברעיון לבו שהוא עמל תחת
השמש:

22. *Nam quid eſt homini, in omni ſua moleſtia & in confractione cordis propter quam moleſte ſe habuit ſub hoc ſole*

כיכל--ימיו מכאבים וכעס ענינו
גם-בלילה לא--שכב לבו גם-זה
גם-זה הבל הוא:

23. *Nam omnibus rebus ejus erant dolores, & ægritudo erant opus ejus, etiam noctu non quievit cor ejus, hoc itidem eſt vanitas.*

אין-טוב באדם שיאכל ושתה
והראה את--נפשו טוב בעמלו

24. *Annon bonum eſt homini ut comedat & bibat, & exploret*

ani

גם-זה ראיתי אני כי מיד
האלהים היא׃

anima ſua bonum in moleſto ſuo labore, etiam hoc expertus ſum ego, quod ex manu Dei iſtud ſit.

כי מי יאכל ומי יחוש חוץ ממני׃

25. *Quis enim comedet, & quis proſperabitur plus quam ego.*

כי לאדם שטוב לפניו נתן חכמה
ודעת ושמחה ולחוטא נתן
ענין לאסף ולכנוס לתת לטוב
לפני האלהים גם-זה הבל
ורעות רוח׃

26. *Nam homini, qui bonus eſt coràm facie ejus, dedit ſapientiam ad experientiam & lætitiam, ſed peccatori dedit opus hoc, ut colligat & congreget dando bono coram facie Dei; Hoc etiam eſt vanitas & fractio Spiritus.*

ANALYSIS á Cap. I: 12- Cap. II: 1. fin.

IN HAC PERICOPA DISTINGUENDA SUNT.

I. Præfatio vs. 12. *Ego O! Congregatio, fui Rex ſuper Iſraelem, Hieroſolymis.*

II. Ipſum Salomonis Teſtimonium a vs. 13. ad finem c. 11. ſe extendens. In eo duæ partes generaliores occurrunt

- A. Experientia ipſa, quam Salomo de bonis quibuſcunque terreſtribus acquiſiverat, à vs. 13. ad c. 11. vs. 23. Experientia hæc eſt duplex
  - 1. Concernit actiones omnium hominum in genere vs. 13, 14, 15. diſtinguimus hic
    - a. Experimentum ipſum in priori parte vs. 13. *& tradidi cor meum ad quærendum & explorandum per illam ſapientiam ſecundum omne, quod ſit ſub hoc cœlo.*
    - b. Experientia per hac experimentum acquiſita a verſu 13. medio uſque ad 15. fin. Illa
      - α. Proponitur vs. 13. tmemate 2do; *hac eſt occupatio mali, quam Deus dedit filiis hominis ad affligendum in illa.*
      - β. Confirmatur vs. 14. & 15.

ℵ. Per

א. Per intrinſecam omnium negotiorum humanorum vanitatem & triſtem eorum effectum. vs. 14. *aſpexi omnes actiones, quæ fiunt ſub hoc ſole, & ecce! illæ omnes ſunt vanitas & contritio ſpiritus.*

ב. Per incurabilem & deſperatum rerum humanarum ſtatum vs. 15. *curvum non poteſt rectum fieri; & defectus non poteſt ſuppleri.*

2. Porro concernit actiones Salomonis ſpeciatim conſideratas á v. 16. ad cap. II. vs. 23. & quidem hoc pacto, ut oſtendatur quomodo per tres diverſas pravæ concupiſcentiæ ſpecies Salomo tentaverit, an aliquid invenire poſſet, quo deſiderio ejus ſufficeret.

a. Prima concupiſcentia tendebat ad famam ſapientiæ ſibi in terra comparandum á vs. 16. ad 18. Hic iterum diſtinguimus

α. Experimentum ipſum vs. 16. *locutus ſum ego mecum corde meo, dicendo: Ecce ego magnificavi ſapientiam ſuper omnes, qui ante me fuerunt ſuper Hieroſolymis: & cor meum multum vidit ſapientiæ & cognitionis.*

β. Experientia per hoc experimentum contracta. vs. 17, 18. hæc deſcribitur

א. Modus, quo paulatim ad hanc experientiam pervenit. vs. 17. in tmemate primo: *& tradidi cor meum ad agnoſcendum ſapientiam & ſcientiam ſtoliditatis ac ſtultitiæ.*

ב. Sequela ex hoc agendi modo ſalubriter derivata, quæ

a. Proponitur vs. 17. tmemate 2do: *agnovi quod in hoc ipſo ſit contritio ſpiritus.*

b. Confirmat vs. 18. *nam in multitudine ſapientiæ eſt multitudo inquietudinis, & qui augmentat ſcientiam, multiplicat dolorem.*

b. Secunda concupiſcentia tendebat in fruitionem voluptatum hujus vitæ: de illa agitur cap. II: 1-11. In illa autem 3.

veſi gradus poſſunt diſtingui, qui ſe invicem exceperunt

α. *Primus* gradus erat affectatio carnalis lætitiæ vs. 1.
2. hic diſtinctè proponitur

א. Experimentum vs. 1. *dicebam ego in corde meo, agedum tentabo te per lætitiam & aſpice bonum.*

ב. Experientia per id acquiſita, illa

a. Proponitur vs. 1. in part. poſt. *& ecce hoc etiam erat vanitas.*

b. Effectus hujus experientiæ ſalutaris ſaltem ad tempus additur: *de viſu dicebam, veſanus eſt: & de lætitia, quid illa fecit.*

β. *Secundus* gradus deſcribitur vs. 3. hic

א. Proponitur experimentum: *exploravi cor meum, pelliciendo verſus vinum carnem meam.*

ב. Temperamentum, per quod hic gradus tentationis eſt circumſcriptus, ut non in plenum effectum prorumperet vs. 3. p. poſt. *verum cor meum ducitur ſapientia, etiam per apprehenſionem ſtultitiæ, uſquedum viſurus ſum, quale iſtud bonum ſit filiorum hominis quod fecerint, quod comparaturi ſunt ſub coelo innumero dierum vitæ eorum.*

γ. Tertius gradus à vs. 4-11. hic

א. Inſtituitur enumeratio multiplicium objectorum, in quæ concupiſcentia Salomonis inclinavit. Hæc objecta

a. Deſcribuntur à vs. 4-8. & quidem ita, ut ad tres claſſes poſſunt referri

1. Ad faſtum vitæ pertinent illa, quæ enumerantur vs. 4, 5, 6. de illis

A. In genere dicitur vs. 4. initio. *Efficiebam mihi opera magna.*

B. Specialius illa opera in ſeq. enumerantur: *ædificavi mihi domos; plantavi mihi vineas; confeci mihi hortos & paradiſos; & plantavi in illis quamcunque arborem*

fru-

frugiferam; confeci mihi piſcinas aquarum ad irrigandum per illas ſylvam floreſcentem lignis.

2. Ad concupiſcentiam oculorum, ſive opes congerendas magis pertinent illa, quæ commemorantur vs. 7. & 8vi p. poſt. *Acquiſivi ſervos & ancillas, & filii domus* (ſive ſervi domi nati) *erant mihi, etiam facultas armenti & pecudis plurima mihi erat, præ omnibus, quæ fuerunt ante me Hieroſolimis: congregavi etiam mihi argentum & aurum & peculia gregum & provinciarum.*

3. Quæ reſtant voluptatem carnis potiſſimum concernunt: *comparavi mihi cantatores & cantatrices, & delicias filiorum hominis, concubinam & concubinas.*

b. Objecta hæc adhuc alterius exaggerantur vs. 9, 10.

1. Per comparationem cum aliis vs. 9. init: *& magna feci & coacervavi præ omnibus, qui ante me Hieroſolymis fuerunt.*

2. A diverſis adjunctis tot externorum bonorum

A. Primum adjunctum eſt, quod in tanta rerum affluentia nondum planè ex gratia exciderit vs. 9. fin: *etiam ſapientia mea reſtabat mihi.*

B. Alterum adjunctum eſt univerſalitas horum bonorum tam objectiva, quam ſubjectiva.

α. Objectiva vs. 10. init: *& quidquid deſiderabant oculi mei non prohibui ab illis.*

β. Subjectiva vs. 10. p. poſt: *non retinui cor meum à quacunque lætitia, quoniam*

cor meum lætabatur propter omnem meum moleſtum laborem, atque hæc erat pars mea ex omni mea moleſtia.

ג. Experientia ex tam multiplici jucundiſſimorum objectorum deguſtatione contracta indicatur vs. 11. *& converti ego me ad omnia opera mea, quæ fecerunt manus meæ, & ad moleſtiam quam impendi ad illa facienda, & ecce iſtud omne erat vanitas & confractio ſpiritus, & nulla excellentia ſuperſtes erat ſub ſole.*

c. Tertium concupiſcentiæ genus, quod poſt hæc omnia Salomonem ſub annis ſenectutis ſubivit, commemoratur, a vs. 12-23. illud eſt bimembre

α. Memoriam ſui etiam in poſteritate conſervandam cupiverat, de qua vs. 12-17. Hæc paſſio animi

א. Deſcribitur vs. 12, 13, 14 hic

a. Proponitur experimentum ipſum vs. 12, 13, & 14. p. priori, & quidem ita, ut

1. Quod medium Salomo adhibuerit, commemoretur vs. 12. *& converti ego me, ad videndum ſapientiam & deliramenta & ſtultitiam.*

2. Motiva adhibiti hujus medii addantur, *nam quisnam eſt in eo homo, qui regem illum ſequitur, quem ipſi ante fecerunt;*

3. Ratio ſingularis hoc medium legitimum eſſe probans, addatur vs. 13. & 14. init: *nam vidi ego, quod ſapientia habeat prærogativam permanentem præ ſtultitia, ſicuti eſt prærogativa lucis præ tenebris; quod attinet ſapientem, oculi ejus ſunt in capite ejus, & ſtultus ambulat in tenebris.*

b. Experientia ipſa additur vs. 14. part. poſter. *verum etiam ego cognovi, quod unus eventus omnes illos ſit manſurus.*

ב. Eſ-

ב. Effectum hujus experientiæ additur. vs. 15. uſque ad vs. 17. ille effectus eſt duplex

a. Deterior vs. 15. & 16. & *dixi ego in corde meo, ſi ſecundum eventum ſtulti etiam mecum agetur*, corrigitur tamen excellenti modo, *ſapiens ego tunc evaſi & dixi in corde meo, quod iſtud etiam ſit vanitas, quoniam nulla eſt memoria ſapientis ac ſtulti in ſeculum, quia jam ante dies venturos omne iſtud oblivioni eſt traditum, & vah! morietur ſapiens cum ſtulto.*

b. Effectus melior exprimitur. vs. 17. *& odio habui hanc vitam, quoniam opus, quod fiebat ſub ſole, malum coram me erat, quia omne id eſt vanitas & fractio Spiritus.*

β. Altera cura ſenilis Salomonis concernebat ſapientem bonumque ſucceſſorem á vs. 18-23. Hæc cura

א. In compendio deſcribitur vs. 18. *& odio ego habui omnem meam moleſtiam, in qua ego laboravi ſub ſole, quoniam illam relicturus homini, qui erit poſt me.*

ב. Proprius illuſtratur & exponitur à vs. 19-23. hic

a. Indicatur, quid proprie iſtud fuerit, quod curam Salomonis exercuit vs. 19. *quis autem novit, an futurus ſit ſapiens & ſtultus, & tamen imperabit omni in eo moleſto labori, quem cum moleſtia & cum ſapientia exercui ſub ſole. Hoc quoque eſt vanitas!*

b. Effectus quem hæc ſollicitudo in Salomone habuit, additur vs. 20-23. Ille effectus

1. In genere proponitur vs. 20. *& converti me ego ad cor meum ſpe exuendum propter omnem illam moleſtiam, qua me exercuit ſub hoc ſole.*

2. Defenditur hæc cura per ſonticam rationem,

nem, quæ iterum

A. Proponitur vs. 21. *Eſt enim homo, cujus moleſtus labor præſtitus fuit in ſapientia & in experientia & in rectitudine; & homini, qui nullam moleſtiam eâ de re habuit, tradet ſortem ſuam, hoc itidem eſt vanitas & malum magnum.*

B. Urgetur per demonſtrationem propriorem illius mali, quod in hac re occurrit

α. Argumentum primum hujus aſſerti exhibetur vs. 22. *nam quid eſt homini in omni ſua moleſtia & in confractione cordis ſui, propter quam moleſtè ſe habuit ſub hoc ſole.*

β. Argumentum ſecundum ſequitur vs. 23. *nam omnibus diebus ejus erant dolores & ægritudo erant opus ejus, etiam noctu non quievit cor ejus: hoc itidem eſt vanitas.*

B. Altera pars Sermonis Salomonis oſtendit per modum concluſionis ex præcedentibus, quanam in re verum bonum hujus vitæ conſiſtat, hoc

1. Proponitur vs. 24. *annon bonum eſt homini, ut comedat & bibat & exploret anima ſua bonum in moleſto ſuo labore; etiam hoc expertus ſum ego, quod ex manu Dei iſtud ſit.*

2. Confirmatur per duplicem experientiam

a. Per experientiam circa propriam perſonam vs. 25. *quis enim comedet & quis proſperabitur plus quàm ego.*

b. Per experientiam viarum Dei circa alios vs. 26.

α. Circa pios: *nam homini, qui bonus eſt coram facie ejus, dedit ſapientiam & experientiam & lætitiam.*

β. Circa impios: *ſed peccatori dedit opus hoc, ut colligat & congreget, dando bono coram facie Dei; hoc etiam eſt vanitas & fractio ſpiritus.*

SCHO-

SCHOLIA AD VS. 12.

Conſideramus hic *Congregationem*, non ut perſonam loquentem, ſed ut talem, ad quam ſermo dirigitur ab ipſo Salomone, quaſi diceretur *O! Congregatio*, *Ego fui Rex* &c. Deſcriptio quam SALOMO de ſe hic exhibet, ita eſt concinnata, ut ſingulare pondus ſermoni ejus conciliet, nam.

§. I. Nominat ſe *Regem*, qui per hanc ſuam exaltationem eo aptior erat ad Teſtimonium vanitati illarum rerum exhibendum, in quibus bonum hujus vitæ quæritur.

§. II. Eſt *Rex Iſraëlis* excellentiſſimi in terris populi, in quo ſtudia ſapientiæ plus quam alibi florebant, qui non ſolum promiſſiones V. T. acceperat, ſed etiam earum implemento pleniſſimo ſub regno David. & Salom. gaudebat.

§. III. Sedes regni ejus erat *Hieroſ.* urbs, in qua præſentia Dei anſam ſubminiſtrabat ad collationem inter ejus favorem atque coeterarum creaturarum uſum faciendum, præſertim cum illa ad tantum faſtigium omnigenæ affluentiæ opum atque voluptatem quarumcunque ſub Salomone ſurrexerat.

§. IV. Emphaſin quoque habet tempus præteritum, הָיִיתִי, non ſolum quoniam per ſchiſmata ac ſeditiones varias præſertim Jerobaomi Regnum ejus in Iſraele vacillare inceperat, ſed etiam præcipue, quod in ultimum vitæ ſuæ gradum conſtitutus breviſſime ſe omnem illam magnificentiam relicturum eſſe, præſentiebat.

VS. 13.

Ab hoc verſu Salomo inchoat hiſtoricam relationem exhibere multiplicis experientiæ, quam ſucceſſive de variis apparentium bonorum generibus habuerat effectuumque & motuum, quos illorum aut affluentia, aut vanitas in corde ejus ſucceſſive produxerat, fili hujus hiſtorici diverſarum tentationum Salomonis diligens obſervatio omnem confuſionis ſpeciem in hac

Digitized by Google

recenſione plane delet, ſi enim quædam hic apparet in materia confuſio, illa ex nulla alia origine eſt repetenda, quam ex perpetuis illis fluctibus cordis Salomonis, per quos jam in hanc, jam in illam partem jactatus eſt, in eo tamen ordo ſatis planus occurrit, quod ſecundum diverſos ætatis ſuæ paulatim deficientis gradus hos animi motus dividat, adeoque incipit ab illa concupiſcentia, quæ potiſſimum cor ejus in viridi juventutis ætate implevit, & cui anſam dedit ingens illa ſapientiæ divinæ fama, quæ de Salomone longè lateque ſparſa eſt; Id ſaltem itidem poteſt obſervari, quod paulatim in pejus tentationes Salomonis eum præcipitaverint, prima enim, cujus hic verſus mentionem facit præ aliis, poterat excuſpari, nempe quod ſtatim in regni ſui initio quæſiverit *experientiam habere præcipuarum curarum & actionum generis humani*, ut nempe per illas animum hominum atque internas illorum inclinationes exploraret; Uſus quoque ab initio erat ad hanc perveſtigationem medio congruo nempe Sapientia illa, quam Deus ipſi poſt preces ea propter fuſas donaverat. Alterum tmema hujus verſus ita videtur cum priori cohærere, ut in eo vera facies talium actionum humanarum ſicuti paſſim ſe habent, proprius delineetur; Vox ענין quæ ſæpius in hoc libro occurrit, propriè deſignat *laborem* cum emphaſi, ſive *opus præcipuum*, τὸ ἔργον in quo perficiendo homo occupatur, hæc occupatio nominatur in ſtatu conſtructo ענין רע *labor mali*, nam vox רע etiam nominis ſubſtantivi formam habet, *opus* autem *malitiæ*, eſt peccatum, in cujus ſervitio homo a natura eſt occupatus, ut non poſſit non peccare, verum infauſtum eſt hoc opus, quoniam ipſa ejus eſſentia poenam quoque involvit, ea propter dicitur, quod *Deus hoc dederit filiis hominis ad affligendum in eo*, dare hic eſt idem ac concedere, permittere Jeſ. L: 6. infra cap. II: 26. & XXX: 10. Merito autem dicitur, quod hoc *opus dederit ad vexandum*, nihil enim durius eſt, quam ſervire peccato, ſicuti virtus certa ratione ſibi ipſi præmium eſt, ſic etiam vitium; In concupiſcentiæ exoptatiſſimæ implemento latet aculeus inquietudinis & nauſeæ; Ipſum corpus per hoc ſervitium ſæpe enervatur.

VS. 14.

V S. 14.

Primum membrum hujus verſus indicat, quomodo Salomo propoſitum ſuum executioni dederit, idque eo cum ſucceſſu, ut *omnia opera*, id eſt, qualiacunque, *quæ ſub ſole fiunt* ſub incudem vocaverit, nam *videre* hîc tantundem eſt, ac contemplari atque cognoſcere. Alterum membrum judicium continet, quod Salomo ſecundum hanc experientiam tulit; Subjectum ſunt *omnia illa* præciſe *negotia*, quæ in verſu præcedenti deſcripta erant, ut *negotia malitiæ*, de his prædicatur.

1. Quod ſint *vanitas* vs. 2.

2. Quod ſint *fractio ſpiritus*; prius magis reſpicit defectum boni veri, quod quæritur, poſterius contrarii mali cauſam, vox רעות á 70. Interpretibus redditur per προαιρεσις, niſi corrupta ſit lectio pro περιαιρεσις, quod deſignat *amputationem*, *decorticationem*. HIERONYMUS notavit quod AQUILA & THEODOTION vocem רוח non *ſpiritus*, ſed *ventus* reddiderint, quaſi dicas *paſtionem venti*, verum idem ab Hebr. ſe inſtitutum eſſe docet, quod רעות magis in hoc loco *afflictionem* & *moleſtiam*, quam *paſtionem* ſignificaret, hunc nos quoque ſequimur, idque eo lubentius quoniam CHALD. eandem phraſin reddidit רביזות רוחא. *confractio ſpiritus*.

V S. 15.

Hic indicatur, quomodo triſtis ille exitus factorum malorum triſtior reddatur, quoniam eſt immedicabilis, meretur hic notari paraphraſis Chald: in hoc verſu quæ ita ſe habet; *vir cujus via rebelles ſunt in hoc ſeculo & moritur in iis & non reverſus eſt ad poenitentiam, non eſt ei facultas corrigendi ſe poſt mortem ſuam*; *& vir deficiens in lege & praceptis in vita ſua, poſt mortem non poterit numerari cum juſtis in Paradiſo*: Duo tmemata hujus verſus ita ſe habent, ut duplici ratione oſtendatur, quomodo hoc malum medelam omnem reſpuat, partim, quoniam non poteſt

perditio præcaveri, partim quoniam defectus inde oriens non poteſt reſtitui. *Primum* inſinuat illa phraſis proverbialis. *Curvum non poterit rectum fieri*; Curvum eſt, quicquid a linea recta aberrat, adeoque emblema poteſt eſſe illius perverſitatis in actionibus humanis, quæ normæ legis contrariatur. Notum eſt illud PERSII Satyr. II.

O Curva in terris animæ
Et Satyra 3tia vs. 52. ait.
Curvos deprehendere mores.

Hinc etiam apud PLINIUM l. 5. Epiſtol. ult. *Curvum corrigere eſt perverſos mores emendare*, apprime in rem noſtram facit illud PLUTARCHI in Libello de educatione liberorum τὰς . . . . . *baculos curvos corrigere impoſſibile eſt*. Hæc notificatio *curvi* involvit partim ablationem antecedentis culpæ per novam juſtitiam, partim emendationem perverſitatis per accuratum ſanctimoniæ ſtudium, utrumque vires hominum excedit, tam ratione ſui ipſius, quam aliorum, uti Roman. Cap. VIII: 3. 7. Pſ. XLIX: 8,9. ſed & *ſecundo* eventus non poteſt nova arte emendari, *defectus* ait textus, *non poteſt ſuppleri*, ubi per *defectum* intelligitur damnum, quod anima eſt paſſa, quando tempus gratiæ fruſtra elabi permiſit. Hæc jactura non poteſt reſtitui ſecundum Matth. XVI: 26, 27.

VS. 16.

Hactenus diligentia Salomonis laudem merebatur, in hoc autem verſu incipit oſtendere, quomodo accreſcentibus annis paulatim inceperit ab orbita recti exſpatiari, proximum eam in rem adminiculum fuit, quod *ipſe cum corde ſuo locutus fuerit*, Pronomen אני, hic & in ſeqq. eſt emphaticum ad oſtendendum quomodo *Salomo* ſuo reti ſacrificaverit, unde etiam, *hoc loqui cum corde ſuo* in ſenſu deteriori intelligimus, ut indicetur, quam fœcundum fuerit cor ejus ad talia proferenda, quibus ſibi ipſi applaudere po-

poterat. Præcipuum objectum hujus adulationis ſui ipſius erat, quod *ipſe magnificaverit & multiplicaverit ſapientiam*. Vox הנה *ecce* quod cum pronomine אני. quod hic repetitur, eſt conjuncta, ſubinnuit, quomodo has blanditias ſui ipſius etiam conatus fuerit, coram aliis oſtentare, ipſa autem *ſapientia multiplicatio* poteſt intelligi, primo reſpectu ſui ipſius cum tot myſteria naturæ & gratiæ detexerit, atque in tota regni ſui ratione ſingularem ſapientiam exercuerit. conf. Reg. III: 28. XXI. 29. ſeqq. Secundo reſpectu aliorum, qui ab ipſo audiebantur, & ſapientiores reddebantur. Conf. 1 Reg. X: vs. 8.

Verba illa *ſuper Hieroſolymam* per accentuationem paululum ab immediate præcedentibus ſunt diſtincta, atque dupliciter poſſunt explicari. א. quod Salomo ſigillatim *Hieroſol. ſapientia ſua impleverit*. ב. quod *ſapientia ejus major fuerit*, *quam aliorum* Hieroſol. degentium, quæ maxima laus eo tempore erat, quo Hieroſolyma pro præcipua ſcientiæ tam divinæ, quam humanæ ſede in toto orbe debebat reputari. conf. 1 Reg. IV: 31. prior ſenſus tamen nobis magis arridet, quoniam illico adjungitur, quod *Salomonis cor multum ſapientiæ & cognitionis viderit*, ſive expertum fuerit, atque in eo deliciaverit, tanquam in fructu illius ſapientiæ, quam ipſe exercuerat: verum hoc ipſum, quod ſibi hanc ſapientiam tribuebat, defectum veræ ſapientiæ eo tempore, in Salomone extantem indicabat, nam hæc ſuperbia, contraria eſt illi manſuetudini, quæ ſupernæ ſapientiæ adſcribitur Jac. III: 13. Cum autem voces דעת & חכמה hic & ſæpius infra conjunguntur, notandum eſt, proprie quidem per דעת ſignificari *cognitionem*, adeoque aliquid, quod in ordine cogitandi *ſapientiam* antecedit, cum autem conſtanter in noſtro libro ſequatur poſt חכמה hinc neceſſario *gradus aliquis ulterior cognitionis* debet intelligi, qui fructus eſt *ſapientiæ*, id quod de *cognitione experimentali* cum emphaſi dici poteſt.

VS. 17.

Nihilominus Salomo in hac vana jactantia non acquieverat

ſed

ſed per occultum gratiæ magiſterium ſtultitiam quoque ſuam deprehenderat, ei fini duo media ſalutaria adhibuerat.

Ium eſt, quod *Cor ſuum dederit ad agnoſcendam ſapientiam*. Abſtractum hic pro Concreto videtur poſitum eſſe, ut nempe indicetur, quomodo Salomo operam impenderit ad detegendum tales, qui veræ ſapientiæ ſunt dediti; ſic pervenerat ad medium

IIdum nempe ad *Cognitionem* ſive experientiam *amentiæ* & *ſtultitiæ*. Vox הללות & שכלות bene debent diſtingui. Priorem multi vertunt per *Veſaniam* ſive *inſaniam*, verum adeo fortem ſenſum non poſſumus admittere quia שכלות *ſtultitia* ſequitur, quare potius per הללות aliquis gradus ſtultitiam proxime præcedens, adeoque inferior debet intelligi, qualis eſt *præſumtio ſapientiæ*, quod etiam non male convenit cum radicis formali notione, quæ *gloriari*, *laudare* deſignat, adeoque duo ſe deprehendiſſe indicat, 1mo *amentiam* hominum, qui falſa imaginatione propriæ ſapientiæ ſibi illudebant. 2do oppoſitam *ſtultitiam*, quam illi ipſi, qui volebant pro ſapientibus haberi, per Coecitatem mentis ſuæ, tam in fine, quam in mediorum ad finem tendentium uſu, oſtendebant, & hoc duplex adminiculum in Salomone hunc protulerat fructum, ut id itidem, in quo tamen gloriatus fuerat, pro *fractione Spiritus* habuerit, de qua phraſi ad vs. 14. dictum eſt.

V S. 18.

VATABLUS in notis ad hunc Verſum ita illud interpretatur: *qui auget ſcientiam, ſimul auget quod eum cruciet vel moleſtet*, quaſi dicas, qui admodum ſapiens fieri cupit, id non aſſequitur ſine gravi labore & moleſtia animi. In hoc ſenſu multi ſubſiſtendum eſſe cenſent, unde ad expreſſionem quoque hyperbolicam hoc dictum referunt. Verum nimis exilis eſt hæc explicatio, neque convenit nexui cum præcedentibus, ex quo manifeſtum eſt, Salomonem probare velle, quod gloria, quam in ſapientia mundana multiplicanda aucupatus erat, non ſolum *vana*, verum etiam *Contritio Spiritus* fuerit. Adde, quod hic de effectu vanæ ſapientiæ agatur, non autem de modo eam acquiren-

rendi, quoad verba convenit illud SOPHOCLIS in *Ajace flagellante* vs. 551. & 552.

Εν τω φρονειν γαρ μηδεν ηδιστος βιος.
Το μη φρονειν γαρ καρτ' ανωδυνον κακον.

In nil ſapiendo vita jucundiſſima eſt;
Nam nil ſapere malum eſt, dolorem haud ſentiens.

Similia occurrunt apud THEOGNIDEM vs. 124. ſeqq. Duplicem fructum *vanæ* illius *ſapientiæ* diſtinguere licet. Primus eſt *tædium inde oriens.*

1. Quoniam per augmentationem ſcientiæ ignorantiam detegimus atque experimur quod neſcimus.

2. Quoniam perſuaſio de *propria ſapientia* gignit ambitionem, invidiam, contemptum aliorum, intolerantiam contradicentium, qui affectus per naturam ſuam *multum tædii* devorandum præbent.

3. Quoniam per *augmentationem ſapientiæ* plurima quoque objecta detegimus, quorum conſideratio injucunda eſt, non ſolum enim bonum, ſed etiam malum tam in nobis quam in aliis experimur.

Secundus fructus eſt adhuc triſtior, nempe *dolor*, qui neceſſario ſequitur.

1. Quoniam illi, qui ignorantiam ſuam agnoverunt, aut aliquam ſcientiæ gloriolam apud homines acquiſiverunt, his quaſi calcaribus incitantur, ut omnes difficultates ſubeant, quæ ad augmentum ſcientiæ pertinent.

2. Quoniam major ſcientiæ menſura obligat ad rationem quoque graviorem reddendam, & niſi ſalutariter cor Veritati ſubjiciat, cum majori condemnationis gradu eſt conjuncta.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

VS. 1.

SALOMO pergit enarrare, quomodo *creſcentibus annis* paulisper magis *in avia* abreptus fuerit. In noſtro verſu proponit *fallaciam cordis ſui*, cujus falſa perſuaſione inductus eſt ad fruitionem bonorum hujus vitæ acquirendam & augendam.

Ea fini putabat conſultum eſſe, ut *vitam ad omnem lætitiam* compoſitam duceret, nec deerat prætextus, quoniam ſibi perſuadebat agnoſcendum eſſe per fruitionem illud bonum, quod Deus indulſerat, Deum enim ſua munera hominibus non fruſtra diſtribuiſſe, verum fraudulentiam hujus inſtituti exitus docuerat, quoniam *lætitia hæc* deprehenſa fuerat *vana* eſſe.

VS. 2.

Hæc deprehenſio ad tempus ſalubrem effectum in Salomone habuerat, nam *lætitiam illam* atque *riſum*, in quem ea ſe effuderat pro *veſano* declarat, atque ut hanc Veſaniam eo clarius demonſtraret, veram originem illius riſus in ipſa cordis lætitia perſcrutatus erat, atque inquiſiverat, quid illa faceret? Dupliciter hæc quæſtio, *Quid illa facit?* explicari poteſt, ſive inquiratur, quænam origo ſit illius gaudii, ſive quinam ſit ejus effectus? cum autem reſponſio ad ejusmodi quæſtiones ſit *negatio*, hinc ſenſus redundat, *nullam ejus eſſe Originem ſive cauſam*, *nullum eſſe ejus Fructum*.

VS. 3.

Videbatur ita SALOMO bene incepiſſe, verum mox novo impetu mala Concupiſcentia illum de gradu dejecerat, nam *Caro ejus* i.e. corrupta ejus natura *illum ad vinum abtraxerat*, riſus in conſortiis mundanis, de quo verſu præced. actum fuerat, anſam ad hanc Concu-

cupiſcentiam dederat, hoc novum erat medium, per quod malitiam cordis detexerat, quoniam illud in has caſſes pertractum erat, veluti id non obſcure liquet ex illis ſeriis admonitionibus contra vini abuſum, quæ occurrunt Prov. XXIII: 19. & ſeqq. & XXXI: 4, 5. Poſterius tmema hujus verſus concipimus tanquam *parentheſin*, eo inducimur per temporis mutationem, quæ in hiſce verbis occurrit. Cum *futurum* in verbo אראה occurrat, non obſtante perpetuo tam in antecedentibus quam in conſequentibus *præterito*, putamus ergo, SALOMONEM, cum jam in eo eſſet, ut lapſum ſuum totum plenius deſcriberet, ſimul voluiſſe *ως εν παρoδω* indicare, quod etiamſi ſatis graviter cecidiſſet, nihilominus conſtanti Spiritus inhabitantis gratia fuerit gaviſus, qui ſemper quaſi frenum ipſi injecerat, ne penitus ex gratia excideret, quique talem lapſum in ipſius bonum converterat, indicat igitur, quomodo *permanens apud ipſum ſapientia coeleſtis ita eum duxerit, ut per ſtultitiam quoque ſuam ſapientia factus ſit.* Porro quoque addit finem, in quem Deus hoc peculiari modo cum ipſo egerat, *usque dum viſurus eſſet quodnam illud bonum eſſet* &c. ſive quod coincidit, *ut videret*, nam vocula עד אשר aliquando in ſacris non ſolum *finem* phyſicum, ſed etiam *moralem* indigitat, v. g. Jonæ IV: 5. in N. T. uſurpatur Εως ȣ 2 Pet. 1: 19. Singularis momenti hæc eſt parentheſis, quoniam illa ſimul indicat viarum Dei in permiſſione hujus lapſus Salomonis ſanctitatem, nam Salomo eo erat deſtinatus, ut per ipſius teſtimonium miſerrima conditio omnium bonorum terreſtrium, ipſis bonis Canaanis ſub V. T. non exceptis, demonſtraretur, ut autem tam illuſtre teſtimonium exſtaret, quod aliquando idoneum erat ad mentes permovendas ut ſponte ſua Canaanis bonis ſeſe abdicarent, rite confirmaretur, fruitionis eorum tanta menſura Salomoni permiſſa erat; Sic ſcandalum diminuitur, quod inde poterat naſci, quod Rex fidelis & tanta ſapientia præditus ad illum ſtultitiæ gradum fuerit delapſus, ſic omnis quoque excuſatio tollitur, quæ ex Salomonis Exemplo a multis intempeſtive nectitur.

Digitized by Google

VS. 4.

Prævia hac neceſſaria admonitione SALOMO pergit, & oſtendit, quomodo pleno Concupiſcentiæ ſimplicis torrente fuerit abreptus. Imo *faſtu ſingulari* ſe extulerat, *opera ſua magna faciens*, quoniam nempe neque arte, neque ſumptibus pepercerat. Magnificentiæ hujus Exempla 1 Reg. X: 16. ſeqq. cumulantur. Hic quoque ſpecimina quædam enumerantur, idque eo ordine, ut initium fiat ab *operibus cum majori utilitate* conjunctis, quibus deinceps ſubjiciuntur *opera nil niſi luxum ſpirantia*; Ad priorem Claſſem pertinent *domus* & *vineæ*, non meminit domus Dei, ſed exſerte tantum *domuum*, *quas ſibi fecerat*, nempe ſecundum ſuum beneplacitum, ad proprium commodum; Quanti theſauri hic fuerint impenſi, colligi poteſt ex collatis locis 1 Reg. IX: 15. VII: 2. X: 4, 5. Inter *vineas* poteſt referri *Engeddi*, cujus Cant. I: 14. occurrit mentio, imo & illa in *Bahal Hamon* Cant VIII: 11. Chaldæus addit, *Vineam in Japhne*, procul dubio etiam illæ, quas David jam inſtruxerat, locupletatæ ſunt 1 Chron. XXVII: 27. id conveniebat cum natura ſoli, quod generoſiſſimi vini ferax fuit, illudque inter præcipuas ſuas delicias ac proventus enumeravit.

VS. 5.

Horti & *paradiſi*, quorum occurrit mentio, diverſimode diſtinguuntur. Sunt qui priorem vocem generaliorem, quibusvis hortis, florum quoque & aromatum frugiferis, poſteriorem autem ſaltibus magis convenire cenſent, ſed procul dubio *Paradiſi* nobilius hortorum genus deſignant, quale Regibus præſertim Perſarum in uſu erat, quam in rem conferatur Neh. II: 9. æſtus in regionibus Orientis vehementiſſimus *hortos arboribus conſitos*, propter umbram ac refrigerium, quod præſtant, maxime æſtimatos reddunt. Sed Salomo non ſolum Voluptatis, verum & *utilitatis rationem* habuit, quoniam *arbores* quoque *frugiferas* plantaverat, eo ſpectant *Horti Regii*, quorum me-

meminit ſcriptura 2 Reg. XXV: 4. & Jeſ. XXXIX: 4. JOSEPHUS itidem horti *Heddan* mentionem facit; Anſam hi horti Regi dederunt *de arboribus* loquendi 1 Reg. IV: 32. Ad eoſdem alluditur Cant. IV: 12. ſeqq. C. V: 1. VI: 10.

VS. 6.

Inter hos hortos quoque locum habebant quidam *Saltus arborum*, qui forte idem eſt cum illo, in quo Salomo domum illam inſignem condidit, quæ *domus ſaltus Libani* appellatur 1 Reg. VII: 2. *ſaltus* ergo hic *arborum* ſigillatim fuit *ſaltus Cedrorum*, qui aqua ſimul indigebat, uti ex Ezech. XXXI: 3, 4. conſtat; Ut ergo defectus aquæ in ſolo Hieroſolymæ arido compenſaretur, *piſcina* cum magnis ſumtibus, nec non *aquaductus* ad easdem pertinentes debebant confici. Opera hæc *regiam magnificentiam* requirebant, & veſtigium eorum occurrit 2 Reg. XVIII: 17. Neh. II: 14, 15. ipſa *piſcina Siloa*, cujus Joh. V. occurrit mentio, inter reliquias horum operum eſt referenda.

VS. 7.

Cum augmento luxus ſimul per ſingularem proſperitatem regni Salomoniaci conjunctum erat *augmentum opum*, hic referimus *ſervos & ancillas*, ſive eſſent acquiſiti atque emti, non ab Hebræis, ſed a Gentilibus 1 Reg. IX: 22. coll. Lev. XXV: 44. ſive *domi eſſent nati*, unde *filii domus* appellantur, cujusmodi ſervorum genus occurrit Gen. XIV: 14. XVII: 12, 27. Jer. II: 14. Uſus horum ſervorum non tam erat, ut opera modo enumerata perficerentur, aliud enim hominum genus ad illa Salomo adhibuit 1 Reg. V: 5. & 13. ſeqq. ſed potius officia domus, præſertim in aula tam magnifica per eos debebant curari 1 Reg. IV. 22, 23. ſigillatim illi adhibebantur *ad paſtoralem operam*, uti ſtatim ſequentia oſtendunt, cum *tanta copia armenti & pecoris* Salomoni adeſſet. Singularis pars divitiarum in *pecuaria* Canaanis conſiſtebat, præſertim Hieroſolymis, ubi tam miniſterio au-

Digitized by Google

aulæ, quam ad cultum templi, inſignis copia *pecoris* & *armenti* requirebatur.

V S. 8.

Additur accumulatio *argenti & auri*, quæ uberius deſcribitur 1 Reg. IX: 14. & 28. X: 14. & 28. X. 14. XXI. 21. ſeqq. 2 Chron. I: 15. IX: 21. Emphatice quoque hic repetit, quod etiam *ſibi hoc aurum & argentum* comparaverit, nam licet avaritia non videatur concupiſcentia dominans Salomonis fuiſſe, non vult tamen celare, quod etiam in hac minori Cupiditate ſe ipſum pro ſcopo habuerit; Eo inſerviebant *navigationes Ophiritica* 1 Reg. IX: 27, 28. X: 11, 22. ſed & *theſauri aliorum Regum*, qui muneribus variis Salomonem ditabant, accedebant. 1 Reg. X: 10, 25. adhuc ulterius excreſcebant facultates Salomonis per *integras provincias*, quas ſibi tributarias reddedat 1 Reg. IX: 20, 21. Verum cum Salomonem magis *concupiſcentia carnis* quam *oculorum* captiva teneret, ipſæ hæ opes nutrimentum illius ſuppeditabant, quare ſtatim additur, quod *ſibi* etiam *comparaverit Cantores. & Cantatrices*, ut non ſolum per Vocem, ſed etiam per inſtrumenta Muſica ipſum exhilararent, more in Oriente vulgatiſſimo, uti colligitur. ex Jeſ. V: 12. Amos. V: 4, 5, 6. Porro adduntur *Deliciæ filiorum hominis*, ſingulare genus Voluptatum hic reſpicitur, ſive ex lauto ciborum atque potus genere, ſive ex impudicis converſationibus illud redundaret. Poſterius magis probabile nobis videtur, quoniam cognata vox Jeſ. LII: 11. de meretrice Babylonica adhibetur, & quoniam ipſe Salomo noſtram vocem Cant. VII: 7. etiam *de deliciis caſti amoris* adhibet; Atque hoc pacto, hæc expreſſio aptius cohæret cum ſtatim ſequentibus, quando Salomo quaſi gradatim progrediens confitetur *peccata quæ per concubinatum* non ſolum *ſimplicem*, ſed etiam *multiplicem* commiſit, nam qui illas Voces, quæ interpretibus crucem figunt שדה ושדות per *ſymphonias* reddunt, ſequentes BOCHARTUM Hieroz. Part. 2. p. 947. ad rad. Arab.

rab. provocantem, illi tautologiam vix declinant. LXX. reddunt *Vocillatorem* & *Vocillatrices*, quamvis non conſtet ex Antiquitate mulieres ad vocillandum in uſu fuiſſe, VULGATA *ſcyphos* & *urnas*. TARGUMIM *Thermas* & *balnea*, utrumque frigide, ut alia transeamus, quæ ab ABEN ESRA, COCCEJO, SCHMIDIO, KIMCHIO ſunt allata, & magis ad noſtram hypotheſin appropinquant. Mihi ſaltem aptiſſimum videtur, voces derivare a Chald. שרה *fundere*, notum enim eſt, *aquam* & *fluvios* tropos eſſe *de re meretricia* obvios, qua de cauſa quoque Prov. IX. *aquæ furtivæ* dulces dicuntur; Et conferri poteſt ALMELOVENIUS in Opuſc. p. 33. ſeqq. Verum ipſum quoque *canendi* & *pſallendi* etymon poteſt ſervari, nam non ſolum *meretrices* in Oriente inter coenandum *pſallere* & *canere* ſolebant, ſed etiam conſtat, *pellices regias* Muſicam calluiſſe, uti ex ATHEN lib. III. cap. 19. ubi *pellices Darii* deſcribuntur, liquet, unde Cyro quoque ſelectæ ex præda pellices duæ ſunt Muſicam callentes ſecundum XENOPHONTEM Lib. 4. Cyropæd.

Quare nihil amplius difficultatis hic ſupereſt, niſi quæ ex conſtructione *ſingularis cum plurali* redundat. STARCKIUS in not. ad V. T. edocet, ejusmodi conſtructionem in linguis Orientalibus ſolere quodvis genus denotare, adeoque *pellices omnis generis* indigitari, integros ſaltem pellicum choros Reges cuſtodiſſe, & noctem canendo & pſallendo transegiſſe, uti ex Heraclide ATHENÆUS Lib. XXII. refert. Nos eo lubentius huic Verſioni inſiſtimus, quoniam inde manifeſtum eſt, quomodo Salomo paulatim profundius delapſus fuerit, & quomodo non fuerit tergiverſatus confeſſionem etiam turpiſſimorum nævorum totius vitæ ſuæ publice edere, & in Eccleſia conſervare; Hoc ſaltem ſpectat ad ſigna ſinceræ converſionis, non ſubſiſtere in vitiis levioribus, ſed atrociora quoque in conſpectum producere, ita veſtigia Patris Davidis filius reſipiſcens calcavit.

VS. 9.

Poſteaquam Rex ex præcedentibus collectionem in priori tmemate hujus verſus inſtituerat, quod nemo plus experientiæ bonorum temporalium habuerat, in poſteriori tmemate addit id, quod pondus hujus teſtimonii ab Experientia depromti admodum augebat, nempe *quod ſapientia ejus quoque apud ipſum reſtiterit*; Multi interpretes hic intelligunt *ſapientiam humanam*, præſertim cum עמדה לי verti poteſt *ſtetit a parte mea*, unde TARGUM reddit, *& illa auxiliebatur mihi* ſcil. in operibus antea enumeratis prudenter determinandis & perficiendis; Nihil impedit, *Sapientiam* hic ſenſu maxime emphatico ſumere, præſertim quoniam SALOMO converſus eam conſiderat tanquam aliquid extraordinarii & inſperatum, præpoſita particula אף *etiam*; Hoc enim de ſapientia humana ſi uſurparetur, nullam haberet emphaſin, quoniam nihil extraordinarii eſt, quod illa aliquando egregias ſcintillas etiam in illis oſtendat, qui vitæ voluptuoſæ dediti ſunt, quare Salomo per hoc addimentum declarat, quod non obſtante peccatorum atque voluptatum, quibus ſe immerſerat, multitudine, *ſcintilla gratiæ ac ſapientiæ coeleſtis apud ipſum reſidua fuerit*, ſic æque ac Pater ipſius extraordinarium conſtantiæ fœderis gratiæ ſpecimen dedit; Hæc autem ſapientiæ ſcintilla, pædagogi in ipſo agebat vices, atque illum identidem exſtimulabat, ut ad vanitatem ſingulorum horum bonorum apparentium eo acutius reſpiceret.

VS. 10.

Hic ſtatim ſubjungitur *Confeſſio maxima imbecillitatis Salomonis in pugna*, quam hæc ſcintillula contra concupiſcentias ſuas exercebat, caro enim ipſius in torrentem illum voluptatum ſemper de novo eum abripiebat, ſic ut concupiſcentiæ oculorum pravæ, neque etiam ejus deſiderio obicem ponere, neque cordi in fruitione voluptatis inde redundantis retinaculum injicere

Digitized by Google

cere potuerit; Quin potius ſibi *ratiocinia nova* excogitaverat ad has Concupiſcentias excuſandas, nam

1. *Cor ipſius ſe exhilaraverat propter omnem ipſius moleſtiam*, affluentiam enim opum atque gloriæ mundanæ conſideraverat ut fructum proprii laboris ac moleſtiæ in ejus acquiſitione devoratæ pari modo ac Nebucadnezar. Dan. IV: 30.

2. Hoc ipſum conſideraverat ut *partem ſuam ex omni moleſtia ejus*, id eſt, ut unicam compenſationem quam ex hac moleſtia expectare poterat, quoniam fruitio bonorum apparentium nempe ad breviſſimum tantum tempus conceſſa erat.

VS. 11.

Hic declarat SALOMO, quomodo tandem ex alto hoc ſopore fuerit excitatus. *Sapientia in ipſo reſidua oculos tandem ejus aperuerat, lux ejus nebulas effugiorum carnis diſſipaverat*, unde naſcitur effatum tam univerſale quam rigidum, quod hoc comma exhibet; Univerſale eſt, quoniam omnia opera manuum, & omnes moleſtias eorum involvit; Rigidum eſt, quoniam infelicitatem, quam fruitio voluptatum invehit, tam quoad præſens, quam quoad futurum proponit, nam reſpectu ad præſentem rerum ſtatum, illas denuo declarat eſſe *Vanitatem & fractionem ſpiritus*, confer ad Cap. I. vs. 14. ratione autem futuri ſimul declarat, quod *nulla reſidua Excellentia ſub ſole inde ſit exſpectanda*, Confer Cap. I: vs. 3.

VS. 12.

Nihilominus temporibus inſequentibus in novos iterum laqueos incidit, appropinquante enim ſenectute, vita ejus lætiſſima in ſolicitudinem ſenilem converſa erat, quamdiu flos ætatis permiſerat, præſenti bono ſe impleverat, verum imminentibus incommodis, quæ ſerus veſper advehebat, futuræ atque minitanti rerum ſuarum mutationi quæſiverat repagula ponere, quando igitur teſtatur, *quod ſe converterit, ut hinc ſapientiam, illinc autem*

ſtul-

Digitized by Google

ſtultitias exploraret, tum *non* reſpicit *propriam*, ſed *aliorum hominum Conditionem*, æque ac fecerat. Cap. I: vs. 17.

Scopus autem hujus Explorationis novæ differens erat ab illa quæ citato loco deſcribitur, Nam inquiſiverat, *quinam homines Regem eſſent conſecuturi*, *quem antea fecerant*, ubi *ſequi* idem eſt, ac doctrinam ejus tam ore quam ſcripto traditam animadvertere, & ſecundum illam ſe componere, id quod eo majori jure a ſubditis ſuis Salomo exſpectare poterat, quoniam illi ipſi eum in throno Regio collocaverant, unctionem ejus promoverant, atque ſe ultro in ejus obſequium tradiderant; Hæc noſtra de ſenſu verſus hujus, alias ſatis obſcuri, ſententia abunde conſulere videtur difficultatibus circa Conſtructionem hujus verſus, quæ multos Interpretes diſtrictos tenet; nam illi paſſim ſupponunt, quod in hoc verſu Rex per *illum*, *qui ipſum erat ſecuturus*, *ſucceſſorem ſuum in Regno* innuere voluerit, de quo vs. 18. ſeqq. agitur, atque ea propter *parentheſin* quandam faciunt, quæ, cum aliis frigidam reddere orationem jure ſuo videatur, hinc illi textum ſollicitant & transpoſitionem quorundam verſuum inſtituere volunt, verum omnis hæc cura eſt ſuperflua, quando Salomoni ejusmodi cura generalis de ſucceſſore improprie tribuitur, & favet ipſius phraſeos indoles, nam το בוא ponitur pro הלך quod cum particula אחרי conſtructum, *ſequelam qualemcunque* tam phyſicam quam moralem deſignat, & exempla radicis בוא, quamvis rarius in hac notione uſurpetur, nihilominus non plane deficiunt, uti ex 2 Sam. XI: 5. Dan. I: 8. liquet, ſic quoque alternat cum היה 2 Sam. II: vs. 10. & colludit Græcum ελθειν οπισω Matth. XVI: 4. Eandem phraſeos interpretationem quoque AQUILA, SYMMACHUS, & VULGATA admiſerunt.

VS. 13.

Ratio ſolicitæ illius Explorationis erat *maximum diſcrimen inter ſapientiam & ſtultitiam*, ubi recte per *ſapientiam* intelligi debet coeleſtis illa, qua SALOMO impletus fuit, & *ſtultitia* e contrario de-

deſignat privationem, ſive oppoſitum ejus ſapientiæ, quale occurrit in irregenitis, præſtantia hæc ſapientiæ & ſtultitiæ illuſtratur per ſimile in ſacris admodum obvium, quo ſapientia coeleſtis *luci*, & ſtultitia irregenitorum *tenebris* comparatur, ſicut ergo excellentiores ſunt *fructus lucis præ fructibus* atque effectis *tenebrarum*, ita immenſum eſt diſcrimen inter effecta ſapientiæ ſupernæ, qualia deſcribuntur Jac. III. & inter effecta contraria ſtultitiæ, quæ qui inter ſe confert, ille facile convictus erit, quam legitimum fuerit deſiderium Salomonis, ut exploraret quosnam fructus ſapientia per ipſum commendata atque inculcata exhibuerat.

VS. 14.

Fructus hi reapſe reperiuntur in illis, qui *aut ſapientiæ aut ſtultitiæ cor ſuum tradiderunt.* De ſapiente prædicatur, *quod oculi ejus ſint in capite ejus.* Hoc indicat non ſolum, quod viſu polleat, ſed etiam quod idoneus ſit ad res illum circumdantes, atque circumſtantias earum addiſcendas & obſervandas. Quoniam autem dualis עֵינָיו *utrorumque oculorum* aciem deſignat, emphaſis hujus phraſeos involvit, ut ſapiens conſideretur tanquam in toto intellectu ſuo illuſtratus, tam per cognitionem idealem quam experimentalem, quæ illum idoneum reddit ad circumſtantias omnes undiquaque rite obſervandas, & greſſus ſuos eo ſecurius dirigendos, ex oppoſito *ſtultus* conſideratur *ut ambulans in tenebris*, quoniam nempe vera intellectus illuminatione deſtitutus eſt, familiare hoc Emblema eſt Spiritui S. uti ex collatione Joh. XII: 35. & 1 Joh. I: 6. 9. conſtat; Non dubitem, SALOMONEM, quamvis per modeſtiam id diſſimulet, per *Sapientem*, de quo hic loquitur, ſe ipſum intelligere tanquam *eruditum in regno coeleſti*, atque unctionis ſpiritualis compotem, per quam antrorſum proſpiciebat non ſolum in futuram vitam, ſed etiam in adventum Meſſiæ, per quem via ad illam ſterni debebat, quare qui illum Autorem ſequi nolebant, in omni emphaſi *ſtulti* erant, qui *volentes in tenebris ambulare* pergebant.

Digitized by Google

Alterum tmema hujus verſus oſtendit Eventum aliquem incomprehenſibilem, nempe quod idem utrique parti tam diverſe & contrarie contingat, præſertim ratione *oblivionis* inter homines ſecuritate ſepultos, uti ex coll. v. 16. manifeſtum eſt.

VS. 15.

Per hanc obſervationem SALOMO in tentationem maximam inciderat, quæ v. 15. ita deſcribitur, ut Salomo enarret, quænam Cogitationes potiſſimum in corde ejus fuerint ſubortæ. Prima dubitatio ſuſcitata fuit circa ſcopum, in quem Deus ipſum tam egregia ſapientiâ ornaverat, nam ſi *idem contingat ſapienti cum ſtulto*, quis inde non deducat, quod Deus tam excellenti ornatu ſapientiæ fruſtra eum ditaverit, *quid prodeſt ſplendor lucis inſignis, quando in uſum non vertitur*, falſum quidem erat hoc Salomonis ratiocinium, nihilominus Rex *cordis ſui ſermones* proferre non dubitabat, ut imbecillitatis propriæ confeſſione aliis cautelam exhiberet, idque eo magis, quoniam in ſecundo tmemate hujus verſus indicat, quouſque hæc ejus fluctuatio progreſſa fuerit, nempe ut hanc prudentiſſimam Dei directionem etiam pro vanitate habuerit, id enim præciſe eſſe quod *vanum* Rex in noſtro verſu nominat, ex nexu verſus ſequentis liquet; Nimis præceps autem hoc judicium erat, quoniam DEO hujus quoque diſpenſationis ſanctiſſimæ rationes conſtant.

VS. 16.

Pergit SALOMO in Virulentia hujus tentationis ſuæ deſcribenda, atque eo fine enarrat ratiunculas, quibus ſuum ratiocinium confirmatum invenerat. Prima erat, quoniam hoc pacto *memoria tam ſapientis quam ſtulti in ſeculum periret.* Intelligimus hîc non memoriam apud Deum, ſed apud homines, adeoque Vox [illegible] hîc intelligenda eſt convenienter ſubjecto ſuo, quoniam fama celebris nominis non ulterius quam ad hujus mundi ſyſtematis finem pertingere poteſt, hac autem memoria pereunte pe-

periiſſe SALOMONI videbatur fructus ſapientiæ, quam aliis inſtillare quæſiverat. Sequenti tmemate hujus verſus, alteram ratiunculam addit, nempe *quoniam etiam ante dies futuros*, id eſt, ante ipſum adventum Meſſiæ, cujus ſeculum הימים הבאים per Emphaſin dicuntur, id omne, quod Salomo detexerat, *oblivioni tradendum eſſet*, quo pacto periculum eminebat, ne ſalus per Meſſiam acquirenda ritè cognoſci poſſet, atque hoc ipſum SALOMONI expreſſerat illam anxiam querelam, quæ verſum hunc claudit, *vah! morietur ſapiens cum ſtulto*, i. e. quam miſera erit ſequela talis interitus ſapientis cum ſtulto, quid inde ſperandum erit niſi Iſraelis interitus, quid inde exſpectari poteſt, niſi quod contemtores & illuſores ſpem juſtorum exploſuri ſint.

VS. 17.

Magna quidem fidei obſcuratio in præcedentibus deſcripta eſt, ſed in qua tamen adhuc ſcintilla exiguæ cujuſdam lucis reſtabat, uti hic verſus indicat, in quo Rex declarat, ſe *& vitam hanc odio habere incepiſſe*, non vitam propriam, ſed in genere vitam hujus ſeculi, & res ad illam pertinentes, bona illa hujus vitæ per metonymiam, in quibus adeo deliciatus antea fuerat. *Odium* hoc eatenus pro ſancto odio debet haberi, quoniam ex vero fundamento profectum erat, nempe quoniam *iſtud negotium, quod ſub ſole gerebatur*, coram SALOMONE *adeo malum erat*, quod non de malo triſti, ſed turpi eſt intelligendum, quoniam nempe tot peccatis inquinatum, atque eapropter dignum, ut illud quoque pro vanitate habuerit, quia pro *fractione Spiritus* declarat, quam phraſin ſupra jam explanavimus; Sic novum hic habemus documentum, quomodo gratia divina titubantem, & vacillantem SALOMONEM identidem arripuerit, atque à plenario lapſu præſervaverit.

VS. 18.

Hic tranſitur ad novæ tentationis deſcriptionem, quam præ-

 ce-

Digitized by Google

cedens prolicuerat, dum enim perpenderat, quam cito memoria illius ſapientiæ, quam alios edocuerat, peritura eſſet, anſam hinc arripuit cogitandi de *ſucceſſore*, *cui omnia bona*, *qua collegerat*, *relinquenda erant*, hic enim per *hominem*, qui *poſt Salomonem futurus erat* ſucceſſor ejus in regno, intelligi debet.

VS. 19.

Neceſſe autem erat, ut SALOMO veram curæ ſuæ Originem indicaret, non ita per avaritiam bonis hujus vitæ adſtrictus erat, neque eorum uſum poſt exceſſum ſuum aliis invidebat, quod neſciret, *an ſucceſſor ſapiens*, *an ſtultus futurus eſſet*, nam Rechabeamus huic ſucceſſioni deſtinatus multa humilioris ſpiritus jam tum præ ſe ferebat indicia, & ignotum SALOMONI erat, num Deus eandem gratiam Filio exhibiturus quam ipſi regnum capeſſenti exhibuerat; Multo magis ignorabat, quis poſt Rehabeamum thronum ejus eſſet occupaturus. Quod ſi ergo hoc pacto contingeret, ut ſucceſſor propter mentis anguſtiam illa non poſſet rite adminiſtrare, quæ tanta cum moleſtia nec minori cùm prudentia à SALOMONE congeſta erant, jure merito hoc ipſum *Vanitatem* declarare poterat.

VS. 20.

Tædium inde contractum eo uſque increverat, ut SALOMO *cor ſuum omni ſpe privaverit propter moleſtiam & laborem, quem exantlaverat*; In bono ſenſu hoc interpretandum eſſe ducimus, nihil aliud enim vult indigitare, quam quod illam ſpem, quam unquam animo ſuo foverat, & per quam ſibi ſolidam quandam quietem & ſatietatem in rerum mundanarum uſu promiſerat, tanquam vaniſſimam damnet, quoniam nunc demum evidentèr cernebat, quod ciſternas fractas ſibi exciderit.

VS. 21.

Hic ſpei hujus abjectionem, tanquam legitimam defendit, tum pro-

Digitized by Google

propter malum triſte, quod jam in præſentia inde reportaverat; Verſus noſter potiſſimum reſpicit *malum morale*, uti patet, quando in 2do tmemate hujus verſus ל ב præfixum cum ב. præfixo prioris tmematis confertur, non enim ſimpliciter deſignatur ſubjectum, quod laborem moleſtum in rebus hujus mundi exercuit, ſed præciſe tale ſubjectum, quod *illum laborem moleſtum non exercuit in ſapientia & cognitione*, inde enim hic reſultat ſenſus. *Hoc vaniſſimum* eſſe judicandum, atque iniquiſſimum, *ſi bonum juſte per* propriam ſapientiam atque experientiam *acquiſitum tradatur ei, qui non ſolum in illo bono non laboravit*, ſed cui etiam ipſa illa ſapientia, prudentia & rectitudo cordis deficiunt.

VS. 22.

Cum in verſu præcedenti Rex propoſuiſſet ſequelas ab omni labore hujus vitæ in futurum timendas, nunc addit illa mala, quæ jam in tempore præſenti labores illos comitantur, huc collimat quæſtio illa, quæ in noſtro verſu proponitur, & ad Conſcientiam uniuscujusque provocat, ut indicet, *quodnam reale bonum homini non ſolum ab externa moleſtia corporis, ſed etiam ab interna cordis Vexatione ſit exſpectandum?*

VS. 23.

Ad ſolvendam hanc quæſtionem in noſtro verſu proponitur tantum abeſſe, ut reale bonum inde ſit ſperandum, ut potius nihil niſi *inquietudinem animi* inde homo ſibi queat promittere, idque tam *interdiu* quam *noctu*. Primo *interdiu* partim per dolores manuum externos, quorum etiam LAMECHUS meminit Gen. V. partim per internos animi cruciatus, qui laboribus adhærent. Secundo *noctu* per Curas, ſcilicet quæ tum quoque quietem cordi negabant, Conf. Pſal. XC: 10. Job. VII 1. & ſeqq. atque ita Rex ſe permotum ſentiebat, ut denuo propter hanc circumſtantiam *res hujus mundi* pro *vanitate* declararet, hæc autem ita deducta egregie juſtificant illud judicium, quod Rex v. 20. pro-

Digitized by Google

tulerat, & ſecundum quod de fructu laborum ſuorum in hac terra deſperaverat.

V S. 24.

Ita SALOMO permenſus erat fluctus illarum tentationum, qui ipſum de tempore in tempus jactaverant, hinc jam Concluſionem in fine hujus Cap. format, quodnam ſit illud bonum; quod tanquam verum & reale bonum etiam in hac vita poſſit conſiderari. De hoc bono in noſtro verſu proponitur quæſtio & reſponſio.

Quæſtio eſt; *Num bonum ſit homini quod edat & bibat* &c. Agi hic de vero bono perſuaſiſſimus.

1. Quia illud opponitur *omni malo & vanitati*, de qua in præcedentibus actum erat.

2. Quoniam illud conſideratur tanquam *bonum animæ*.

3. Quoniam in tmemate altero hujus verſus *ex manu Dei* illud repetitur.

4. Quoniam vs. 26. reſtringitur ad illum, *in quo Deus habet beneplacitum*, hoc enim evicto per ſe liquet, quam abſone illi in hunc Verſum commententur qui *τὸ edere* & *bibere* conferunt cum illo Sardanapali: *Ede, bibe, lude*. Sunt quidam, qui ſcopo non malo prope ad hanc interpretationem accedunt, quos inter SEBACHIUS & OBLAT. BEROLIN. T. 2. p. 186. reddentes, *nihil boni eſſe in homine, quia tantum edit & bibit*, verum ex demonſtratis liquet, quod hic agatur. 1. de homine regenito. 2. in hac verſione durior etiam Ellipſis debet ſupponi, quaſi illud שיאכל notaret, *quia tantum edit*. Quando autem hæc hypotheſis firma eſt, quæ de vero boni in noſtro verſu agi vult, tum neceſſario ſententiæ R. SALOMONIS & FRANCKII eſt accedendum, qui præeunte verſione VULG. ipſis BELGIS calculum adjicientibus, interrogativè priora Commata hujus verſus reddunt, patheticis enim ejuſmodi locutionibus Eccleſiaſtes abundat, & in noſtro locô non ſolum frequenter reſponſio, ſed & ſubſumtio verſus ſequentis per novam quæſtionem

nem

nem conſtructioni huic favent. Adde, quod admiſſa hac quæſtione nullo alio ſupplemento oratio Regis indigeat, dubitantes autem num particula אין ita uſurpetur, conſulant Jud. XIV: 3. 1 Reg. XXII: 7. 1 Sam. XXI: 9. Jam unusquiſque facile conſentiet, quamvis bonum illud primo ponatur *in edendo atque bibendo*, i. e. in quieta & læta rerum hujus mundi fruitione, quod tamen in illa non ſit ſubſiſtendum, ſed quod illa tantum ut medium ad aliud bonum obtinendum uſurpetur, quod etiam SALOMO indicat, quando ſtatim conjungit agnitionem boni veri, quæ animæ indulgetur, ut illa vera conſolatione in omnibus moleſtiis hujus Vitæ gaudeat. Ad hanc quæſtionem reſpondet Rex per tacitam affirmationem, quam per propriam Experientiam confirmat, teſtatur enim, quod *hoc etiam viderit* in multiplici rerum contemplatione, *quod hoc ipſum ex manu Dei ſit*. Manus Dei eſt conſuetum Emblema non ſolum potentiæ & ſufficientiæ, ſed etiam liberalitatis ejus, id autem, quod Deus ipſe beneficia ſua manu porrigit, quando ad legitimum finem impenditur, non poteſt pro vanitate declarari, confer. Pſal. CXLVIII: 6.

V S. 25.

Cum SALOMO in verſu præced. ad Experientiam ſuam provocaverit, in duobus verſibus reliquis oſtendit, quomodo hujus Experientiæ compos factus ſit, incipit enim in noſtro verſu à propria perſona, atque indicat, neminem plus occaſionis unquam habuiſſe ad edendum & feſtinandum in proſpero negotiorum ſuorum ſucceſſu, verum quoniam in illo Creaturarum uſu in poteſtate ſua poſitum fuiſſe non deprehenderat, ut agnitionem veræ ſalutis animæ cum eo connecteret, hinc damno ſuo expertus erat, *è ſola manu Dei illud eſſe*.

V S. 26.

Acceſſerat Experientia ex illis viis, quas Deus cum aliis inflectit,

flectit, acquiſita. Hic duas hominum Claſſes ſibi invicem opponit.

I. Siſtit hominem, qui *bene placens eſt coram facie Dei*, per illum intelligendus eſt talis, qui timore Dei eſt impletus, uti oppoſitio indicat Gen. IV: 7. Act. X: 35. & infra Cap. VII: 26. Tali Deus *dat ſapientiam & Experientiam*, nempe in ſenſu ſublimi, quo hæc vocabula vs. 21. videmus uſurpari. Adjungit Deus *lætitiam*, & quidem veram, quæ fructus eſt ſpiritus ſancti, & quæ non impedit, quo minus quoque talis in Deo lætari poſſit, qui uberiori rerum mundanarum uſu caret, confer Habac. IV: 17, 18. Huic

II. Opponitur in poſteriori tmemate hujus verſus, id, quod contingit *peccatori*, *cui Deus dat negotium colligendi atque accumulandi*, idque *ad dandum piis*, iſtud enim לתת male ab interpretibus refertur ad opes coacervatas peccatorum, hoc enim ſenſum nimis exilem fundit; nam quamvis aliquando pius ſit hæres peccatoris Job. XXII: 16, 17. & Prov. XIVI: 22. ſæpiſſimè tamen etiam aliter res evenit, neque inde regula viæ ordinariæ Dei poteſt formari, ipſe enim SALOMO contrarium obſervat Cap. VII: 14. Cap. IX: 2. præterea etiam præcedit nomen, ad quod infinitivus hic לתת relationem habeat, unde multo ſatius erit ſubintelligere bona vera in priori tmemate expreſſa, & conſequenter hic ſenſus eſt obſcuriſſimi noſtri verſus, *quamvis peccator videatur ea propter fortunatus eſſe in mundo, quoniam in addendo & cumulando eſt occupatus, nihilominus hoc ſolum eſt principale ejus negotium, privatus interea ſemper manet a lætitia vera eorum, qui Deo placent.* Hanc lætitiam Deus ſolis dat foederatis, qui etiam tum gaudere pergunt in ſerena Conſcientia, quando alii in coacervandis theſauris moleſtias omnes devorant; Ex hac paraphraſi illuſtrari poteſt finis verſus hujus, *etiam hoc eſt Vanitas & fractio ſpiritus.* Accentuatio hujus verſus docet, quod illud זה non ad prius, ſed ad poſterius verſus hujus tmema relationem habeat, GEIERUS atque alii per זה intelligunt id, quod opum nec acquiſitio, nec fruitio in hominum arbitrio poſitum ſit, verum hoc non eſt vanitas, ſed ſapientiſſima Dei diſpo-

poſitio, quare τὸ זה reſtringunt ad id, quod operoſe peccator inſudet bonis ad alium transmittendis; Verum nulla mentio fit operoſæ inſudationis, ſed potius proſperæ coacervationis, quare τὸ זה conjungendum eſt cum particula גם *etiam*, ut nempe innuatur, paradoxum aliquod à SALOMONE proponi, in eo conſiſtens, quod *opus illius peccatoris* in oculis hominum *videatur eſſe proſperum*; Quid enim lubentius faciunt homines quam coacervare gazas, cum nihilominus hæc ipſa proſperitas ſit *mera vanitas*, quoniam eſſentialis defectus manet illius nempe lætitiæ, taliſque boni, quod datur illis, qui in oculis Jehovæ placent.

CAP. III.

DEFENSIO *PROVIDENTIÆ DIVINÆ* CONTRA CAVILLATIONES PROFANORUM ATQUE IRRISORUM.

Quo magis manifeſtum eſt, quod omnes res vitæ præſentis, ac ſigillatim bona apparentia hujus mundi Vanitati ſint ſubjecta, eò ſpecioſiorem prætextum inde arripuit irriſor, ut gubernationem Dei in dubium vocet, atque omnia aut à caſu, aut à fato ſuſpendat. Ejusmodi homines jam SALOMONIS tempore inter Philoſophos gentiles fuiſſe, dubitare nos non ſinit impia *Secta Eleatica*, cujus radices uſque ad illa ipſa tempora pertingunt. Periculum quoque erat, ne inter ipſos *Judæos* ejusmodi profani invaleſcerent, partim quoniam eventus erat edocturus carnales eorum de regno Meſſiæ conceptus falſos atque irritos eſſe, partim quoniam ſperatus diei Meſſiæ adventus ultra exſpectationem erat protrahendus. Salubriter ergo Spiritus Sanctus per Salomonem vias Dei in gubernatione hujus mundi eousque Vanitati ſubjecti defendit, idque ita, ut ad duo Capita hæc Defenſio poſſit referri

I. Primo enim præliminariter *Providentiam divinam* demonſtrat quaſcunque Viciſſitudines hujus vitæ gubernare Cap. III: 15.

II. Aliquanto prolixius & magis ex profeſſo *ſolvit illa dubia, quæ providentiæ divinæ circa mala hujus mundi* gubernanda opponi poterant à Cap. III: 16- Cap. VII: 22. *Prior pars* conſiderat omnia, quantenus ſunt *Vanitas. Poſterior* autem, quantenus ſimul ſunt *fractio ſpiritus*, qui duo articuli in ſententia SALOMONIS de rebus hujus mundi continebantur.

DEFENSIO *PROVIDENTIÆ DIVINÆ* RELATE AD COMMUNES VICISSITUDINES HUJUS VITÆ.

Cap. III. vs. 1--15.

לכל זמן ועת לכל--חפץ תחת השמים:	1. *Omnibus eſt fixum tempus, & tempus opportunum cuicunque deſiderio ſub hoc coelo.*
עת ללדת ועת למות עת לטעת ועת לעקור נטוע:	2. *Tempus opportunum pariendi, & tempus opportunum moriendi tempus opportunum plantandi, & tempus opportunum eradicandi plantatum.*
עת להרוג ועת לרפוא עת לפרוץ ועת לבנות:	3. *Tempus opportunum ad occidendum, & tempus opportunum ad ſanandum, tempus opportunum ad diruendum, & tempus opportunum ad ædificandum.*
עת לבכות ועת לשחוק עת ספוד ועת רקוד:	4. *Tempus opportunum flendi, & tempus opportunum plaudendi, tempus opportunum plangendi & tempus opportunum exſultandi.*
עת להשליך אבנים ועת כנוס	5. *Tempus opportunum lapides pro-*

אבנים עת לחבוק ועת לרחק מחבק :

projiciendi, & tempus opportunum lapides colligendi, tempus opportunum amplexandi, & tempns opportunum amplexum elongandi

עת לבקש ועת לאבד עת לשמור ועת להשליך :

6. Tempus opportunum quærendi, & tempus opportunum perdendi tempus opportunum cuſtodiendi, & tempus opportunum dimittendi.

עת לקרוע ועת לתפור עת לחשות ועת לדבר :

7. Tempus opportunum diſſuendi, & tempus opportunum conſuendi, tempus opportunum tacendi & tempus opportunum loquendi

עת לאהב ועת לשנא עת מלחמה ועת שלום :

8. Tempus opportunum amandi, & tempus opportunum odio habendi, tempus opportunum belli & tempus opportunum pacis.

מה--יתרון העושה באשר הוא עמל :

9. Quænam reſidua eſt excellentia in eo, in quo moleſtè laborat ipſe?

ראיתי את-הענין אשר נתן אלהים לבני האדם לענות בו :

10. Ego conſideravi negotium illud, quod dedit Deus filiis hominum ut in eo affligantur.

את-הכל עשה יפה בעתו גם את--העלם נתן בלבם מבלי אשר לא--ימצא האדם את--המעשה אשר--עשה האלוהים מראש ועד--סוף :

11. Omne iſtud fecit pulcrum in tempore ſuo opportuno, quin etiam æternitatem indidit cordi eorum, quamvis homo ille non ſit inventurus opus illud, quod fecit Deus ille à principio uſque ad finem.

ידעתי כי אין טוב בם כי אם--לשמוח ולעשות טוב בחייו׃

12. *Reſcivi, quod nullum bonum ſit in iis præterquam lætari & facere bonum in vita ejus.*

וגם כל-האדם שיאכל ושתה וראה טוב בכל--עמלו מתת אלהים היא׃

13. *Et præterea quicunque homo, qui comedet & bibet & fruetur bono in omni moleſtia ejus, id eſt donum Dei.*

ידעתי כי כל-אשר יעשה האלהים הוא יהיה לעולם עליו אין להוסיף וממנו אין לגרוע והאלהים עשה שייראו מלפניו׃

14. *Reſcivi, quod quidquid facturus eſt Deus ille, iſtud erit in æternum, ad iſtud nihil eſt addendum, & ab eo nihil detrahendum, nam Deus ille fecit, ut timeant à facie ejus.*

מה-שהיה כבר הוא ואשר להיות כבר היה והאלהים יבקש את--נרדף׃

15. *Quodcunque fuit, nunc eſt, & quod erit, modò fuit, & Deus ille quæret profugum.*

ANALYSIS à Cap. III: 1--15.

DUAS PARTES IN HAC PERICOPA DISTINGUIMUS.

I. Præcedit Teſtimonium generale, quo perhibetur, omnes Viciſſitudines præſentis mundi à certo conſilio & decreto Dei dependere à vs. 1-8.

A. Theſis generalis continetur vs. 1. *omnibus eſt fixum tempus, & tempus opportunum cuicunque deſiderio ſub hoc coelo.*

B. Demonſtratio hujus theſeos per inductionem primariarum Mutationum à vs. 2-8.

Duplex hîc diſtingui poteſt illarum Mutationum claſſis.

1. Præmittuntur illæ Viciſſitudines, quæ magis immediate à Dei regimine dependent, & in quibus homo magis paſſive ſe habet a vs. 2-4.

a. Priorem hic locum occupant mutationes ex bono in pe-

pejus vs. 2. *tempus opportunum pariendi, & tempus opportunum moriendi, tempus opportunum plantandi, & tempus opportunum eradicandi plantatum.*

b. Succedunt mutationes ex deteriori in melius vs. 3, 4. hic iterum

α. Præmittuntur mutationes ipſæ vs. 3. *tempus opportunum ad occidendum, tempus opportunum ad ſanandum, tempus opportunum ad diruendum, & tempus opportunum ad ædificandum.*

β. Effectus harum mutationum in homine ſequuntur vs. 4. *Tempus opportunum flendi, & tempus opportunum plaudendi, tempus opportunum plangendi, & tempus opportunum exſultandi.*

2. Altera Claſſis eſt illarum Mutationum, quæ proximè a libera voluntate hominis dependent, & in quibus ille magis active ſe habet a vs. 5-8. idque tum ratione ſui ipſius, tum ratione proximi.

a. Ratione ſui ipſius vs. 5. 6. *Tempus opportunum lapides projiciendi, & tempus opportunum colligendi lapides, tempus opportunum amplexandi, & tempus opportunum amplexum elongandi, tempus opportunum quærendi, & tempus opportunum perdendi, tempus opportunum cuſtodiendi, tempus opportunum dimittendi.*

b Ratione aliorum vs. 7. 8. idque tam verbis quam reipſa.

א. Verbis vs. 7. *Tempus opportunum diſſuendi, & tempus opportunum conſuendi, tempus opportunum tacendi, & tempus opportunum loquendi.*

ב. Re ipſa vs. 8. *Tempus opportunum amandi, & tempus opportunum odio habendi, tempus opportunum pacis, & tempus opportunum belli.*

II. Subjungitur propior elucidatio, defendens Sanctitatem Dei in omnibus hiſce mutationibus dirigendis a vs. 9-15. Hæc defenſio ex ordine quoad ſingulas claſſes illarum mutationum, quarum mentio facta erat, inſtituitur.

A. Præmittitur defenſio ſanctitatis Dei ratione mutationum a

Digitized by Google

libero arbitrio hominum dependentium hoc ordine, ut primo dubium proponatur, deinde ſolvatur.

1. Propoſitio dubii eſt vs. 9. *Quænam reſidua Excellentia eſt operandi in eo, in quo ipſe moleſte laborat.*

2. Reſponſio ſubjungitur vs. 10-17. idque tum conſiderando rem, de qua dubium movetur à parte Dei, tum à parte hominis.

   a. a Parte *Dei* dubium ſolvitur vs. 10. 11. hic.

      α. Præcedit teſtimonium de attentione ſedula, quam Salomo ad rem tanti momenti adhibuerat vs. 10. *Ego conſideravi negotium illud, quod dedit Deus filiis hominum ut in eo affligantur.*

      β. Porro indicatur, quid Salomo per hanc attentionem didicerit, &, per quod viæ Dei defendi poterant; vs. 11. *omne iſtud fecit pulchrum in tempore ſuo opportuno, quin etiam æternitatem indidit cordi eorum, quamvis homo ille non ſit inventurus opus illud, quod fecit Deus ille à principio uſque ad finem.*

   b. A parte *hominis* vs. 10. 13. cui diverſum bonorum genus tam moralium quam phyſicorum, in hiſce mutationibus appropriat, ut inde liqueat, non fruſtraneum plane piorum laborem eſſe.

      α. Ad bonum morale reſpicit vs. 12. *Reſcivi quod nullum bonum ſit in iis, præterquam lætari & facere bonum in vita ejus.*

      β. Ad honum phyſicum collineat vs. 13. & *præterea quicunque homo qui comedet & bibet, & fruetur bono in omni moleſtia ejus, iſtud eſt donum Dei.*

B. Sequitur Apologia quoad illos eventus, quos Deus magis immediate gubernat vs. 14, 15. hæc.

   1. *Proponitur* vs. 14. *reſcivi quod, quicquid facturus eſt Deus ille, iſtud erit in æternum, ad iſtud nihil eſt addendum, & ab eo nihil detrahendum, nam Deus ille fecit, ut timeant a facie ejus.*

   2. *Defenditur* contra novam quandam difficultatem conſtan-

tia

tia hujus operis divini vs. 14. *quodcunque fuit, nunc eſt, & quod erit, modo fuit, & Deus ille quæret profugum.*

SCHOLIA AD

VS. 1.

Hic omnes Eventus, paſſiones æque ac actiones vitæ humanæ dependentes declarantur a Decreto divino, & quidem eo ordine; ut *primo* de omnibus Viciſſitudinibus in genere, *deinceps* autem de talibus in ſpecie agatur, quæ defectus deſideriorum ac moliminum liberæ voluntatis creaturarum rationalium ſunt. Modus autem dependentiæ illarum rerum a decreto Dei duabus diſtinctis vocibus exprimitur זמן ועת. זמן indicat *tempus præciſum*, adeoque reſpicit ipſum momentorum numerum, ex quibus ſingulæ periodi temporis conſtat a Deo accurate eſſe definitum. Altera autem vox nempe עת deſignat *tempus opportunum*, bene ordinatum atque congruum, rationibus ejus qui certas res atque negotia in tali temporis articulo vult fieri, adeoque vox prima *conſtantiam phyſicam*, vox ſecunda autem ſimul *ſanctitatem & ſapientiam moralem* decreti divini in rebus illis ordinandis declarat.

Prius tmema noſtri verſus, quod *omnia tempus præciſum habeant*, non ita cadit ſub contradictionem, quoniam experientia id confirmat, quæ indicat, quomodo tempus rebus, certis legibus ſit commenſuratum, verum poſterius, nempe quod eadem res non exceptis illis, quæ per homines geruntur, *tempus congruum* habeant, ratio humana minus capit, quoniam illa nequit perſpicere, quomodo tanta inclinationum varietas, quibus præterea tantum vitii adhæret, & in quibus externe ſæpe nihil niſi confuſio apparet, ſapientiſſimis ac ſanctiſſimis legibus gubernetur, quare hoc poſterius non ſolum in altero tmemate noſtri verſus ſigillatim ac diſertius declaratur, ſed ei potiſſimum in ſequentibus inhæretur, nam hæc vera ratio eſt, cur in omnium illarum recenſione conſtanter vox עת, quæ *tempus opportunum* deſignat, ſola repetatur.

VS.

VS. 2.

Analyſis objectorum hujus *temporis opportuni*, obſcuriuſcula eſt. In illa concipienda mediam viam juvat inflectere, non enim facimus cum illis, qui hic nimis ingenioſi Propheticas periodos diſtinguere volunt, ſed multo minus eorum approbamus levitatem, qui absque examine atque attentione debita nullum ordinem in his atque ſimilibus pericopis Scripturæ quærendum eſſe volunt, quibuscum lubricus hujus libri Commentator, WÆCHTERUS fecit. Natura ipſa objectorum illa eſt, ut facile de duodecim prioribus deprehendantur, quod illa *magis immediate* à Deo dirigantur; Verſus noſter ſigillatim tales caſus enumerat, in quibus bonum præcedit atque malum ſequitur, idque, tum relate ad ſingulas perſonas tum ad integras familias. Quoad ſingulas perſonas laudatur *tempus opportunum nativitatis & mortis.* Singulorum hominum natales ita credibile eſt, Deum fixiſſe, uti conveniebat cum decreto ejus, ſecundum quod omnes Electi ſucceſſive, hi hiſce, alii aliis temporibus debebant ſalvari, atque hoc pacto ab illo nativitatis ſingulorum hominum termino ipſa fata Eccleſiæ & Regni gratiæ per omnia tempora dependent, conferantur Gal. IV: 4. Pſal. LXXXIX: 13, 14. ſq. Tempus quoque mortis ſingulorum hominum commode Deus poſuit, quoniam ipſi conſtat, quousque eos velit in terris conſilio ſuo ſubſervire, & quando aliis locus debeat concedi, ut in ſuo quoque ordine in theatrum hujus mundi prodeant, confer Job. XIV: 4. ſic v. g. opportune mors fidelium eſt decreta, quando illi certamine fidei defuncti ſunt ut ad triumphum tranſeant, nec minus opportune ſtatutus eſt vitæ terminus omnibus veritatis hoſtibus, ne ultra modum ferociant, & ut eorum malitia in tempore cohibeatur. Duo ſequentia objecta referimus *ad integras familias atque gentes*, earumque *ortus & interitus*. Frequentiſſimum enim *fundationis* Rerum publicarum ac Statuum in ſacris eſt emblema *plantationis*, atque earundem everſio & *deſtructio*, ut *eradicatio* conſideratur, ſic po-

populus Iſraël conſideratur ut *plantatus in deſerto*, *& in Canaane* Pſal. LXXX: 9. Joſ. V: 1. & iterum cum *radice* & *ſtipite eradicatus* Mal. IV: 1. utrumque a Decreto Dei derivatur Jer. XLV: 4.

VS. 3.

Verſus duo ſequentes tales delineant mutationes, quæ *a malo* incipiunt, & *in bonum* finiunt; illæ ſpecialiorem merentur meditationem, quoniam omniſufficientiam Dei clarius manifeſtant, per quam omnia etiam, quæ videntur mala eſſe in oculis noſtris, ad ſalutares fines deducuntur; Mutationes ipſæ, quæ huc referuntur, vs. 3. extant, atque oppoſitæ ſunt mutationibus verſus præcedentis, unde quoque *partim* ſingulares perſonas, *partim* integras familias iterum concernunt, nam ad ſingulas perſonas referimus primum tmema vs. 3. quod *tempus opportunum occiſionis laudat*, Deus enim ſecundum ſuum ſapientiſſimum beneplacitum homines conſtituit in certis circumſtantiis morti violentæ tradere, veluti in perſecutionibus & Martyriis Eccleſiæ accidit. Verum quando ipſi placet, *ex præſentiſſima etiam morte* per *miraculoſam ſanationem* eripit, atque hoc pacto ita Eccleſiam ſuam gubernat, ut nunquam plane ad incitas redigatur, ſic homo docetur, quod *occiſio ovium mactationis*, a tyrannide perſecutorum non dependeat, quoniam Deo eſt integrum *exitus ex ipſa morte* præſtare, uti Pſal. LXVIII. dicitur, confer 1 Sam. II: 6. Job. V: 18. Ad integras autem Civitates & Reſpublicas referimus alterum tmema hujus verſus, in quo deſcribitur *tempus commodum deſtructionis* & *ædificationis*, nempe quando populus menſuram peccati implevit, tunc opportune ad manifeſtandum Dei juſtitiam *deſtruitur*, & quando iterum a peccatis reſipiſcit, tum ex ipſis ruderibus ſuis *denuo reſurgit*, veluti id expertus eſt populus Iſraeliticus deſtructus per Babylonicam captivitatem, & denuo ædificatus per reductionem ejus in terram promiſſam, de quibus Viis Dei eædem phraſes adhibentur Jer. V: 10. Cap. XVIII: 7. ſeqq. Cap. XXXI: 28.

Digitized by Google

VS. 4.

Cum SALOMO hoc pacto edocuiſſet, quomodo fatales illæ mutationes *opportune ſuis temporibus* a Deo diſpenſarentur, in noſtro verſu & ex eodem fonte derivat effectus, quos ejusmodi mutationes in animis hominum ſolent habere, *triſtitia* nempe & *lætitia*, qui affectus frequentiſſimi ſunt in talibus occaſionibus, & diverſimode per varia ſigna externa produntur; Illa ſigna hic verſus enumerat, & quidem iterum eo ordine, ut præmittat magis particularia, & ſubjungat magis univerſalia. Signa particularia, quibus ſingulæ perſonæ ſolent animi ſui faciem exprimere, ſunt *fletus* atque *riſus*, verum calamitates atque feſtivitates magis publicæ, & ad plures ſpectantes ſolent per *planctum* & per *ſubſaltationem* prodi; Utrumque Deus *commodo tempore* diſpenſat, *prius* ut ad veram poenitentiam homines incitet, *poſterius* ut eoſdem ad gratitudinem Deo præſtandam inſtiget, confer Jeſ. XXII: 11. Jer. XXXI: 13.

VS. 5.

Nunc Rex ſubjungit tales viciſſitudines, in quibus homines magis active ſe habent, atque ſingularem emphaſin merito in eo notamus, quod inter actiones hominum, quibus *commodum tempus* aſſignatur, etiam illæ actiones recenſeantur, quæ *ad vexationem & afflictionem hominum* faciunt. Vox עת hic conſtanter recurrit: Reminiſcamur ergo nihil importunum eſſe coram Deo, quamvis ita homini videatur, quoniam homo etiam inſcius atque invitus per manum Dei ita flectitur, ut ipſius voluntati miniſtret. Quando autem SALOMO hic incipit ab illis objectis, circa quæ homo relate ad ſe ipſum ſolet actuoſus eſſe, tum præmittit illas actiones, per quas unusquisque in eo eſt occupatus, ut res ſuas ſtabili loco in hoc mundo figat, quo præcipue pertinet *ædificare domos*, atque *genus ſuum propagare*. Ad prius reſpicitur, in priori verſus noſtri tmemate, nam *ſpargere la-*

lapides, eſt eorum, qui domos deſtruunt, verum *eoſdem congregare* eſt eorum, qui eas ædificant. Cum autem domus etiam per metaphoram ædificetur procreatione ſobolis, hinc ad illam putamus alterum tmema noſtri verſus pertinere, nam verbum *amplexandi* ita de conjugali amore uſurpari ſolere certum eſt ex Cant. II: 6. VIII: 3. coll. Prov. V: 20.

VS. 6.

Hic adduntur ſtatim illæ actiones, per quas domus erecta atque ſtatus ſtabilitus, aut conſervari, aut iterum deſtrui poteſt. Prius tmema hujus verſus ſiſtit *tempus quærendi & perdendi*, hoc referimus ad acquiſitionem divitiarum & facultatum, tmema poſterius agit *de tempore conſervandi atque dimittendi*; Per ſe liquet, quod id in hoc nexu aptiſſime referatur ad poſſeſſionem illorum bonorum, quæ jam acquiſita ſunt.

VS. 7.

Tmema prius hujus verſus, quod de *tempore conſuendi* atque *diſſuendi* agit, putamus Metaphorice eſſe explicandum, quatenus nempe per verba, ſermocinationes, diſcurſus, vel conſenſum cum proximo, vel diſſenſum ab eo profitemur, quorum hoc ſententias dirimit, illud autem conſuit. Hoc pacto reliqua optime cohærent, quæ clare gradatim talia deſcribunt, quibus aut *concordia*, aut *diſcordia* promovetur, nam alterum tmema hujus verſus agit de *tempore tacendi & loquendi*, quoniam nempe non ſemper occaſio commoda adeſt per conſenſum aut diſſenſum animum noſtrum coram proximo manifeſtandi, hinc ſequitur diſcrimen inter illud tempus, quo ſatius ducimus ſenſa noſtra diſſimulare, & *το* loqui pertinet ad tale tempus, in quo libere mentem noſtram proximo aperimus.

VS. 8.

Vinculum cum proximo non ſolum in verbis, ſed potius in

Digitized by Google

re ipſa conſiſtit, & quidem ita, ut partim interne animo adverſus proximum aut recte, aut male affecti ſimus, quo pertinent *amoris* & *odii* intervalla, aut actionibus quoque ipſis illum animum prodamus, quod vel per *belli* atque *pacis* viciſſitudines conficitur.

VS. 9.

In hoc verſu proponitur Objectio ipſa, quam ratiocinium contra viciſſitudines illas poteſt formare, difficile enim conceptu videtur, quomodo aſſeri queat, *omnia illa negotia*, quæ in præcedentibus ſunt enumereta, *tempore opportuno* eſſe diſtributa, cum nullus ſolidus fructus ex illis redundet ad eum, qui moleſte circa illa occupatur, nil enim niſi incommodum videntur ſpirare, quia iſtud *permanens bonum*, de quo ſcopus noſtri libri inquirit, *in eo deficiat*.

VS. 10.

Ad hanc objectionem ſolide ſolvendam SALOMO ſe accingit præmiſſa præfatiunacula, qua indicat, *quod mature hanc rem conſideraverit*, ראה, quod in textu occurrit, ſæpe numero *Contemplationem* & meditationem *profundiorem* naturæ objecti indigitat, præſertim ſequente particula את, quæ valde frequens in hoc libro eſt, & indicat tale objectum; circa quod aliquis cum magna intentione & defixione animi verſatur; Phraſis qua objectum hoc profundioris meditationis deſcribitur Cap. I: 13. eſt explicata, atque ex illo dicto ſuppleri debet, illic enim non erat actum de הענין, vel *negotio* in genere, ſed de ענין רע *negotio malo*; Tale quoque eſt, quod hic Salomoni obverſatur, præſertim cum eadem ratione definiatur ut *negotium*, quod ad afflictionem & vexationem homini eſt datum, & hic ſpecialis ſcopus erat Regis in contextu ſequenti, ut *malum iſtud*, quod eſt in *negotiis humanis*, & quod præcipuum providentiæ divinæ præjudicium creabat, cum Sapientia & Sanctitate Dei, in gubernatione hominis hujus mundi conciliaret.

VS.

Digitized by Google

VS. 11.

In hoc commate SALOMO ad veram originem mali aſcendit; Hinc ab una parte cauſa Dei in hac re defenditur, & ab altera parte culpa omnis mali illius, quod in negotiis humanis eſt, in peccatorem rejicitur, Quod apud Deum primus fons mali non ſit ſtatuendus, duobus argumentis conficitur. *Primum* eſt, quia *omnia illa pulchra fecit in tempore ſuo*; Obſcuritatem huic effato intulerunt, qui illud in præſenti explicarunt, cum *ad præteritum* ſit referendum, & quidem ad primum Creationis initium, hoc erat illud tempus conveniens decentiæ divinæ, in qua pulchritudine debita ornata, omnia ex manu creatoris prodierunt, quod congruit cum Gen. I: 31. *quod omnia valde bona fuerint*. *Secundum* argumentum inde eſt deſumtum, quia Deus hominem talibus inſtruxit facultatibus & viribus, quæ illum poterant beatum reddere, & ab omni malo negotio & ejus triſtibus ſequelis præſervare. Huc referimus verba; *Etiam æternitatem indidit cordi illorum*, nulla enim ratio nos adigit, cur Vocem עולם hiç in ſenſu reſtricto ſumanus, cum duplex emphaſis in textu ſit conjuncta, tum per præfixum ה, tum etiam per præcedens את; Hoc autem conceſſo, nullum dictum in tota S. Scriptura evidentius pro *immortalitate animæ* & *æternitate boni*, quod ſperatur, occurrit; Hæc *inſitio æternitatis in corde hominis* erat radius imaginis divinæ, & ſub ſe comprehendebat quoad intellectum, juſtam æternitatis ideam, quoad voluntatem, æternitatis ſincerum deſiderium & debitam æſtimationem, quoad Conſcientiam, ejuſdem quoque ſpem & præguſtum; Sed quo amplior hic theſaurus erat, eo major erat culpa hominis, qui illum neglexerat, qui lumen illud obumbraverat, hinc SALOMO pergit & conqueritur illum *hominem* tantis inſtructum dotibus nihilominus *in illas tenebras eſſe devolutum*, ut propriis viribus non ſit *inventurus* unquam, vel recuperaturus, quæ etiam emphaſis vocis מצא eſt, iſtud *opus*, *quod Deus ille fecerat*, & quidem ab *initio uſque ad finem*. Hæc ultima phraſis poteſt referri:

ferri vel ad Deum, vel ad hominem. Quando refertur *ad opus Dei*, tum declaratur, peccatorem ineptum eſſe redditum ad initium & finem verum moliminum & operum Dei detegendum; Sic quoad omnia opera Dei verum eſt id, quod Nicodemus experiebatur, quoad opus Spiritus S. ſonum venti audiens, & tamen ignorans unde ille veniat, & quo vadat, id eſt, quodnam operationum ejus principium & finis ſit Joh. III: 8. Si autem phraſis hæc *ad hominem* peccatorem transfertur, tum ſubindicatur, quomodo peccator catenis tenebrarum ab initio vitæ usque ad finem ejus, quando ſibi relinquitur, ita ſit conſtrictus, ut nihil de operibus Dei & eorum in terra ratione intelligat. Hinc patebat, in malis hujus mundi nihil eſſe quod Deo præjudicium creare poterat; Hinc ſimul ſequebatur, omnia peccatoris ratiocinia de operibus Dei eſſe inepta, quia omiſit facultatem, judicium debitum de illis formandi.

V S. 12.

Nihilominus in tanto diverſorum negotiorum vitæ præſentis cumulo aliquid occurrit, quod poteſt tanquam pars & primitiæ veri boni conſiderari, & ad illud יתרון pertinet, de quo quæritur. Hoc ut SALOMO detegat, præſupponit, quod non *de negotiis* hominum in genere, ſed *rectorum* & *vere credentium* intelligi velit; Nam quod attinet peccatorem, de eo concedit atque agnoſcit, *quod nihil boni in illis negotiis occurrat*, ſed tamen ita, ut themate 2do hujus verſus aliquos ſeparet, nempe illos, qui lætitiam atque boni perpetrationem in vita ſua conjunxerunt, quare *τo lætari*, de quo hic loquitur, debet explicari de gaudio ſpirituali fidei juſtificantis & ſpem vivam producentis, ſed *τo facere bonum* de exercitio veræ ſanctificationis in omnibus officiis amoris Dei & proximi;

V S. 13.

Hoc ſuppoſito vs. 13. indicatur, ubi ita pari paſſu ambulant vi-

vita læta & ſancta, illic non poſſe dici, quod *omnia ſint vana & fractio Spiritus*; Per *illum* enim *hominem*, de quo in hoc verſu agitur, non poteſt alius intelligi, quam qui verſu præcedente ut *latans* & *benefaciens* deſcriptus erat, & ille ſolus quoque, propter jus filiationis, quod propter Redemptorem acquiſivit, hanc poteſtatem habet, *ut eſum & potum*, & *fruitionem boni jucundi in omni ſua moleſtia* tanquam donum ſingulare gratiæ ejusdem Dei Triunius conſideret, quamvis *in illa fruitione*, de qua Rex hic agit, proprie ſpectetur ad bona vitæ præſentis tranſitoria, nihilominus per fidem etiam hæc bona ut munus patris coeleſtis conſiderantur, qui illorum fruitionem in finem longe ſublimiorem conceſſit.

VS. 14.

Tranſit hic REX ad reliquas viciſſitudines magis immediate a Deo directas, & per duo argumenta ſolida confirmat, quod *illa tempore opportuno* a Deo diſpenſentur.

Primum argumentum inde eſt petitum, quia omnes hæ mutationes, quamvis miris modis alternantes & ſe invicem protrudentes *propoſito Dei* nullam remoram injiciant, *iſtud in æternum permanebit*, nulla beatitudo generis humani ei aliquid addere, nulla calamitas inde aliquid decerpere poteſt.

Alterum argumentum inde eſt petitum, quia per omnes has vices ſuam gloriam ſemper promovet, hinc omnia Deus ita diſpenſat & diſpenſavit ab initio mundi, ut *reverentia* & timor *nominis ejus promoveretur* in maximis hujus vitæ tempeſtatibus, nunquam oblitus fuit talia ſigna Majeſtatis & potentiæ ſuæ edere, quæ hunc timorem poterant incendere, ſive modo ſalutari per veram poenitentiam, vel modo triſtiori per judicia, per quæ ipſis hoſtibus tremendus ſemper fuit.

VS. 15.

In primo tmemate hujus commatis continetur Objectio contra quan-

præcedentis verſus doctrinam, quæ duplici ratione poteſt explicari, vel hoc pacto, quod *omnia quæ facta ſunt, quæ fiunt, & in futurum fient, eadem ſint*, vel hoc ſenſu, quod *tempus ſe ipſum indefinenter protrudat*, cum momentum præcedens vix ſit elapſum, quando præſens jam adeſt, & dum illud videtur eſſe præſens aliud jam inſtat; Quemcunque ſenſum eligas, tum ſub verbis his continebitur aliquid contra opportunitatem mutationum enumeratarum pugnans, nam ſi *prior* ſenſus præferatur, tum ita difficultas poteſt concipi, ſi ſingulis temporibus id contingit, quod jam contigit tempore præterito, & quod iterum continget ſtatim futuro tempore, quod tam unumquodque tempus opportunitate præſtaret præ alio. Si *poſteriorem* ſenſum ſequaris, hæc eſt quæſtio, ſi unum momentum tum citato curſu elabitur, & alterum ſequitur, quænam opportunitas in adeo rapido temporis curſu ſupererit ad gloriam Dei in illis operibus agnoſcendam & timendam, quæ tamen fugacibus momentis ſunt adſtricta?

Licet autem utraque hæc interprætatio non videatur ſenſum incommodum fundere, poſterior tamen nervoſius cohæret cum reſponſione, quæ in altero tmemate verſus noſtri ſubjungitur, ſcilicet *quod Deus ille Triunus elapſum quæret*. *Quærere* hîc notat idem ac curam habere, & forma Pihel *curam intenſiſſimam* notat, quare propoſitionis hujus, quæ inter difficiliores hujus libri noſtri eſt reputanda, hic ſenſus erit: *Eundem illum Deum cujus intereſt, ut timorem nominis ſui conſervet, in animis hominum, curam etiam & providentiam ſuam accuratiſſimam circa illa momenta, quæ tam celeriter elapſa ſunt & propulſa demonſtraturum eſſe*, quando ſcilicet in fine regiminis ſui manifeſtabit, quomodo opera quoque tam tranſitoria ſingulare momentum attulerint ad conſilium gratiæ & iræ executioni dandum;

DEFENSIO VIARUM DEI CIRCA MALUM, QUOD EST IN MUNDO.

Cum multæ ſint adeo *Viciſſitudines* hujus vitæ, illæ tamen præ-

præcipuum pabulum incredulitati præbent, per quas fit, ut *piis multa mala & impiis proſpera multa contingant*: hoc offendiculum eſt commune carnis imbecillis in ipſis aliquando fidelibus, atque ſingularem vim habere debebat in illis, qui ſub Oeconomia Vet. Teſtamenti reputabant, quod externa quoque bona piis promiſſa eſſent. Ea propter REX conſultum duxit, ut caſus quoſdam huc pertinentes & ſæpe occurrentes in exemplum quaſi producat & examinet, addens Meditationes, quas prælucente SPIRITU SANCTO ex talium caſuum occaſione habuerat. In ſelectu horum caſuum ordo elegantiſſimus ſe ſiſtit, nam non ſolum tales proponuntur, qui magis in oculos aliorum incurrunt, ſed & tales, qui circa duo bona præcipua hujus mundi contingunt.

1. Enim diſputatur de illa confuſione, quæ occurrit ratione potentiorum atque aliis imperantium à Cap. III: 16. ad Cap. V: 8.

2. Adduntur Caſus, qui concernunt confuſionem ratione divitum in hoc mundo apparentem á Cap. V: vs. 9. ad VII. vs. 15.

3. Denique ſubnectitur obſervatio quædam circa vitam longam impiorum in genere á Cap. VII: 16-27.

Particularis uniuscujuſque caſus tractatio difficiliorem habet Ordinem & Methodum, & forte non ingenioſe ſubnaſci poſſet hæc Conjectura; An non SALOMO quasdam meditationes pro occaſione diverſorum objectorum, diverſis temporibus á Spiritu Sancto ſuggeſtas in unum collegerit, & ita ſui Libri ſcopo generali ſubordinaverit? Altioris indaginis eſt; An non SALOMO in horum caſuum formatione ſi non in totum, ſaltem in parte *Prophetam* etiam egerit, & eos caſus recenſuerit, qui ſequentibus etiam temporibus, certamini fidei, anſam præbituri eſſent? Præſumtio ſaltem inſignis pro hac hypotheſi eſt.

1. Quia reliqui SALOMONIS libri Canonici ænigmata prophetica multa continent.

2. Cum Liber hic univerſæ Ecclesiæ uſui eſſet deſtinatus, congruum etiam erat, talium caſuum mentionem preſſius inſtituere, circa quos populus Dei tentandus erat.

3. Cum ſcopus peculiaris Salomonis eſſet, veram naturam bonorum apparentium terreſtris Canaanis manifeſtare, inde ſequitur, quod caſus in SALOMONIS regno occurrentes aliquantum ab hoc ſcopo abluderent: tempora enim SALOMONIS populo Dei erant fauſtiſſima; proſperitas Iſraëlis nunquam ad majus faſtigium aſcendit; promiſſiones bonorum V. T. nunquam plenius á Deo ſunt perſolutæ, quare occaſio non adeo idonea in illis temporibus occurrebat, de malis populi Dei in hac vita agendi.

Accedit 4. quod phraſes quædam ſingulare lumen accipiat, quando ulterius cum SALOMONE proſpicere contendimus, ut exempla quædam hujus rei manifeſta in hac exegeſi occurrent.

Repræſento ergo mihi SALOMONEM tanquam in eo occupatum, ut populum ſuum contra incredulos & irriſores etiam ſequentium temporum muniret, qui tum maximi ſurrecturi, quando res hujus populi magis ad incitas redigenda, atque ita ſpes meliorum temporum decollare videbatur.

I. Quod concernit Caſus circa *Dominantes*; illorum eſt quaternarius: duo priores ſpectant abuſum poteſtatis, duo poſteriores ipſas qualitates perſonales potentum.

A. Caſus concernentes iniquum poteſtatis in mundo Exercitium.

Merito SALOMO incipit ab ejusmodi Caſibus, quos Magiſtratus ſiſtit, quia illi maxime etiam in oculos occurrunt, delicta eorum, qui excelſo in loco ſunt poſiti, in mundo etiam facile deteguntur; & præterea nil magis gubernationem Dei in mundo poteſt obſcurare, aut in dubium vocare, quam quod iis, per quos Deus alios vult regere, ipſi primaria cauſa confuſionis in mundo ſunt.

CAP.

Digitized by Google

C A P. III: 16-fin. C A P. IV: 1-6.

ועיר ראיתי תחת השמש מקום
המשפט שמה הרשע ומקום
הצדק שמה הרשע:

16. *Et ulterius circumſpiciebam ſub hoc ſole, locus erat judicii in quo impius, & locus juſtitiæ in quo impietas.*

אמרתי אני בלבי את--הצדיק
ואת הרשע ישפוט האלהים
כי-עת לכל-חפץ ועל כל-המעשה
שם:

17. *Ego dicebam in corde meo, tam juſtum illum, quam injuſtum judicabit Deus ille, nam omne beneplacitum habet tempus ſuum opportunum, atque ſuper omne id opus tum judicabit.*

אמרתי אני בלבי על--דברת בני
האדם לברם האלהים ולראות
שהם--בהמה המה להם:

18. *Porrò ego dicebam in corde meo, de conditione filiorum hominis, quod Deus ille eos exploret, ſed quod appareat, quod illi ſibi ipſis in brutum ſint.*

כי מקרה בני--האדם ומקרה
הבהמה ומקרה אחד להם
כמות זה כן מות זה ורוח אחד
לכל ומותר האדם מן--הבהמה
אין כי הכל הבל:

19. *Nam eſt eventus filiorum hominis, & eſt eventus beſtiæ & eſt eventus unus utriſque, ſicuti hæc moritur, ita moritur ille, atque unus halitus eſt iis omnibus, & præcellentia hominis præ beſtia non eſt, quia omne iſtud eſt vanitas.*

הכל הולך אל--מקום אחד הכל
היה מן-העפר והכל שב אל--
העפר:

20. *Id omne vadit ad locum unum, iſtud omne factum eſt ex pulvere, & id omne revertit in pulverem illum*

21. *Quis*

מי יודע רוח בני האדם העלה היא למעלה ורוח הבהמה היורדת היא למטה לארץ׃

21. *Quis cognovit Spiritum filiorum hominis! ille eſt aſcendens ſurſum, & Spiritum beſtiæ, ille eſt deſcendens Sub terra, ſeu, in inferiora terræ.*

וראיתי כי אין טוב מאשר ישמח האדם במעשיו כי-הוא חלקו כי מי יביאנו לראות במה שיהיה אחריו׃

22. *Et expertus ſum, quod nullum ſit bonum in eo, quod talis homo lætari vult in operibus ſuis, nam hæc pars ejus eſt, nam quis adducet illum ad animadvertendum id, quod poſt eum erit.*

CAP. IV. 1-6

ושבתי אני ואראה את--כל--העשקים אשר נעשים תחת השמש והנה דמעת העשקים ואין להם מנחם ומיד עשקיהם כח ואין להם מנחם׃

1. *Et ego converti me, & intuitus ſum omnes oppreſſiones, quæ fiebant ſub hoc ſole, & ecce fletus oppreſſorum, & non erat iis conſolator, & in manu opprimentium eorum erat robur & non erat conſolator iis.*

ושבח אני את--המתים שכבר מתו מן--החיים אשר המה חיים עדנה׃

2. *Et ego laudavi mortuos illos, qui jam ſunt defuncti ſuper viventes eos, qui adhuc vivunt.*

וטוב משניהם את אשר--עדן לא היה אשר לא--ראה את--המעשה הרע אשר נעשה תחת השמש׃

3. *Et melior utriſque iis eſt ille, qui nondum vixit, qui non expertus eſt malum illud opus, quod fit ſub hoc ſole.*

וראיתי אני את--כל--עמל ואת כל--כשרון המעשה כי היא קנאת--איש מרעהו גם--זה הבל

4. *Et vidi ego omnem moleſtiam & omnem proſperitatem operis illius, quod illam homo ſocio ſuo*

Digitized by Google

ורעות רוח׃

ſuo invideat. Etiam hoc eſt vanitas, & fractio ſpiritus.

הכסיל חבק את־־ידיו ואכל את־
בשרו׃

5. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnem ſuam.*

טוב מלא כף נחת ממלא חפנים
עמל ורעות רוח׃

6. *Melior eſt impletio manus cavæ cum quiete, quam impletio utriuſque pugni cum moleſtia & fractione ſpiritus.*

ANALYSIS á Cap. III: 16- Cap. IV: 1-6.

Duo caſus hic tractantur.

I. *Injuſtitia* in judiciis à Cap. III: 16-23.

A. Caſus ipſe proponitur vs. 16. *& ulterius circumſpiciebam, ſub hoc ſole locus erat judicii, in quo impius, & locus juſtitiæ, in quo impietas.*

B. Simplex conſideratio SALOMONIS fidem contra hunc caſum muniens additur

1. Primus caſus deſumtus eſt a judicio Dei vs. 17. *Ego dicebam in corde meo tam juſtum illum, quam injuſtum illum judicabit Deus ille, nam omne beneplacitum habet tempus ſuum opportunum, & ſuper omne id opus tum judicabit.*

2. Altera meditatio concernit ſtultitiam hominum, quod id non animadvertant vs. 18-22. hæc ſtultitia.

a. Proponitur vs. 18. *porro Ego dicebam in corde meo de conditione filiorum hominis, quod Deus ille eos exploret, ſed quod appareat, quod illi ſibi ipſis in brutum ſint.*

b. Confirmatio hujus accuſationis a vs. 19-22. duplici argumento corroborata.

A. Argumentum primum deſumtum eſt ab externa ſimilitudine hominis cum beſtiis vs. 19, 20. & quidem.

א. Quoad præſentem Vitam ejuſque finem vs. 19 *nam eſt eventus filiorum hominis, & eſt eventus beſtiæ, & eſt eventus unus utriſque: Sicuti hic moritur, ita moritur ille, & unus halitus eſt illis omnibus, & præcellentia hominis præ beſtia non eſt, quia omne eſt Vanitas.*

ב. Quoad futuram vitam vs. 20. *Id vadit omne ad locum unum, id omne factum eſt ex pulvere & omne id revertitur in pulverem illum.*

B. Quoad ſtatum internum vs. 21. & 22. Hæc ſimilitudo.

א. Exprimitur vs. 21. tanquam inſiſtens in ſimili rerum futuræ vitæ ignorantia, & circa illas ſtupore. *Quis cognovit Spiritum filiorum hominis, ille eſt aſcendens ſurſum, & Spiritum beſtiæ, ille eſt deſcendens ſub terra, vel in inferiora terræ.*

ב. Concluſio inde formatur vs. 22. *Et expertus ſum, quod nullum ſit bonum in eo, quod talis homo lætari vult in operibus ſuis, nam hæc pars ejus eſt, nam quis permovebit illum ad animadvertendum, quod poſt eum erit.*

II. Oppreſſio miſerorum tanquam ſequela juſtitiæ in præcedentibus deſcriptæ Cap. IV: 1-6.

A. Caſus hic proponitur vs. 1. *Et ego converti me, & intuitus ſum omnes oppreſſiones, quæ fiebant ſub hoc Sole, & ecce fletus illorum oppreſſorum, & non erat illis conſolator, & in manu opprimentium eorum erat robur, & non erat conſolator illis.*

B. Solutio hujus caſus inſtituitur duplici modo á vs. 2-6.

1. Meditatio concernit exiguum tempus durationis talium oppreſſionum vs. 2, 3. idque

a. Reſpectu eorum, qui oppreſſiones has patiuntur, & per mortem ab illis liberandi. *Et ego laudavi mortuos illos, qui jam ſunt defuncti ſuper viventes illos, qui adhuc vivunt.*

b. Ratione temporum meliorum, quæ nondum natos dein

dein exſpectabant vs. 3. *Et melior utriſque illis eſt ille, qui nondum vixit, qui non expertus eſt malum id opus, quod fit ſub hoc ſole.*

2. Altera Meditatio oſtendit, quomodo invidia multorum onus in hoc mundo aggravet vs. 4-6. hoc
   a. Edocetur vs. 4, 5. in qua doctrina iterum diſtingui poteſt.
      α. Propoſitio vs. 4. *Et vidi Ego omnem illam moleſtiam & omnem proſperitatem operis illius, quod illam homo ſocio ſuo invideat, etiam hoc eſt vanitas & fractio Spiritus.*
      β. Confirmatio hujus theſeos occurrit vs. 5. *ſtultus plicat manus ſuas, & comedit carnem ſuam.*
   b. Poriſma inde elicitur vs. 6. *melius eſt impletio manus cavæ (vel volæ) cum quiete, quam impletio utriuſque pugni cum moleſtia & fractione Spiritus.*

SCHOLIA AD VS. 16.

Judicium & *juſtitiam* conjungit, tum quando de Divino, tum quando de Humano foro, eoque tam Eccleſiaſtico quam Politico agit, nam judicii, & norma eſt illa juſtitia, quæ lege definitur, & ſcopus unicus, eſt illius juſtitiæ demonſtratio & exercitium; Ad exaggerationem ergo mali, quod hic proponitur, pertinet, quando in tali loco, in quo non ſolum exercetur judicium, ſed & prætenditur patrocinium juſtitiæ, impietas dominatur. Unicum hoc eſt medium ad ſecuritatem in mundo obtinendam, hoc ubi impune corrumpitur & invertitur, nil niſi extrema confuſio ſupereſt. Singularem emphaſin hic caſus habet, quando reſpicitur Judicum Iſraëlis ratio, brevi tempore ante Meſſiæ adventum, cum tribunal ſive ſedes judicii, quam *Synedrium* occupabat, & a quo adminiſtratio juſtitiæ exſpectabatur, per hypocriſin Phariſaiſmi, & profanitatem Sadducæiſmi plane proculcabatur & profanabatur.

VS.

VS. 17.

Nodum hunc ita ſolvit SALOMO, ut *in corde ſuo*, adeoque cum plena perſuaſione *diceret*, *quod Deus*, qui talem confuſionem tolerat, in vita futura *ipſe ſit judicium adminiſtraturus*, in quo non ſolum juſtificatio *juſti*, ſed & damnatio *impii* erit exſpectanda, quemadmodum enim *omne propoſitum in hac terra tempus ſuum opportunum habet*, & ſecundum conſilium Dei dirigitur, ut latius in antecedentibus jam erat indicatum, ſic æque certum eſt, quod Deus omnium *iſtorum operum rationem* accuratam habeat, & ſuo tempore veritatem providentiæ ſuæ *per tale judicium* ſit demonſtraturus.

VS. 18.

Non ſolum autem conſideratio futuri judicii animum Regis contra ſcrupulum præpoſitum ſatis muniverat, ſed & ulterius vias Dei juſtificare debebat, quando ad corruptionem hominis attendens deprehendebat rationem illius non apud Deum, ſed hominem quærendum eſſe. *Primum*, ſcilicet, quod Deo talis confuſionis culpa non adſcribi queat, ex tmemate priori hujus verſus patet, in quo pergit SALOMO in corde ſuo judicium circa conditionem filiorum hominis ſtabilire, animadvertens, *quod Deus in permiſſione mali* hunc ſcopum præfixum habeat, *ut homines tentet*. Radix ברם, quæ hic occurrit, tres notiones habet, quæ jungi & ſubordinari poſſunt, ſcilicet *tentare*, *purificare*, *ſeparare*, hoc enim eſt, quod ſimul DEUS in premiſſione mali ſibi propoſuit,

1. Ut *tentet* vel manifeſtet, quid in homine ſit, ad impotentiam carnis demonſtrandam.

2. Ut per talem explorationem opus ſanctificationis vel *purificationis* animarum in credentibus promoveat.

3. Ut *ſeparationem* inter homines carnales & ſpirituales eo evidentiorem reddat.

Po.

Poſterius tmema, radicem mali in ipſo peccatore oſtendit, qui enim diligenter impios conſiderat, ille animadvertet, quod *ſibi ipſis in beſtiam ſint*, ſive quod, quantum in ſe eſt, lumine rationis & veritatis in ſe extincto, beſtiis ſe ſimiles reddant. Hoc autem duplici modo fit

1. Quia ſervientes ſuis pravis concupiſcentiis, per eas tanquam Circæa pocula in veras beſtias mutantur.

2. Quia eo uſque dementiæ progrediuntur, ut ſe ipſos beſtiis non meliores eſſe aſſeverent, dum non ſolum bonis hujus vitæ ſe immergunt, & ſpem æternitatis abnegant, ſed & ipſam æternitatis ideam oppugnare & extirpare quærunt; Hæc eſt illa dementia, quæ atheos theoreticos quoſcunque vaniſſima opinione turgidos quam maxime ridiculos reddit, quod tantum operæ impendant, ut oſtendant, *ſe non eſſe beſtiis meliores:* Ejusmodi autem notæ erant, qui vergente ad finem Republica Judaica frequentes admodum eſſe incipiebant, quo præcipue Pſal. XIV. & XLIX. reſpicitur.

VS. 19.

Aſſertum verſus præcedentis, quo profani dicuntur ſe ipſos in beſtias redigere, in ſequentibus probatur; nempe quoad externæ vitæ rationem, qua docetur eos ſimilitudinem ingentem cum beſtiis habere, tam in hac, quam in futura vita. In hac vita ſimilitudo illa oſtenditur in noſtro verſu, & quidem ita, ut in *priori* tmemate proponatur, in *poſteriori* autem contra tacitam quandam objectionem defendatur. In priori tmemate ſimilitudo illa delineatur, tum quoad caſus atque eventus externos in genere, tum quoad mortem ipſam in ſpecie; additur quoque fundamentum hujus ſimilitudinis, quod eſt, *quoniam omnium illorum unus eſt Spiritus, ſive halitus*, una ratio vitæ corporalis, quæ pari modo debet ſuſtentari, atque inde parem inconſtantiæ legem patitur. Objectio, quam SALOMO in poſteriori noſtri verſus parte ſupponit, illa eſt, quod tamen videatur homo ſingularem eminentiam præ beſtiis habere, propter bonorum ap-

Digitized by Google

parentium hujus mundi multiplicem uſum. Verum hæc objectio refellitur, dum docetur, *nullam veram præcellentiam inde homini adnaſci*, quoniam *omnia hujus vitæ nil niſi vanitas ſunt*.

VS. 20.

Poſt hanc vitam eandem ſimilitudinem pars prior hujus verſus inde deducit; quoniam *omnia*, nempe tam corpus brutorum quam hominum, hæc enim proprie res eſt, de qua agitur, *vadunt ad unum locum*: id confirmatur in poſteriori parte hujus verſus per tacitam citationem dicti Gen. III: 19. nam quod hic homini in ſequelam peccati indicatur, nempe quod *de pulvere ſit, & in pulverem reverſurus ſit*, id idem eſt, quod iisdem phraſibus SALOMO tam homini quam beſtiæ aſſignat, quoniam nempe idem de corpore reliquorum brutorum poteſt dici, quod apud Moſen de corpore hominis profertur; Inde autem per ſe liquet, id, quod Rex volebat demonſtrare, nempe illum, qui bona tantum hujus corporis, quod tantam ſimilitudinem cum corpore beſtiæ habet, quærit, ſe ipſum in brutorum numerum redigere.

VS. 21.

Hoc ulterius liquet, quando perpenditur quanta ſit cœcitas mundani hominis *in dijudicando Spiritu hominis atque brutorum*; Opponuntur hic *Spiritus filiorum hominis*, per quem intelligi debet contradiſtincte ad bruta, rationalis anima, *& halitus brutorum*, qui eorum vitam conſtituit, nam quamvis de utrisque eadem vox in textu uſurpetur, nihilominus certum eſt, quod utramque notionem habeat, & quod diverſa hæc notio debeat obverſari lectori, inde ſequitur, quoniam prædicata horum רוח diſſimillima ſunt, nam *Spiritui hominum* aſſignatur *adſcenſus ſurſum*; Hæc phraſis autem indicat.

א. Quod de tali ſubjecto ſermo ſit, ad cujus eſſentiam non pertinet gravitas, cum gravia omnia per naturam ſuam deorſum ferantur.

ב. Quod

ב. Quod SALOMO hic agat de eodem Spiritu, de quo Cap. XII: 7. teſtatur, *quod pulveri ſit oppoſitus*, & quod *vadat ad Deum*.

Ab altera parte *de Spiritu bruti* dicitur, quod *deſcendat deorſum ad terram*, non ſolum quoniam quicquid eſt materiale, ad inferiora per pondus ſuum tendit, ſed etiam quoniam ille Spiritus bruti hoc pacto in principium ſuum, quod erat terra, revertitur. Quando jam SALOMO dicit מי יודע *quis eſt, qui hoc cognoſcat?* tum minime de hoc diverſo exitu dubitat, neque etiam, uti multi Interpretes, dubitantem quendam Scepticum introducit, ut illum deinceps refutet, ſed potius *querelam* inſtituit *de coecitate illorum, quos in praecedenti dixerat ſe ipſos in bruta redigere*; Illi hoc ſtupore ſunt obſeſſi, atque per tenebras mentis ipſorum incumbentes impediuntur, ut maximum illud diſcrimen inter Spiritum hominis aſcendentem & Spiritum hominis in terram reſolutum agnoſcere atque rite penſitare nolint.

V S. 22.

Inde jam concluſionem REX noſter format, quam in *priori* parte hujus verſus proponit, in *poſteriori* defendit. Concluſio, quam proponit, eo redit, quod licet tales Dei contemptores ad illuſtrem ejuſmodi conditionem in hoc mundo ſint profecti, atque in actionum ſuarum iniquarum ſucceſſu lætentur, nihilominus pro felicibus haberi nequeant, quoniam enim hæc ſolum eorum eſt portio, quam communem habent cum beſtiis, hinc a vero bono privati manent. Hæc propoſitio cum ſingulari emphaſi in parte *poſteriore* defenditur ex conſideratione judicii indurationis, quod talibus contemptoribus incumbit, nam quando Rex interrogat, *Quis adducet, quis permovebit illum ad conſiderandum, quid poſt eum ſit futurum*; tum hic eſt ſenſus SALOMONIS, quod eouſque collum hujusmodi homines contraxerint, ut nullis adminiculis poſſint eo adduci, ut perpendant quid ad pacem eorum faciat, & quanti momenti ſit illa æternitas, ad quam citato gradu provehuntur.

Digitized by Google

CAP. IV.

VS. 1.

Nova difficultas hic contra Providentiam Dei circa malum producitur, quam gignit penſitatio *violentiæ cum iniquitate* capite ſuperiori deſcripta, conjunctæ. SALOMO inde occaſionem captaverat hanc difficultatem ſibi proponendi, quia *omnes oppreſſiones*, quod procul dubio hic debet verti per *quaſcunque oppreſſiones*, *quæ ſub hoc Sole fiunt*, *viderat*. Univerſalis hæc expreſſio indicat, quod nimis arcte eam limitent, qui tantum de oppreſſionibus pietatis & religionis cauſa inſtitutis hic agi putant. Ad cujuscunque etiam generis injurias, tam ſuorum quam ſequentium quoque temporum oppreſſiones, phraſin noſtram extendendam eſſe, inde conficimus, quoniam alias integrum SALOMONI tanquam potentiſſimo Iſraelis Regi fuiſſet, ſi ejusmodi oppreſſiones in populo ſuo expertus fuiſſet, ut auctoritate ſuâ illis conſuluiſſet. Duo autem gradus ejusmodi oppreſſionum clare diſtinguuntur:

1. Occurrunt *oppreſſiones communes*, *quæ lachrymas exprimunt*. Et

2. *Oppreſſiones* tales, quæ *cum majori violentia* per tales, qui ſingularem potentiam in illis infligendis exercent, incutiuntur. Utraque Claſſis oppreſſionum harum inde exaggeratur, *quod deficiat conſolator* ſive ſecundum corpus, ſive ſecundum animam, tam verbis, quam opere ipſo ſolamen aliquod præſtans, nam quo major eſt oppreſſio, eo major eſt obligatio ut oppreſſis ſuccurratur, quando igitur etiam tum conſolator deficit, tum hoc ſignum eſt evidentiſſimum, quod tyrannis ſummum attigerit gradum, omnia jura ſocietatis humanæ atque amicitiæ inter homines everterit, ipſamque humanitatem proculcaverit: nec cenſemus â linea nos admodum aberraturos eſſe, quando ſtatuimus, quod SALOMO ſibi hic in ſpiritu repræſentaverit varias Iſraëlis oppreſſiones, in tali caſu ſubeundas, præſertim

ſub

Digitized by Google

ſub Templo II^do^, tum enim protervia poteſtatem habentium omnes limites excedere debebat, ut liquet ex coll. Pſal. XIV: 4. LXXIII: 8 ſeq. Zeph. III: 3. Mal. III: 5. quia non ſolum conſolator inter homines non erat exſpectandus propter malitiam univerſalem Pſal. LXXXII: 2. ſeq. Verum etiam adventus veri atque unici Conſolatoris ultra exſpectationem fidelium differri, atque adeo difficultas hæc augeri debebat, uti liquet ex coll. Pſal. XIV: 6, 7. Pſal. XLII: 4, 10, 12.

VS. 2, 3.

Hoc ſuppoſito emphaſis ſingularis duobus commatibus accedit, quæ plane deficit, quando illa de communibus ſingularum perſonarum eventibus in hac vita explicantur, nemo enim eſt, qui non debeat agnoſcere, quod tale diſcrimen obtineat; unde hæc ætas hominis nil hac in parte peculiare præ altera habet, nec ab hyperbole ſatis contorta ſecundum illum vulgarem modum interpretandi verba hæc liberari poſſent; Sed quando agitur de violentis oppreſſionibus piorum, tum plene verum eſt, *beatiores eſſe qui jam mortui ſunt*, quia illi in veram quietem intraverunt, & majoribus judiciis ſunt erepti Jeſ LVII: 12. coll. Apoc. XII: 17. Quin, quamdiu Redemptor mundi nondum in carnem venerat, ipſum illud paradoxum vs. 3. nempe, *meliorem eſſe qui nondum fuerit*, veritatem ſatis ponderoſam ſpiravit, nam illis, qui hactenus nondum ſub Oeconomia V. T. fuerunt, & tamen ſecundum decretum Dei in mundum venire debebant, prærogativa ſingularis accedebat, quod in tempora meliora eſſent reſervati, nempe in illam Dei regni periodum, in qua oppreſſis auxilium præſtari, & eorum lachrymæ abſtergi debebant. Pſal. VI: 9, 10. Jeſ. XI: 4. LXI: 2, 3.

VS. 4.

In hoc verſu SALOMO Experientiam ſuam deſcribit de diverſa oppreſſionum indole; *Perluſtraverat* enim *tam moleſtiam*

omnem, quam *rectitudinem omnem illius operis*, nempe, in quo impius eſt occupatus, nam Vox כשרון, quæ hic oppoſita eſt voci עמל, non tam *rectitudinem moralem* quam *phyſicam* exprimit, i. e. proſperum rerum ſucceſſum, eorum qui ſecundo flumine utuntur, id quod eo magis circumſtantiæ textus requirunt, quia illa rectitudo conſideratur tanquam objectum Zeli & *invidiæ*, de qua ſtatim agitur. Id certum eſt, multos oppreſſiones, quas patiuntur, graviores reddere, quia malis felicitatem & ſucceſſum rerum temporalium invident, aut ſaltem propter illam inquieti & afflicti ſunt. Inordinatus hic affectus præcipue locum habet in Canaane, quia inde prætextus incredulitatis poterat hauriri, nil enim magis videri poterat contrariari promiſſionibus de diuturna proſperitate, quæ ſervatoribus legis erat propoſita. conf. Pſal. XXXVII: 1. LXXIII: 13. ſeq. vs. 21, 22.

V S. 5.

Hic commemoratur 1^{mum}, quo SALOMO utitur, argumentum, ad pravum hunc affectum in populo Dei corrigendum, dum ſcilicet monet, quod per ejusmodi invidiam facile poſſimus aſſimilari *ſtulto*, qui ſolet *manus ſuas complicare*; Aliquando hæc phraſis *pigritiam* exprimit, verum hic potius *ægrimoniam* adumbrat, qua animi eorum ſunt impleti, qui de ſua ſorte conqueruntur, ac convenit hæc phraſis non ſolum cum nexu, ſed etiam ſtatim ſequenti phraſi *comeſtionis carnis*, hic enim eſt ulterior gradus animi exulcerati per invidiam Job. XV: 14. Prov. V: 11. facile ad hanc *αχμην* pertingit livor, quando aliquis media varia fruſtra adhibuit, per quæ felicem ſucceſſum impiorum quæſivit impedire, ita procedere certè eſt aſſimilari ſtulto, qui fruſtra contra conſilium & voluntatem Dei ſe extollit, & finem Viarum ejus non conſiderat.

VS. 6.

Novum argumentum hic exhibetur, quod deſumtum eſt ab

ab inſigni diſcrimine inter talem, qui *minus habet cum quiete*, & qui *plus poſſidet cum moleſtia & contritione ſpiritus*, quamvis in priori immodica rerum poſſeſſione, quæ impletione magis unius aſſimilatur, moleſtia non penitus deficiat, illa tamen abunde compenſatur per veram animæ quietem, quæ partim cum ejus labore conjuncta eſt, partim eum excipiat; Poſterior autem, in ſumma abundantia, in qua *utrumque* quaſi *pugnum* implevit, non ſolum moleſtiam habet, ſed etiam fractionem ſpiritus, quæ quieti è diametro adverſatur.

NOVUM LEMMA.

B. *Obſervationes morales circa illam Confuſionem*, quæ in ipſo ſtatu regio atque magiſtrali obſervatur.

SALOMO in ſequentibus duos Caſus pertractat, qui indicant, quibus moleſtiis eorum quoque conditio ſit expoſita, qui ad ſummos honorum gradus ſunt provecti.

CAP. IV: 7- fin.

ושבתי אני ואראה הבל תחת השמש׃	7. *Et ego converti me, ut viderem vanitatem ſub hoc Sole;*
יש אחד ואין שני גם בן ואח אין-לו ואין קץ לכל--עמלו גם--עיניו לא--תשבע עשר ולמי אני עמל ומחסר את נפשי מטובה גם--זה הבל וענין רע הוא׃	8. *Eſt unus & non alter, etiam filius & frater ei non eſt, & tamen nullus finis eſt in omni ejuſmodi moleſtia, etiam oculi ejus non ſatiabuntur opibus, verum, cur ego laborarem, & animam meam deſtituerem illo bono? etiam hoc eſt vanitas, & negotium illud eſt malum.*
טובים השנים מן--האחד אשר	9. *Meliores ſunt duo illi quam unus*

יש--להם שכר טוב בעמלם׃	*unus ille, quibus eſt merces bona in moleſtia eorum.*
כי אם--יפלו האחד יקים את--חברו ואילו האחד שיפל ואין שני להקימו׃	10. *Nam quando cadent, unus alterum* (*ſeu ſocium*) *ſuum eriget; Verum væ illi uni qui cadet, atque alter non aderit ad illum erigendum.*
גם אם--ישכבו שנים וחם להם ולאחד איך יחם׃	11. *Ita etiam quando duo una cubabunt, calor erit illis, verum quod ad illum unum, quomodo calefiet?*
ואם-יתקפו האחד השנים יעמדו נגדו והחוט המשלש לא במהרה ינתק׃	12. *Et quando unus ille illi prævalebit, uterque contra ipſum ſtabunt, & filum iſtud triplicatum non cito diſcrumpetur.*
טוב ילד מסכן וחכם ממלך זקן וכסיל אשר לא--ידע להזהר עוד׃	13. *Melior eſt pauper atque ſapiens juvenis quam Rex ſenex & ſtultus, qui non amplius novit ſibi conſulere;*
כי-מבית הסורים יצא למלך כי גם במלכותו נולד רש׃	14. *Nam ex captivitate* (*domo vinculorum*) *exit ad regnandum, quin etiam in ipſius regno pauper eſt natus;*
ראיתי את-כל-החיים המהלכים תחת השמש עם הילד השני אשר-יעמד תחתיו׃	15. *Vidi omnes viventes ambulantes ſub hoc Sole; cum illo altero juvene qui loco ejus ſurget.*
אין-קץ לכל-העם לכל אשר--היה לפניהם גם האחרונים לא ישמחו--בו כי--גם--זה הבל ורעיון רוח׃	16. *Nullus finis erat toti illi populo, univerſis illis, qui ante ipſos erant, etiam ſubſequentes non lætabuntur in eo, propterea*

etiam

Digitized by Google

etiam hoc eſt vanitas & fractio Spiritus.

שמר רגליך כאשר תלך אל-בית האלהים וקרוב לשמע מתת הכסילים זבח כי--אינם יודעים לעשות רע׃

17. *Cuſtodi pedes tuos quando ibis in domum Dei, & appropinqua ad optemperandum non ſicut ſtulti illi dant Sacrificum, quia non ſunt ſapientes ad faciendum malum.*

CAP. V. 1-8.

אל--תבהל על--פיך ולבך אל--ימהר להוציא דבר לפני האלהים כי האלהים בשמים ואתה על--הארץ על--כן יהיו דבריך מעטים׃

1. *Non feſtinabis cum ore tuo, & cor tuum non erit velox ad producendum verbum coram facie Dei, nam Deus eſt in coelis & tu in terra, propterea verba tua erunt exigua.*

כי בא החלום ברב ענין וקול כסיל ברב דברים׃

2. *Nam ſomnum venit in multitudine negotii, & vox ſtulti in multitudine verborum.*

כאשר תדר נדר לאלהים אל--תאחר לשלמו כי אין חפץ בכסילים את אשר--תדר שלם׃

3. *Quando vovebis votum Deo, non tardabis ad illud perficiendum nam non eſt voluptas in ſtultis; Quidquid vovebis, perficies.*

טוב אשר לא--תדר משתדור ולא תשלם׃

4. *Melius ſe habet qui non vovebit, quam qui vovebit & non perficiet;*

אל תתן את--פיך לחטיא את-בשרך ואל-תאמר לפני המלאך כי שגגה היא למה יקצף האלהים על--קולך וחבל את--מעשה ידיך׃

5. *Non permittes ori tuo ad carnem tuam peccati reatu onerandam, & non dices coram facie angeli illius, quod iſtud error ſit; Cur efferveſcet Deus propter*

ter

ter vocem tuam, atque perdet opus manuum tuarum;

כי ברב חלמות והבלים ודברים הרבה כי את--האלהים ירא:

6. *Quia ſicuti in multitudine ſomniorum ſunt vanitates ſic etiam in verbis multiplicatis, propterea Deum illum timeto.*

אם--עשק רש וגזל משפט וצדק תראה במדינה אל-תתמה על--החפץ כי גבה מעל גבה שמר וגבהים עליהם:

7. *Quando oppreſſionem pauperis, rapinam judicii & juſtitiæ videbis in regione, non obſtupeſces propter iſtud auſum, quia altus ex alto cuſtos eſt, atque alti ſunt ſuper illos.*

ויתרון ארץ בכל היא מלך לשדה נעבד:

8. *Et Præcellentia permanens terra in tota hac (terra) eſt Rex regionis qui colitur.*

ANALYSIS à Cap. IV: 7 fin Cap. V: 1-8.

I. Caſus prior eſt magis univerſalis, atque depingit proprii lucri aviditatem, quæ etiam inter ejusmodi homines dominatur. Cap. IV: 7-12.

A. Proponitur vs. 7. & 8. *Et ego converti me, ut viderem vanitatem ſub hoc Sole. Eſt unus & non alter, etiam filius & frater ei non eſt, & tamen nullus finis eſt in omni ejusmodi moleſtia, etiam oculi ejus non ſatiabuntur opibus, verum cur Ego laborarem & animam meam deſtituerem illo bono, etiam hoc eſt vanitas, & negotium illud eſt malum.*

B. Solvitur vs. 9. & ſeq. per conſiderationem oppoſitæ communionis ſanctorum, hæc Solutio

1. Proponitur vs. 9. *Meliores ſunt duo illi quam unus ille, quibus eſt merces bona in moleſtia eorum.*

2. Deducitur per tres diverſos fructus, quos talis ſocietas habet vs. 10, 11, 12.

a. Fructus primus vs. 10. *Nam quando cadent, unus alterum*

rum (ſeu ſocium) ſuum eriget, verum væ illi uni qui cadet, atque alter non aderit ad illum erigendum.

b. Alter fructus vs. 11. *Ita etiam quando duo una cubabunt, calor erit illis, verum quod ad illum unum, quomodo caleſiet;*

c. Fructus tertius vs. 12. *Et quando unus ille illi prævalebit, uterque contra ipſum ſtabunt, & filum iſtud triplicatum non cito dirumpetur.*

II. Alter caſus eſt ſpecialior, & ſigillatim reſpicit inconſtantiam throni regii in Iſraele à Cap. IV: 13- V: 8.

A. Propoſitio hujus caſus continetur vs. 13-16. hic duplex mutatio delineatur

1. Prior mutatio deſcribitur vs. 13-15. in hac mutatione ex ſtatu viliori in meliorem tria ſupponuntur, quæ totidem verſibus declarantur. *Melior eſt pauper atque ſapiens juvenis quam Rex ſenex & ſtultus, qui non amplius novit ſibi conſulere. Nam ex captivitate (domo vinculorum) exit ad regnandum, quin etiam in ipſius regno pauper eſt natus. Vidi omnes viventes ambulantes ſub hoc Sole cum illo altero juvene, qui loco ejus ſurgit.*

2. Altera mutatio eſt ex ſtatu meliori in deteriorem, rota fortunæ quaſi ſe circumvolvente vs. 16. *Nullus finis erat toti illi populo univerſis illis, qui ante ipſos erant, etiam ſubſequentes non lætabuntur in eo, propterea etiam hoc eſt vanitas & fractio Spiritus.*

B. Inſtructio additur ad incredulitatem in præcedenti & omnibus ejus caſibus eo felicius præſtruendam, quam in rem commendatur

1. Cultus Deo placens à Cap. IV: 17- V: 8. hic cultus deſcribitur & inculcatur.

a. Quoad ſcopum Cap. IV: 17. *Cuſtodi pedes tuos quando ibis in domum Dei, & appropinqua ad obtemperandum, non ſicut ſtulti illi dant ſacrificium, quia non ſunt ſapientes ad patiendum malum*

b. Quoad modum legitimum Cap. V: 1-6. Is modus

α. Proponitur vs. 1. *Non feſtinabis cum ore tuo, & Cor tuum non erit velox ad producendum verbum coram facie Dei, nam Deus eſt in Coelis & tu in terra, propterea verba tua erunt exigua.*

β. Illuſtratur vs. 2-6.

א. Per propiorem Confirmationem à vs. 2-5. in qua confirmatione.

a. Verboſitas nimia per ſimilitudinem corripitur vs. 2. *Nam ſomnium venit in multitudine negotii, & vox ſtulti in multitudine verborum.*

b. Ab altera parte commendatur oppoſita circumſtantia in votis vs. 3, 4, 5. illa

1. Urgetur vs. 3. *Quando vovebis Votum Deo, non tardabis ad illud perficiendum, nam non eſt voluptas in ſtultis, quidquid vovebis perficies.*

2. Argumentis fulcitur vs. 4, 5. *Melius ſe habet qui non vovebit, quam qui vovebit & non perficiet; Non permittes ori tuo ad carnem tuam peccati reatu onerandam, & non dices coram facie Angeli illius, quod iſtud error ſit, cur efferveſcet Deus propter vocem tuam, atque perdet opus manuum tuarum;*

ב. Per medii ſalutaris ad talem cultum ferendum commendationem vs. 6. *Quia ſicuti in multitudine ſomniorum ſunt vanitates, ſic etiam in verbis multiplicatis, propterea Deum illum timeto.*

2. In ſpecie Exſpectatio cum ſpe viva conjuncta in omnibus obſcuris eventibus vs. 7, 8. *Quando oppreſſionem pauperis, rapinam judicii & juſtitia videbis in regione, non obſtupeſces propter iſtud auſum, quia altus ex alto cuſtos eſt, atque alti ſunt ſuper illos. Et praecellentia permanens terra in tota hac terra eſt Rex regionis, qui colitur.*

NOTÆ AD VS. 7.

In hoc Verſu præfatio occurrit ad caſum ſequentem; Ad ejus intellectum confer dicta ad Cap. II: 12.

VS. 8.

In priori hujus verſus tmemate extat ipſe caſus, dum indicatur, non ſolum tales occurrere, qui alios opprimunt, ſed etiam qui oppreſſis auxilium denegant, qui ita vivunt, ac ſi ſui cauſa tantum in terra viverent, talis vero hominum oſor conſideratur tanquam unus, quia non habet ſocium cui fidat, & quo cum amicitiam colat, quin aliquando etiam cognatis & proximis ſanguine junctis caret, & nihilominus corrodit, quæcunque ſub manum veniunt, ſollicitè in theſauris ſuis ponit, & nunquam exſatiatus & contentus in ſuo animo eſt; In *ſecundo tmemate* judicium de tali μισανθρώπῳ profertur hoc pacto;

Fundamentum judicii proponitur per illam quæſtionem, *Cur ego moleſtè laborarem, & animum meum bono privarem?* Labor, in quo *anima bono privatur*, procul dubio eſt talis, cujus ſcopus non eſt, ut quies animi acquiratur, & hoc pacto omnis fructus talis laboris tollitur, quia qui ita in ſinu ſuo moleſtias omnes devorat, neque aliis, neque ſibi verum aliquod bonum præſtat; Atque ita via ſternitur, ad proferendam illam ſententiam, in qua verſus noſter deſinit, ſcilicet quod iſtud non ſolum ſit vanitas, ſed etiam improbum negotium. Interea in ipſo hoc judicio latet illa difficultas, quam Rex noſter volebat tollere, ſi enim res ita ſe habet, ut non ſolum vanum, ſed etiam impium ita agentis opus ſit, an non videretur inde reſultare, quod *plurima tempore non opportuno in terris fierent!*

VS. 9.

Hæc difficultas in ſeqq. tollitur per oppoſitam, quamvis

ænigmaticam, nihilominus emphaticam & loculentam deſcriptionem Communionis ſanctorum; Quamvis enim negari nequeat, tales Μισανθρώπους ſibi viventes, inutilia eſſe terræ pondera, nihilominus per Dei graciam ſupereſt ſocietas in hoc Orbe longe præſtantior; Ad talem Societatem cum emphaſi referri poteſt, quod verſus noſter dicit *de illis duobus*, *qui ſunt homini uno meliores*; Nempe ratio, cur illi præferri debeant, hæc eſt, quia *illis merces bona in moleſto labore ipſorum eſt*, per mercedem enim illam bonam debet intelligi, poſſeſſio mercedis ex gratia in Filio Dei promiſſæ, cujus mercedis initialis jam in hac terra fructio, abunde compenſat, quicquid talis μισανθρωπος ſibi relictus, & ſuo theſauro incumbens corrumpere & confundere in ordine providentiæ divinæ videtur.

VS. 10.

Sequuntur ergo tres præcipui fructus, quos Communio ſanctorum gignit; Si hæc verba duntaxat conſideremus, tanquam deſcriptionem illorum fructuum, qui ex qualicunque plurium in terra ſocietate redundare ſolet, tum revera Sapientiæ Spiritus S. per SALOMONEM loquentis, inſignis injuria fieret; In noſtro verſu dicitur, quod, *quando unus ex duobus ceciderit*, *ſocius illum ſit erecturus*; Quam languidus, quam jejunus eſſet ſenſus; ſi vulgari more id vellemus interpretari; ad ſublimiorem ſenſum inveniendum TARGUMISTA nos manuducit, qui per hunc lapſum ſignate intelligit *lapſum in morbos*, & imbecillitates, ex quibus mediantibus precibus alter alterum erigit, unde valde appropinquat huic phraſi, id, quod Jac. V: 14, 15. legitur; Sed cum morbi ſint ſymbolum peccatorum, & illa itidem ut lapſus conſiderentur, hinc malumus talem lapſum moralem in nova delicta intelligere ut Gal. V: 1. ſed quia cum cum lapſu in peccata, lapſus quoque in poenas eorum ſolet conjunctus eſſe, hinc utrumque facile poteſt connecti; Nam in Communione ſanctorum hic uſus hauritur, quod alter alteri auxilium & ſolamen præſtet tam corrigendo, quam exhortando, & verba con-

conſolatoria proponendo; Hujus autem boni plane expers eſt ille avarus hominum oſor, ſicuti enim ipſe aliorum curam non geſſit, ſic eidem ab illis in ſuis neceſſitatibus relinquitur.

VS. 11.

Qui hic iterum in ſenſu literali vellet ſubſiſtere, iniquus in majeſtatem ſtyli Spiritus S. eſſet; Quid minus videri poteſt ea eſſe dignum quam notare, quod duo ſimul cubantes ſe mutuo calefacturi eſſent; Verum quando de Communionis ſanctorum fructibus meditamur, tum ſenſum plane egregium & ſublimem lucrabimur. Proponere ergo nobis hic debemus tempus aliquod *cubandi*, quando exterius tenebræ tentationum, interius autem frigus corruptionis Eccleſiam invaſit, in ejusmodi enim tempeſtate vinculum amoris, quo vera populi Dei membra adunantur, ſalutare medium erit ad *calorem vitæ ſpiritualis conſervandum*, atque ignem amoris divini magis incendendum; Hoc autem neutiquam ab illis expectari poteſt, qui ſibi ſolum vivere aſſueverunt, aliorum plane injurii, illi enim ſub ejuſmodi judiciis divinis calorem amittent, atque extincto amoris divini igne indurabuntur.

VS. 12.

Duo tmemata hic diſtingui debent, Propoſitio maxime, & ejus Confirmatio. In *propoſitione* novus fructus Communionis ſanctorum indicatur, per *unicum illum*, de quo hic agitur, intelligendus eſt idem ille Μισανθρωπος, ille enim odio veritatis facile impellitur, ut moleſtiam iis creet, qui Deum ſincere timent; Verum etiam hæ vanæ erant & ſine viribus iræ propter unionis inter membra Eccleſiæ firmiſſimum vinculum, neque enim adoriri poteſt unum Eccleſiæ membrum, quin ſimul & alterum impugnet, cum autem tales non ſolum opere ipſo, ſed etiam precibus conjunctis in Deo ſe corroborare contendant, impoſſibile eſt, ut *vinculum hoc* per vim humanam deſtruatur.

Confirmatio autem hujus in parte poſteriori inſtituitur, per dictum

ctum aliquod, quod adagii locum SALOMONIS tempore videtur habuiſſe, nempe *filum triplex non facile rumpi*; Quamvis autem de duobus ſociis in præcedentibus proprie tantum eſſet actum, emphatice tamen *triplicis fili* mentionem inſtituit, quia *duo* in uno Spiritu conjuncti, non ſunt amplius *duo*, ſed tres, propter unionem quam *uterque cum ipſo Domino* habet, & hinc procul dubio pleniſſime SALOMO id probat, quia inde fluit, etiamſi terra talibus immiſericordibus amore proximi vacuis plena eſſet, nihilominus omnem eorum impetum ad diſſolvendam unionem populi Dei evanidum fore.

VS. 13.

Hic loquitur SALOMO de Vanitate, quæ etiam in optimorum principum Regno poteſt obſervari, atque ea propter in anteceſſum tria ſupponit, quæ ubi concurrunt, auſpicatiſſimum alicujus Regnum videntur conficere. *Primum* eſt, in hoc verſu, nempe quod *princeps aliquis omnes qualitates requiſitas ad regni ſui proſperitatem in ſe poſſideat*, adeoque præterito Rege ætate decrepito atque ſtulto ſupponit, ſe hic reſpicere Regem in juventutis flore conſtitutum, & quamvis pauperem, nihilominus Sapientem.

VS. 14.

Alterum ſuppoſitum SALOMONIS eſt quod *talis princeps per ſingularem digitum providentiæ divinæ in thronum fuerit evectus* ſive ex carcere, veluti v. g. Joſepho contigit, ſive ab humili ortu, in proprio ſuo regno, veluti Davidi evenit; Hi enim duo caſus videntur ſimul SALOMONI obverſati eſſe.

VS. 15.

Tertium ſuppoſitum eſt, quod *talis princeps generali applauſu ſubditorum ſuorum polleat*; Non opus eſt, ut hic Hyperbolen ſtatua-

tuamus, quando SALOMO dicit, *ſe vidiſſe omnes homines, qui ſub Sole ambulant*, cum illo altero Rege nempe juvene, loco ætate provecti. Nam manifeſtum eſt, quod generale hoc judicium totius generis humani ſit, quod ita per naturam vel eſt conſtitutum, ut non poſſit non præferre Regem juvenem egregiis dotibus inſtructum, admirabili modo in regnum evectum Regi ſtulto & decrepito. Interea iſtud ex hac expreſſione colligimus, quod Salomo non ad ſpecialem quendam caſum collimaverit, quoniam alias expreſſio ejus nimis fortis fuiſſet.

VS. 16.

Quamvis autem hæc ita ſint, nihilominus Experientia SALOMONEM docuerat, univerſalem ejusmodi applauſum nullo firmo talo niti, & probat

1. Ex eo, quod omnibus Regibus, qui alicujus celebritatis fuere, ſimile quid contigerit, nam *illius* quoque *populi*, qui talibus ſuo tempore adhæſit, *nullus finis* potuit conſpici.
2. Apud poſteros omnia hæc oblivioni dabuntur, & communis illa lætitia aliquando inſperato in dedignationem convertetur; Atque inde ſequitur hæc concluſio, quod *illud ipſum*, quod in rebus humanis omnium ſplendidiſſimum videri poſſet, *Vanitas ſit & fractio Spiritus.*

VS. 17.

Videtur jam Methodus, qua SALOMO hactenus uſus erat, exegiſſe, ut attenderet, quod hujus quoque eventus cum ſapientia conſilii divini ſit conciliandus; Verum SALOMO directe reſponſionem ad hunc caſum non inſtituit, ſed ejus loco inſerit deſcriptionem admodum luculentam veri cultus divini, atque officiorum talium ex eo fluentium, quorum obſervatio per ſe ſatis idonea eſt, ad finem omni Diſputationi *de Viis Dei imponendum.* Ea fini in noſtro verſu *ſcopus cultus divini* deſcribitur tam

Digitized by Google

Verus quam *falſus*. Phraſis ſcilicet, qua cultus Dei deſignatur eſt *ambulatio verſus domum Triunius Dei*. Anſam huic phraſi dedit domus illa typica, quam SALOMO ædificaverat, & ad quam confluere Iſraelitæ debebant; Ut autem verus finis ambulationis attingeretur, aliquid vitandum, ſed & aliquid e contrario obſervandum erat. Prius indicatur per *cuſtodiam pedum*. Collimatur ad *excalceationis* ritum in loco ſacro uſurpatum Exod. III: 5. nec non ad *lotionem pedum*, quæ a ſacerdotibus debebat inſtitui, quoties in ſanctuarium introire volebant Exod. XXX: 29. hoc emblema erat purificationis ab omnibus mundanis atque terrenis concupiſcentiis, quæ fons & ſcaturigo ſunt omnium præjudiciorum, quæ per mutationes ac viciſſitudines mundanas ſolent produci; Turpiſſimum enim eſt Deo velle ſervire propter bona terreſtria; Per ejuſmodi finem Deus concupiſcentiæ pravæ ſubordinatur, & cultus ejus conſideratur tanquam medium ad illam implendam. Carnalis populus Iſrael anſa ejuſmodi cogitationis erat, quia terræ Canaan nimis erat affixus; Verum hoc pulvere excuſſo ſcopum nobilem SALOMO indicat nempe *ad audiendum*, etiam tum quando quis appropinquat ut ſacrificium offerat. Per hunc auditum non intelligimus carnalem aurium perceptionem, ſed *promtitudinem cordis ad voluntatem Domini plene cognoſcendam*, atque per veram fidem ſe ei ſubjiciendum; *Appropinquatio* autem hæc debet referri ad cultum ſacrificalem, cui radix קרב peculiarem in modum favet. Exod. XXIX: 3. Lev. VII: 29. IX: 16. Hæc interpretatio claritatem ſuam accipit ex oppoſitione ſcopi, qui *ſtultis* i. e. occoecatis peccatoribus tribuitur, nam illi dant ſacrificium ſuum non ad implendam Voluntatem Domini, ſed duntaxat ad proprium lucrum promovendum. Et ſi quis quærat, quinam fons ſit hujus ſtultitiæ, ille ſtatim additur, quoniam ſunt *ignari, ad faciendum malum*; Servamus hic ſimpliciſſimam verborum textus conſtructionem, quæ in eo conſiſtit, quod *ignari ſint*, *ignorantes* ſcilicet ea, quæ ſunt Spiritus ſancti; Ratio autem cur hanc ignorantiam foveant, hæc eſt, *ut faciant malum* i. e. ut in peccati perpetratione eo minus obſtaculi habeant, at-

que

que ita pertinent ad illos, qui in viis Dei planis atque rectis cadunt, ſecundum Hoſ. XIV: 10.

C A P. V.

V S. 1.

Prius tmema hujus verſus oſtendit quid ſit fugiendum, & poſterius quid ſit obſervandum circa cultum Dei; Quemadmodum SALOMO in præcedenti verſus præparationem ad cultum Deo præſtandum, nominaverat *ambulationem verſus domum Dei*, ita hic occupationem in illo cultu conſiderat ut *prolationem verborum coram ejusdem Dei Triunius facie*, nam qui in V. T. cultu Dei defungebatur, ille coram facie Dei comparebat, quia inhabitationis divinæ in ſanctuario umbratili ſymbolum *Facies Dei* per emphaſin ſolet adpellari, Præcipuus autem actus illius cultus conſiſtebat in *prolatione verborum* ſcilicet per orationem, per quam confeſſio tam petitionum quam beneficiorum Dei edebatur, & deſiderium animæ circa futurum explicabatur, adjuncto Voto, quo preces apud Deum corroborantur. In tali autem cultus Domini indole per ſe liquet, quod omnis *feſtinatio* & *præcipitatio*, tam externa, quam interna fuerit ſollicite evitanda. *Externa*, ne verba mentem præcurrerent, *interna* ne ipſæ cogitationes mentis debita attentione & circumſtantiarum conſideratione eſſent deſtitutæ. Oppoſitum autem officium in eo conſiſtit, quod *verba debeant pauca eſſe*; Hoc officium nobis obverſari debet tanquam contrarium certæ ſpeciei incogitantiæ, quæ nempe in Votis fundendis poterat locum habere, quando ſcilicet petitiones beneficiorum futurorum multis novis promiſſis atque ſponſionibus obſignabantur; Quare phraſis hæc non debet conſiderari tanquam prohibens multitudinem atque numerum verborum in genere ſpectatum, quamvis præcipui Interpretes eo inclinent, ſed potius ad ipſam materiam hic eſt reſpiciendum;

Verba ſunt pauca in effuſione precum.

 1. Quan-

1. Quando ipſa deſideria, quæ res terrenas atque ſubordinatas pro objecto habent, ſunt modica.

2. Quando quis parcus eſt in votis, idque ex ſenſu propriæ indignitatis & imbecillitatis. Ille *non multa de ſe præſumet*, multo minus promittere audebit, inprimis quia vocula מעט non ſolum ad externam menſuram, ſed & internam venuſtatem rei, de qua uſurpatur, poteſt adhiberi, & conſequenter *verba pauca* vel exigua notant in ſenſu metaphorico talia verba, quæ cum profunda Veneratione, timore & abnegatione omnis propriæ juſtitiæ effunduntur. conf. Pſal. CV: 12. Prov. X: 20. Jeſ. XVI: 14. Hæc obſervatio eo minus eſt negligenda, quia viam ſternit ad phraſin Matth. VI: 7. illuſtrandam, ubi πολυλογια debet conſiderari tanquam contrarium hujus virtutis, & exemplum πολυλογιας Phariſæi Luc. XVIII: 11, 12. coll. cum verbis & qualitate & quantitate exiguis, quæ publicanus fundebat. Fundamentum officii hujus in eo eſt poſitum, *quia Deus in Coelo eſt*, *& tu in terra es*; Ita autem ſecundum accentuationem conſtructio poſterioris hujus tmematis fluit, quia Deus in coelis, & tu in terris es, ea de cauſa verba tua exigua erunt. *Deus* dicitur *in coelis eſſe* propter infinitam perfectionem, qua omnibus creaturis præſtat, & propter Majeſtatem & Regnum latiſſime diffuſum, quod ſuper omnia exercet; Homo ergo e contrario conſideratur *in terra eſſe* tanquam pulvis & cinis, partim propter vilem ejus conditionem, partim, propter omnimodam ejus dependentiam; Hæc duo, ubi inter ſe conferuntur, ibi facile funditus evertitur omnis carnis gloriatio & præſumtio, quæ πολυλογιαν prohibitam procreare poteſt, nihil quoque hic magis ad rem erat, quam commendatio hujus officii, quia quicunque tam humiliter de ſe ſentit, ille non multum affligetur, etiamſi indignos exaltatos in mundo videat, atque inſtabilitatem omnis faſtus humani experiatur.

V S. 2.

Hic agitur de πολυλογια in genere, & quidem ita, ut illa per ſimile emphaticum corripiatur, quod deſumptum eſt ab illis, qui mul-

Digitized by Google

multas res maximas in mundo moliuntur, & hoc efficiunt, ut vera quiete careant, unde ſpiritus eorum animales nimis excitantur, & vehementius impelluntur, quod ubi fit, ſomnia multiplicari neceſſe eſt; Eadem ratione conſtitutum eſt cum ore verba magnifica & glorioſa proferente, quæ nil niſi ſonum ſtultum fundunt, atque ſuavia mentis ſomnia proferunt, quæ ex confuſis & falſis ideis compoſita nihil in fine niſi vanitatem fundunt.

VS. 3.

Hic a generali verborum multorum rejectione tranſitur ad prudentiam in verbis illis obſervandam, quæ ad vota concipienda in cultu Dei adhibentur. Nam proclive eſt, incogitanter ſæpe ejusmodi profundere, ſi proprias vires non accurate exploraveris, ſi opere proprio Deo placere anniſus fueris, ſi tuis donis & hoſtiis votivis præſumſeris te Deum permoturum eſſe, ut par quaſi pari referat. Ad hos abuſus Iſraelitæ per præceptorum de ejusmodi victimis multiplicationem proni erant. Ut hi caveantur, oſtenditur, quanta cura circa vota ſit habenda. Niſi loco lucri damnum certum tibi velis comparare, eo fine duo ſtudioſe obſervantur.

Ium Ut absque mora vota ſolvantur, non enim ſolum ſtulti ſunt, qui illa protrahunt, ſed etiam Deo ejuſmodi protractio non poteſt placere, i. e. ſecundum ſtylum Scripturæ, diſplicentiam & iram prolicit, confer Malach. I: 8, 10. 1 Cor X: 5.

IIdum officium eſt, ut votum integrum ſolvatur absque ejus mutatione, nedum imminutione.

VS. 4.

Hæc duo officia ſingula ſingulis verſibus propius inculcantur. Verſus noſter indicat periculum quod ſubeſt neglectui officii primi, promtæ nempe ſolutionis, nam quamvis vota quædam poſſint decenter necti, & ſecundum legem Moſaicam aliquando debuerint ſuſcipi, nihilominus multo minori difficultati ſe im-

Digitized by Google

plicant, multo minorem rationem debent reddere, qui de ſe ipſis nihil auſi ſunt promittere.

VS. 5.

Hic verſus ex obſcurioribus eſt; In analyſi eum conſideramus ut confirmationem officii ſecundi, quod verſu tertio erat inculcatum; Nam occurrit in hoc verſu monela ſeria contra duplex periculum, in quod illi ſe præcipites dant, qui vota ſua aut mutant, aut diminuunt. Primum periculum eſt magnitudo ipſius peccati, quia hoc pacto os carni perverſæ laqueum ponit, quia illi, qui per os ſuum ſe præcipitanter obſtrinxerunt, per votorum perverſionem facile in perjuria, hypocriſin, fraudes & ſacrilegia, quibus illud rapitur, quod Deo eſt ſacratum, incidunt, & eapropter SALOMO vult, ne hoc peccatum extenuetur, & ſub prætextu meri erroris *coram facie Angeli illius* excuſetur. Quiſnam ſit ille *Angelus*, de quo textus agit, interpretes inquirunt. Multi creatum & proprium intelligunt, & hoc pacto non parum præſidii dant opinioni eorum, qui prætendunt, quod unicuique Angelus tutelaris ſit adjunctus, ſed nulla neceſſitate ad ejuſmodi vulgarem angelum reſtringimur. Nec vero magis ſimile eſt, quando quidam intelligunt Sacerdotem, coram quo Votum fuit prolatum, & qui *Angelus* adpellatur. Mal. II: 7. Sed magis emphatica eſt eorum ſententia, qui ipſum *Angelum fœderis* intelligunt in Sanctuario præſentem, coram cujus facie erat comparendum, quoties vota erant fundenda. Secundum periculum, cui caput ſuum offerunt, qui ejuſmodi incogitantiæ ſunt rei, cauſatur ira Dei, quæ facile per ejuſmodi profanationem accenditur, ut *opus manuum ejuſmodi* profani promiſſoris perdat. Notum eſt, quod per *Opus manuum* in S. S. intelligatur quodcunque opus externæ functionis in hoc mundo Deut. II: 7, 14, 29. ad ſucceſſum hujus operis auxilium Dei debebat identidem rogari. Verum S. S. quoque vocat *opus manuum* Idola gentium Deut IV: 28. Pſal. CV: 4. CXXXV: 15. Conjunctio harum notionum elegantem empha-

phaſin ſpirat; Merito enim Deus in ira ſua tale opus manuum noſtrarum perdit, quod nobis ipſis in Idolum poſuimus, eousque ut per illa vota, quibus ſucceſſum ejuſmodi operis urgere quæſivimus, Deum ipſum contenderimus operi manuum noſtrarum ſubordinare. Hic ſenſus, veluti cum phraſi textus adprime convenit, ita quoque tacitam refutationem difficultatis ex caſu præpoſito naſcentis continet. Nam æquiſſimum eſt, ut multorum opus pereat, quia iſtud opus Idolum eorum fuit, & quia Deus hoc pacto declarat, quod in talibus ſuperbis conatibus eorum, qui vincula fœderis ejus ruperunt, diſplicentiam habeat.

V S. 6.

Connexio hujus verſus non parum intricata eſt; Putamus tamen, illam aptiſſime ita poſſe inſtitui, ut præmittatur argumentum, & ſequatur officium ipſum, quod per hoc argumentum commendatur, quaſi diceretur, *quia in multitudine ſomniorum Vanitates quoque multiplicantur, & ſimiliter ſe habet multiplicatio verborum, propterea Deum illum Triunum time:* Hoc pacto in baſin adhortationis ponitur id, quod in præcedenti jam erat demonſtratum, nempe quod multiplicatio verborum æque vana & inutilis ſit, ac multiplicatio ſomniorum, quia maxime omnia promiſſa vota & molimina ſtultorum mera cerebri ſunt inventa, quæ cito fiunt & cito pereunt; Ex hac agitur Veritate, quæ in præcedenti abunde eſt demonſtrata, hæc monela derivatur, ut Deus ſolus toto corde pro unico objecto timoris ponatur, hic *timor Dei* ſcopus eſt, in quem tota diſputatio SALOMONIS exit, uti ex fine Cap. 12. liquet. Notum eſt aliunde, quod per hanc phraſin deſignetur univerſa legitima, & Deo placens cordis diſpoſitio ad cultum rationalem Deo ferendum, ſigillatim illa involvit, humilem de ſe ipſo ſenſum, ſui ipſius plenariam abnegationem, & fidem, quæ unice verbo Dei ac firmitati propoſiti ejus innititur; Hæ qualitates requiruntur, ut omnes preces, victimæ & obligationes Deo placentes reddantur.

V S.

VS. 7.

Quando hic timor Dei cor implevit, tum omnes viciſſitudines hujus mundi, etiam illæ, quas ratio noſtra non capit, & circa quas caro multas difficultates nectit, illum effectum producent, ut Deo ſileamus, ut nil tricemur in occultis providentiæ ejus rationibus, utque nihilominus fiduciam noſtram in ipſo conſtanter conſervemus.

Primum ex hiſce duobus officiis, nempe ſilentium circa imperſcrutabiles Domini vias in noſtro verſu commendatur. Supponitur hic,

1. Quod adhuc timenda ſit in futurum major oppreſſio pauperum & deprædatio juſtitiæ & judicii, verum licet ita omnia in pejus videantur ruere, nihilominus tamen Deum per acquieſcentiam in Viis ejus eſſe ſanctificandum. Hoc autem

2. Ulterius inculcatur per conſiderationem conſtantis regiminis Dei in mundo. Mentio hic fit *alti* vel *exaltati apud altum*, ſicuti putamus phraſin illam גבה מעל גבה verti poſſe, coll. Jer. XXVI: 21. & 2 Paralip. VI: 19. ille altus, qui *ab alto* eſt *exaltatus*, & apud illum eſt, non eſt alius quam Filius Dei, idem ille Angelus foederis, cujus in præcedenti facta mentio, verus cuſtos hominum Job. XIV: 16. Pſal. XXXIV: 8. *atque hi alti* tam Pater quam Filius ſunt exaltati *ſuper illos* ſcilicet oppreſſores & prædatores juris, unde quoque ab hiſce ſuo tempore rigida ratio exigetur, unde totum judicium hiſce altis relinqui poteſt.

VS. 8.

Alterum officium, nempe Conſervatio fiduciæ etiam in maxime confuſis hujus mundi eventibus; hoc ulterius commendatur, quia nempe ſpes Eccleſiæ per omnes haſce tempeſtates in diſcrimen nunquam veniet, hanc ſpem SALOMO nominat יתרון ארץ *ſuperſtitem præcellentiam terræ*. Per *terram* hic in-

Digitized by Google

intelligimus terram promiſſam, ſcilicet Canaanem terreſtrem, cujus præcellentia nunquam diripienda in eo eſt ſita, *quod Rex regionis ſuperſtes ſit futurus, cui ſerviatur.* Hæc expreſſio, quæ inter obſcuriſſimas hujus libri adnumeratur, multaſque frigidas explicationes excluſit, ſummam Emphaſin adipiſcitur, quando ſupponimus, SALOMONEM hic reſpicere firmitatem throni Davidici, qui etiam regione illa terræ ſanctæ inconcuſſa manebat non obſtantibus perpetuis quoad externam formam mutationibus Confer. 2 Sam. VII: 16. Pſ. LXXXIX 5, 30.

EXSTIRPATIO PRÆJUDICII PRO DIVITIIS ET CONJUNCTA CUM ILLIS PRÆSENTIS VITÆ PROSPERITATE.

In caſibus præcedentibus tanquam Εν παρόδω plus ſemel tetigerat moleſtum laborem, qui ad comparandas hujus mundi opes impenditur. Conf. Cap. IV: 8. Cum autem divitiæ, præcipuum ſint inſtrumentum, per quod reliquæ proſperitates hujus vitæ poſſideri queunt, hinc facile ſuboritur dubitatio contra divinum in hunc mundum regimen, quando experientia docet, quod hæ divitiæ facile in manus ejuſmodi incidant, quæ ad diverſum ſcopum facultatibus externis abutuntur; In hujuſmodi fluctuationis eliminatione Rex eſt occupatus a Cap. V: 9-VII. 15. & quidem eo ordine, ut.

1. Oſtendat, quam ineptæ ſint opes ad quenquam felicem reddendum Cap. V: 9 16.

2. Via illa indicetur, per quam aliquis vera animi ſerenitate in hac vita ſemper gaudere poteſt, à Cap. V. vs. 17-VII. 15.

REFUTATIO EORUM, QUI IN DIVITIARUM COPIA ANIMI TRANQUILLITATEM QUÆRUNT. Cap. V: 9--16.

אהב כסף לא--ישבע כסף ומי-אהב
בהמון לא תבואה גם-זה הבל:

9. *Amans argentum, non ſaturabitur argento, & qui amat propter abundantiam, ei nullus eſt proventus, hoc etiam eſt vanitas.*

ברבות הטובה רבו אוכליה
ומה--כשרון לבעליה כי אם-ראות
עיניו:

10. *In multiplicatione facultatum multiplicantur edentes illam, & quod emolumentum eſt poſſeſſori ejus, præterquam aſpectus oculorum ejus?*

מתוקה שנת העבד אם-מעט
ואם-הרבה יאכל והשבע לעשיר
איננו מניח לו לישון:

11. *Dulcis ejus ſomnus laboranti, vel parum vel multum eſurus ſit, verum ſatietas divitis non præſtabit illi quietem ad dormiendum.*

יש רעה חולה ראיתי תחת השמש
עשר שמור לבעליו לרעתו:

12. *Eſt malum dolorificum, vidi illud ſub ſole hoc; divitiæ quæ ſunt cuſtoditæ poſſeſſoribus eorum, ad malum eorum.*

ואבד העשר ההוא בענין רע
והוליד בן ואין בידו מאומה:

13. *Nam periere divitiæ hæ per negotium malum, & gignebat filium, & nil quidquam erat in manu ejus.*

כאשר יצא מבטן אמו ערום ישוב
ללכת כשבא ומאומה לא--ישא
בעמלו שילך בידו:

14. *Uti quis exivit ex utero matris piæ, nullus revertetur, ut abeat uti venit, & nil quicquam auferet in moleſtia ſua, quod eat per manum ejus.*

15. *Hoc*

15. וגם־זה רעה חולה כל־עמת שבא בן ילך ומה־יתרון לו שיעמול לרוח׃

15. *Hoc etiam malum dolore plenum, quicquid cum iis venit, ita etiam abibit, & quænam illi erit reſidua præcellentia, qui in ventum moleſtatus fuerit.*

16. גם כל־ימיו כחשך יאכל וכעס הרבה וחליו וקצף׃

16. *Etiam omnibus diebus vitæ ejus in tenebris comedet; & indignatio erit multiplicata, & dolores ejus, & ira.*

ANALYSIS à Cap. V: 9-16.

I. Theſis certa proponitur in baſin ſequentis Diſputationis vs. 9. *amans argentum non ſaturabitur argento, & qui amat propter abundantiam, ei nullus eſt proventus, hoc etiam eſt vanitas.*

II. Theſis hæc corroboratur á vs. 10-16. idque duobus argumentis.

A. Quia nullum lucrum eſt in rerum abundantia vs. 10. & 11. *in multiplicatione facultatis multiplicantur edentes illam, & quod emolumentum eſt poſſeſſori ejus, præterquam aſpectus oculorum ejus? Dulcis ejus ſomnus laboranti vel parum, vel multum eſurus ſit, verum ſatietas divitis non præſtabit illi quietem ad dormiendum.*

B. Quia e contrario nil niſi damnum in opum accumulatione eſt exſpectandum vs. 12-16. hoc.

1. Proponitur generatim vs. 12. *eſt malum dolorificum, vidi illud ſub ſole hoc, divitiæ quæ ſunt cuſtoditæ, poſſeſſoribus eorum ad malum eorum.*

2. In quatuor circumſtantiis demonſtratur. à vs. 13-16.

a. Tres priores circumſtantiæ futurum reſpiciunt. vs. 13-15.

α. Quoad divitias ipſas vs. 13, 14.

א. In vita præſenti vs. 13. *nam periere divitiæ hæ per negotium malum, & gignebat filium, & nil quicquam*

 erat

erat in manu ejus.

ב. In morte vs. 14. *uti quis exivit ex utero matris ſuæ, nullus revertetur, ut abeat uti venit, & nil quicquam auferet in moleſtia ſua, quod erat per manum ejus.*

β. Quoad illa bona, quæ eum divitiis ſolent eſſe connexa vs. 15. *Hoc etiam malum dolore plenum, quicquid cum iis venit, ita etiam abiit* (abibit) *& quænam illi erit, reſidua præcellentia, qui in ventum moleſtatus fuerit.*

b. Ultimus caſus reſpicit vitam præſentem in ipſa divitiarum poſſeſſione vs. 16. *etiam omnibus diebus vitæ ejus in tenebris comedit, & indignatio erit multiplicata, & dolores ejus & ira.*

NOTÆ. VS 9.

Theſis hoc verſu comprehenſa amorem argenti in genere reſpicit, ut autem emphaſis ejus recte concipiatur, attendendum eſt ad ſignificatum Vocis בהמון quod vertimus *propter abundantiam* ſeu luxum, Vox enim המון qualemcunque *menſuram abundantem* uniuscujuſque rei deſignat, hoc autem ſuppoſito in primo tmemate hujus verſus duo genera φιλαργυρίας facile poſſunt diſtingui.

1. Enim occurrit amator argenti in genere, qui ſcilicet illud propter ſe ipſum diligit, cujus ignobilis cupiditas non ultra ipſam nummorum poſſeſſionem progreditur, qui conſequenter illos, ubi acquiſivit, non audet impendere, ſed in ciſta ſua recondit, aut eorum inani ſono ſe delectat. Hic maximus eſt ſtupor, & propterea non ſatietatem ullius generis, ſed tantum ſitim majoris acervi operatur. Ab ejuſmodi avariſſimo hominum genere poſſunt diſtingui.
2. Qui argentum diligunt propter luxum & affluentiam rerum, i. e. ut id impendant ad laute vivendum; Horum con-

conditio non ita omni ratione carere videtur, verum quia facultates ipſæ, ad quas argentum a talibus impenditur, non niſi adparens bonum conſtituunt, hinc talium etiam *nullum eſſe proventum* SALOMO declarat, & inde jure in poſteriori tmemate vs. judicium hoc repetit, *iſtud etiam vanitatem eſſe.*

VS. 10.

In hoc verſu proprie tantum ſecunda claſſis φιλαργυρων, qui in præcedenti verſu deſcripti erant, reſpicitur; Nam collimatur hic ad multitudinem amicorum, convivarum, paraſitorum, quorum numerus cum opibus hominum ejuſmodi laute viventium creſcit, quia eos egregie juvant in abliguriendo; Unde poſtremum inciſum hujus verſus continet ſarcasmum, in quo declaratur, hunc eſſe fructum præcipuum, quem poſſeſſor divitiarum in talibus circumſtantiis aufert, quod ſcilicet oculis ſuis aſpiciat, quam egregie alii illa deglutiant, quæ ipſe pro bonis ſuis æſtimat.

VS. 11.

Ad hanc Ironiam confirmandam SALOMO pergit oſtendere, quomodo poſſeſſor, in tali caſu non ſolum deteriorem conditionem patiatur, quam convivæ ejus, qui gaudent, ſed & præ minimis mercenariis ſuis, nam illi in modico rerum uſu ſomno dulci recreantur, verum *ſatietas divitis*, quando maxime genio ſuo litavit, *ne* quidem *ſomnum quietem permittit*, nam per ejuſmodi ſatietatem ſanguis agitatur, vertigo capitis, aliaque incommoda cum crapula conjuncta procreantur, & novæ identidem ſollicitudines gignuntur, unde ſumendum ſit, quod in poſterum etiam tot ſumptibus ſufficiat.

VS. 12.

Quæ ſequuntur in hoc verſu, magis videntur reſpicere pri-

orem Philargyrorum Claſſem, quos ad vs. 3. diſtinximus, qui ſcilicet propter nimiam divitiarum in ſe ſpectatarum cupidinem curas ſuas eo convertunt, non ut eas impendant, ſed potius ut eas ſollicite cuſtodiant; Sed quo magis animus eſt diſtrictus ad cuſtodiam hanc obſervandam, eo majus & certius eſt damnum illud, quod per ſubjunctas circumſtantias exaggeratur.

V S. 13.

Cuſtodia ſcilicet hæc ſæpe inanis redditur, non ſolum per varia infortunia, quæ a Providentia divina magis dependent, ſed & per mala negotia hominum, ubi duplex ejuſmodi malorum negotiorum ſpecies poteſt diſtingui, ita enim vel negotia propria, vel aliena nominari poſſunt. Negotia aliena, quando quis fraudibus aliorum, furto, rapinis & ſimilibus caſibus emungitur; Sed & per propria negotia mala perduntur opes, ubi res familiaris male adminiſtratur, artes malæ adhibentur, quæ divina benedictione carent, & ſæpe judicia ſingularia provocant. Quam infelix ſit hæc bonorum amiſſio, prius inciſum hujus verſus exemplo illuſtrat, quando docet, talia bona ne quidem in primum, nedum in tertium hæredem devolvi, unde licet talis filium genuerit, cujus cauſa genium ſuum defraudavit, nihilominus in manu ejus ſæpe nil eſt reſiduum, quo filium juvare poſſit, & ea propter in paupertate eum educare debet.

V S. 14.

Etiamſi autem quis tali felicitate gaudeat, & bona ſua in hac vita conſervet, nihilominus per mortem omnia deſeri debent, conf. Job. I: 21. 1 Tim. VI: 7. Pſal. XLIX: 17, 18. Ratio ejus rei eſt, quia nil poteſt ex moleſto labore ejus ab homine tolli ſeu ſeponi, quod per manum ejus vadat, i. e. quod tanquam ſuum ſibi vindicet. Non eſt proprietas ulla homini in tali bono, quia ad ſummum nil ex illo præter uſumfructum in hac vita habet.

V S.

VS. 15.

In hoc verſu exaggeratur damnum, quod ex defectu bonorum hujus vitæ in morte naſcitur ex eo argumento, quia cum eorum ceſſatione ſimul ceſſat quicquid cum eorum uſu conjunctum fuit. Huc pertinet non ſolum amicitia, honos, exiſtimatio, animi in præſentibus bonis tranquillatio &c. ſed etiam quæcunque media ſalutis, quæ longanimitas Dei, quamdiu hæc vita durabat, indulſit, & quicquid ſpes fallax atque deceptio perverſi cordis ſuppeditabat. Sic omne adparens bonum tranſit, quanto magis bonum verum, iſtud יתרון ſeu perdurans præcellentia, cum de tali, qui horum omnium jacturam uno ictu facit, nihil aliud dici queat, quam quod *in ventum ſe defatigaverit*; In ventum enim proverbialiter dicuntur laborare, qui nulla ſolida laboris ſui jecerunt fundamenta, unde quicquid videbantur lucrati, aufert ventus afflictionum atque mortis, confer inter alia Matth. VII: 27.

VS. 16.

Quemadmodum autem divitiæ in futurum nil niſi damnum cauſantur, ita jam in vita præſenti infelicitatem gignunt. Hujus origo eſt, quod omnibus diebus vitæ ſuæ *avarus in tenebris comedat*, nempe quia vera animæ luce eſt privatus, inde ſimplex infortunium naſcitur, alterum internum, alterum externum. Interne ægritudo animi incrementa ſumit, nam dives, qui Mammoni inſervit, duplici animi inquetudine jactatur, quando ipſi aliquid contra mentem contingit, non ſolum enim illud ipſi non opinato accidit, ſed etiam contra præſumtionem, quam de ſe formaverat, putans, omnia ſecundum ipſius vota fluere debere. Externe autem accedit duplex aliud incommodum.

1. Dolores, quos ſibi ipſi cauſat, dum in varia Valetudinis adverſæ genera facile incidit per nimiam parſimoniam, per ma-

malam rerum ſuarum adminiſtrationem, per infatigabilem curam, ut plures opes ſibi colligat. Accedit.

2. Ira, quod vel active, vel paſſive poteſt exponi. *Active*, quia ejuſmodi avarus paſſim quoque eſt Μισανθρωπος ad invidiam pronus, & irreconciliabilis illis, qui aliquod fortunis ejus damnum inferunt. Si autem *Paſſive* iram interpreteris, illa eatenus ad miſerias in præſenti vita avaro exantlandas pertinet, quia & ira Dei illum perſequitur, & inter homines communis odii eſt objectum, atque maledictis eorum impetitur, quos exſpoliavit, aut quibus injuſte bonorum ſuorum uſum impedit.

INDICIUM VIÆ AD PERENNEM IN HAC VITA Αυταρκειαν.

Vera methodus, per quam in rebus proſperis & adverſis conſtanti animæ ſinceritate frui fidelibus datur, eſt ſancta & læta fruitio illius boni, vel magni vel parvi, cujus uſum Deus in præſentia conceſſit, conjuncta cum reſignatione animi in voluntatem Dei quoad omnia, quæ ad vitam commode ducendam deeſſe aliquatenus videntur. Hanc methodum SALOMO explicat.

Cap. V: 17- fin. Cap. VI: 1-6.

הנה אשר--ראיתי אני טוב
אשר--יפה לאכול ולשתות
ולראות טובה בכל--עמלו שיעמל
תחת-השמש מספר ימי--חיו
אשר--נתן--לו האלהים כי-הוא
חלקו׃

17. *Ecce, quod ego viderim bonum, quod aptum eſt ad edendum & bibendum, & ad fruendum bonum in omni ejus moleſtia, quaquis moleſtatus fuerit ſub ſole omnibus diebus vitæ ejus, quos dedit ipſi Deus ille, quod hoc ſit portio ejus.*

18 *Nam*

גם כל-האדם אשר נתן-לו האלהים עשר ונכסים והשליטו לאכל ממנו ולשאת את--חלקו ולשמח בעמלו זה מתת אלהים היא:

18. *Nam quicunque homo, cui Deus ille dedit divitias & facultates, & dedit ei poteſtatem ad edendum, & ad ponendum iſtud in partem ſuam, & ad lætandum in moleſtia ejus, hoc eſt donum Dei.*

כי לא הרבה יזכר את--ימי חייו כי האלהים מענה בשמחת לבו:

19. *Quando non erit augmentum, recordabitur dierum vitæ ejus, quia Deus ipſi reſpondet in lætitia cordis ejus.*

CAP. VI. 1-6.

יש רעה אשר ראיתי תחת השמש ורבה היא על--האדם:

1. *Eſt malum quod ego vidi ſub hoc ſole, & frequens iſtud eſt apud homines.*

איש אשר יתן-לו האלוהים עשר ונכסים וכבוד ואיננו הסר לנפשו מכל אשר-יתאוה ולא-ישליטנו האלהים לאכל ממנו כי איש נכרי יאכלנו זה חבל וחלי רע הוא:

2. *Vir, cui Deus ille dabit divitias & facultates & gloriam, & nihil deficiet ipſi ſecundum animam ejus, ex omnibus quæ deſiderabit, & Deus non dabit ipſi poteſtatem ad comedendum inde, quare Vir peregrinus comedet ex eo; iſtud vanitas & malus dolor eſt.*

אם-יוליד איש מאה ושנים רבות יחיה ורב שיהיו ימי-שניו ונפשו לא-תשבע מן-הטובה וגם--קבורה לא-היתה לו אמרתי טוב ממנו הנפל:

3. *Si gignet vir centum filios & annos multos vivet, & dies annorum ejus erunt multi & anima ejus non ſatiabitur ex bono illo (etiam ſepultura tali non contigit) dixi, quod melior ipſo ſit abortus.*

כי--בהבל בא ובחשך ילך ובחשך שמו יכסה׃	4. *Nam in vanitate venit, & in tenebris abibit, & in tenebris nomen ejus tegetur.*
גם--שמש לא--ראה ולא ידע נחת לזה מזה׃	5. *Etiam ſole non eſt fruitus & cognitione caruit.*
ואלו חיה אלף שנים פעמים וטובה לא ראה הלא אל-מקום אחד הכל הולך׃	6. *Et etiamſi vixerit bis mille annos, ſi bonum non vidit, annon ad unum locum communem ambulat.*

ANALYSIS. Cap. V: 17- fin. Cap. VI: 1-6.

I. Generalis hujus vitæ deſcriptio exhibetur vs. 17. *Ecce quod Ego viderim bonum, quod aptum eſt ad edendum & bibendum, & ad fruendum bonum in omni ejus moleſtia, qua quis moleſtatus fuerit ſub ſole omnibus diebus vitæ ejus, quos dedit ipſi Deus ille, quod hoc ſit portio ejus.*

II. Hæc theſis uberius deducitur per partes a C. V: 18- VII: 14.

A. Relate ad res proſperas, de quarum legitima fruitione agitur à Cap. V: 18-VI: 12. Hic iterum duo pertractantur

1. Enim hujus officii præſtantia commendatur C. V. vs. 18. & 19.

a. Per originem divinam, quam implementum hujus officii habet vs. 18. *nam quicunque homo, cui Deus ille dedit divitias & facultates, & dedit ei poteſtatem ad edendum, inde & ad lætandum in moleſtia ejus, hoc eſt donum Dei.*

b. Per conſtantem hujus officii etiam in rebus modicis fructum vs. 19. *quando non erit augmentum, recordabitur dierum vitæ ejus, quia Deus ipſi reſpondet in lætitia cordis ejus.*

2. Accedit oppoſitio eorum, qui hoc officium negligunt Cap. VI. integro. Horum infelicitas ita deſcribitur, ut ad duas claſſes referantur.

a. Oc-

a. Occurrunt qui in poſſeſſionem bonorum externorum avaritiæ ſunt dediti C. VI: 1-6, Hic avari miſeria

α. Deſcribitur vs. 1. & 2.

א. Præcedit novam attentionem exigens præfatio vs. 1. *Eſt malum quod Ego vidi ſub hoc Sole, & frequens iſtud eſt apud homines.*

ב. Sequitur delineatio ipſa vs. 2. *Vir cui Deus ille dabit divitias & facultates, & gloriam, & nihil deficiet ipſi ſecundum animam ejus ex omnibus quæ deſiderabit, & Deus non dabit ipſi poteſtatem ad comedendum inde, quare Vir peregrinus comedet ex eo, iſtud vanitas & malus dolor eſt.*

β. Amplificatio hujus infelicitatis additur per conſiderationem certi cujuſdam caſus à vs. 3-6. Circa talem caſum SALOMO.

א. Judicium ſuum proponit vs. 3. *ſi gignet Vir centum filios, & annos multos vivet, & dies annorum ejus erunt multi, & anima ejus non ſatiabitur ex bono illo (etiam ſepultura tali non contigit) dixi, quod melior ipſo ſit abortus.*

ב. Judicium hoc confirmatur vs. 4, 5, 6. & quidem hoc ordine, ut.

1. Judicium SALOMONIS argumento quodam ſtabiliatur vs. 4. *Nam in vanitate venit, & in tenebris abibit, & in tenebris nomen ejus tegetur.*

2. Argumentum hoc contra duas objectiones aſſeritur, quæ vs. 5. & 6. proponuntur, *etiam Sole non eſt fruitus, & cognitione caruit. Et etiamſi vixerit bis mille annos, ſi bonum non vidit, an non ad unum locum communem ambulat?*

* * * * *

Sed hic, Meditationes Viri Doctiſſimi cum ſubſiſtant, ipſi quoque ut ſubſiſtamus neceſſe erit.

INDEX.

Rerum & Vocabulorum.

A.

A & Ω Chriſtus 261

Aaron typus Chriſti 232. ejus unctio quid præfiguraverit. 233.

Aben-Ezra laudatur. 58.

אביון egenus, quinam in Scriptura hoc nomine veniant 223.

Abire facere phraſis explicatur 110.

Ablactati emblema 192.

Adſcenſus tribuum Iſrael ad feſta ſolemnia Hieroſolymæ celebranda quid figuraverit 52. 56.

Ædificare domum pro benedicere familiæ in ea habitanti 134.

Ædificatores fruſtra laborantes Antichriſti deſignant miniſtros. 135.

Ægyptii quo inſtrumento in dimetiendis & dividendis agris uſi. 165.

Afflictiones Eccleſiæ quas a Judæis paſſa eſt deſcribuntur. 7. ſq. 163.

externæ figuræ internarum 96.

Somnio comparantur. 118.

Agnus emblema filii Dei. 333.

Agri Sylvæ Pſ. CXXXII: 6. quid deſignent. 211.

Agricultura emblema miniſterii Evangelii. 164.

אהל cum voce בית conſtructa quid inſinuet 206.

און, iniquitas 110.

אלהינו nomen Meſſiæ. 63.

אלמה fasciculus ſpicarum 127.

אם לא Pſ. CXXXI: 2. interrogative capiendum. 191.

Ambulare in viis Jehovæ phraſis exponitur. 151.

Amici Meſſiæ quinam 62.

quomodo propter eos Deus omnia dicatur facere 16.

Amyraldus notatur 55.

Ancillis oculos ſuos ad manus herarum dirigentibus comparantur fideles 72.

Angelorum in Eccleſia miniſterium 334.

Angelus pro Angelo foederis 454.

Angelus Eccleſiæ pro tota Eccleſia 275.

Angulus agri pauperibus olim relictus 169.

Anima pro vita 11.

pro affectibus 19. 181.

fidelium divina ſervatur potentia 41.

Animantia quatuor & eorum emblema 323.

Antichriſtus κατ᾽ ἐξοχὴν רשע dictus 104.

ejus proprium gnoriſma Fraudulentia 106.

Dei timorem evertit 157.

cum adſeclis pudore ſuffunden-

den-

dendus ultimo tempore 166.
ſubditos ſuos gravi ſervitute premit 187.
incaſſum ſe reſtauratoribus Evangelicæ veritatis oppoſuit 144.
cum adſeclis ſuis gramini exareſcenti comparatur 168.
A*ntipas* & ejus emblema 287.
A*pocalypſeos* forma eſt ad modum Epiſtolæ ad VII. Aſiæ eccleſias datæ 255.
titulus unde deſumtus 257.
in A*pocalypſin* introductio 247 ſq.
A*poſtolos qui ſe dicunt* ſunt Pſeudo-Apoſtoli atque hæretici 276.
אף naſum & iram notat 84.
אפיק vocis ſignificatus oſtenditur 122.
A*quæ* fluxus & refluxus 370.
Aquarum emblema 85.
Aquis quo ſenſu ſuperbia adſcribatur 87.
A*ratores* emblema Evangelii miniſtrorum. 164.
in Eccleſiæ dorſo arantes quinam? *ibid.*
A*rca Fœderis* cur Arca fortitudinis Jehovæ adpelletur 214.
ejus myſterium *ibid.*
A*rianæ* hæreſεως propagatio 77.
אשרי formam adverbii induit 150.
quomodo a טוב diſtinguatur. 152.
A*ſia* proconſularis S. Lydiana 258.
A*ttila* Flagellum Dei. 93.
A*ttollere oculos* geſtus precantium & auxiliam implorantium 29. 69.
manus itidem ritus precantium 242.
A*varitiæ* incommoda referuntur 460.
A*varus* quo ſenſu in tenebris comedere dicatur, exponitur. 463.
A*ucupis* emblema 91.
A*udire* pro exaudire Deus dicitur 176.
A*vis* emblema fidelibus adplicatum. 89.
A*ures* quo ſenſu Deo tribuantur 177.
ad perennem in hac vita Αὐταρκειαν via traditur 464 ſq.
A*uxilium* a ſolo Deo exſpectat Eccleſia 30.

B.

B*abylonicæ Turris* exſtructio quid præfiguraverit 135.
Balteorum & cingulorum ratio 270.
Barba Sacerdotis ſummi emblema doctorum in Eccleſia 233. 234.
Beatitudines Meſſiæ quopacto adaugeri dicantur 144.
Benedicere benedicendo quid exprimat 223.
Deo pro celebrare Deum 87. 241.
in nomine Jehovæ 170.
Benedictiones externæ Iſraelitarum typi erant Spiritualium 147.
earum frequens apud Judæos uſus. 170. 242.
κατ ἐξοχην bona N. T. dicuntur.

tur. 236.
jubere quid deſignet 237.
Beſtiis ſimiles impii. 433.
hoſtes Eccleſiæ 84.
בוא τω הלך oppoſitum *redire* notat. 126.
בוז vocis ſignificatus eruditur 74.
בוש verbi uſus notatur 143. 166.
בטח quomodo diſtinguatur a חסה 99.
בטן vocis uſus 218.
בכה quid ſignificet. 125.
Bochartus notatur 18. 89.
Boni pro veris fidelibus 107.
De *Bono* vero & permanente agitur 406.
Bonum eccleſiæ quid deſignet 63. 155.
qua ratione Meſſias illud quærere dicatur; traditur 63.
ברוך idem quod ευλογητος. 87.
cur ſæpiſſime cum nomine יהוה conſtruatur 16.
ברכה de bonis N. T. *κατ εξοχην* uſurpatur. 236.
ברם tentare, purificare & ſeparare notat 432.
Bugenhagius laudatur 214. 215.
Buccina emblema. 268.

C.

Cajetanus laudatur 165.
Candelabra ſeptem aurea 269.
Captivitas Zionis Pſ. CXXV: 1. commemorata quid ſignificet 218.
Caritas Eccleſiæ primitivæ 277.
Carolus Magnus laudatur 95.
Quintus æquior aliquando Proteſtantibus 144.
Celebratio virtutum Dei finem cultus divini conſtituit 57.
חיל vocis ſignificatus traditur 60.
חסיד vox de homine uſurpata qualem deſignet 215.
חסד Ipſum conſilium & Teſtamentum gratiæ notat 184.
חצן brachium & oram veſtimenti notat. 169.
Chalcolibani natura & color 271.
Circumdationis phraſis De Deo uſurpata quid innuat. 103.
Clamor quibus proprius 10.
Claves inferni quid emblematice deſignent 272.
Coccejus notatur 183. 197 ſq.
Coeli & *Terra* totum univerſum denotant 31.
myſtici 337. 69.
in *Coelis* ſedere quomodo Deus dicatur *ibid ſq.*
Cohabitatio Iſraelitarum feſta ſolemnia celebrantium traditur 231.
Collyrii emblema 311.
Columna nubis Iſraelitis in deſerto umbram præſtabat 36.
ad eam alluditur Pſ. CXXI: 5. *ibid.*
uti & Pſ. CXXXII. 8 ſq. 212 ſq.
Comeſtionis emblema 152.
Communionis ſanctorum bona enumerantur 446 ſq.
Condonatio peccatorum a Deo conceſſa quomodo timorem Dei producat. 180.
Congregationem quandam virorum piorum *Eccleſiaſtis* librum

conſarcinaſſe docetur 356 ſq.
Conſociatio Iſraelitarum in ſolemnibus feſtis quid adumbraverit 52.
Conſuere & *diſſuere*, eſt conſentire vel diſſentire 419.
Contumelia ſatiari phraſis explicatur 74.
Cordis emblema 108.
recti corde quinam *ib.*
obliquitates quid deſignent 109.
exaltatio vel elatio quid denotat. 189.
Cornu emblema 224.
Davidi promicaturum quo ſenſu promittatur 225.
Corona Eccleſiæ impoſita quid deſignet. 227.
Creationis ad foedus gratiæ relatio 32.
Criminationes impiorum, ac ſi fideles nimis magna & mirabilia ſectarentur, indicantur 191.
Crocodilus emblema ſiſtit tyrannorum crudelium 84. 88.
Cultus divini ſcopus indicatur. 450ſ
ratio traditur. 451.
Curvum perverſitatis emblema 388.
Cuſtodis nomen Regibus olim impoſitum. 33. 136.
Eccleſiæ nomen Deo cur tribuatur 40. 136.
nomine Antichriſtus etiam venit. 136.

D.

דבר aliquando notat cum parrheſia loqui. 21.
Dari Deo quid dicatur 12.
David illuſtris Meſſiæ typus 203.
ejus viciſſitudines Eccleſiæ his in terris fata adumbrarunt *ib.*
ejus Regnum conſiderari poteſt ut typus fatorum Eccleſiæ ante & poſt Reformationem. 204. 217.
quo ſenſu juramentum Deo præſtitiſſe dicatur 205.
quo tempore Deus ipſi juraverit. 217.
fructus ventris ipſius Meſſias eſt 218.
filii ipſius quinam 219.
Cornu atque lucerna qua ratione ipſi fuerint promiſſa. 225.
Declinatio à via quid deſignet 109.
Deglutire quem vivum phraſis explicatur. 83.
Dentes hoſtium Eccleſiæ quid denotent. 124.
Deſiderium Deo quo ſenſu adſcribatur 222.
Deus juſtitiam ſuam erga pios & impios demonſtrat. 165.
typica ejus ſub V. T. requies 213.
cur ſæpe jurans introducatur 217.
quando Davidi juraverit. *ib.*
Eccleſiæ Doctor 22.
benedicendo dicitur benedicere 223.
Dextra fidei & roboris ſymbolum 27.
adeſſe alicujus dextræ phraſis ex-

Digitized by Google

exponitur. *ibid.*
Dicentes quinam Pſ. CXXII. 1.
adpellentur 52.
inter gentes quinam deſcribantur. 120.
Dies & *nox* pingunt Eccleſiæ viciſſitudines 89.
emblema læti temporis *ib.*
vitæ pro tempore quo quis in mundo vivit. 156.
Dies dominica, dies prima hebdomadis 268.
Dilectus Jehovæ dicitur Meſſias 138.
Doctores Eccleſiæ ſub emblemate ſeminantium & meſſorum veniunt. 124. 127.
quo ſenſu manum ſuam implere dicantur 168.
Domus Antichriſti Pſ. CXXVII. deſcribitur. 133. 134.
pro familia 59.
Jehovæ Eccleſia N. T. adpellatur 52.
eam adire quid dicat *ibid.*
quinam hanc ſpiritualem conſtituant domum 63.
domum ædificare quid latiori ſenſu in Scriptura deſignet. 134.
Dormire quo ſenſu Deus dicatur 33.
Dormire & *dormitare* quomodo differant 34. 208.
Dorſum pro quacunque eminentia 163.
Eccleſiæ tribuitur 164.

E.

Ecce, particula monet ſæpe de momento rei 34.
in rem præſentem deducit 154. 139.
certitudinem promiſſi notat. 154. 230.
Eccleſia quo ſenſu dicatur peregrinari in Meſech & habitare in tentoriis Kedar 17. *ſq.*
quale judicium exerceat 58.
ejus vera forma externa & interna in quo conſtat 66.
nunquam interitura 101.
populus Dei audit 102.
ejus quies tanquam quies ipſius Meſſiæ conſideratur 139.
Uxor Meſſiæ myſtica 140.
Uxor quoque eſt Miniſtrorum Evangelii 52. *ib.*
ipſius dorſum per aratores ſulcatum quid deſignet, traditur 164.
proles ipſi copioſa promittitur 219.
corona ſplendeſcente donata. 227.
poſt tempora Neronis de charitate remiſit 249.
Eccleſiaſtis Auctor eſt Salomo 255.
θεοπνευςια adſeritur 357.
ſcripti tempus, occaſio, ſcopus & argumentum inveſtigantur 358. 360.
inter *Eccleſiaſtis* & *Proverbiorum* librum analogia. 355. 356.

Con-

Congregationem quandam virorum piorum *Eccleſiaſtis* librum conſarcinaſſe docetur. 356. *ſq.*
Efferre cor ſuum phraſis quid ſignificet 189.
Egeni quinam in ſcriptura dicantur 223.
Electio Zionis, quid deſignet 221.
Epheſina Eccleſiæ emblema 276.
Ephrata Pſ. CXXXII. commemorata, an ſit Bethlehem Ephrata? affirmatur. 209.
quid typice pingat 210.
Epizeuxes in S. Scriptura emphaticæ ſunt. 74. 75. 82. 86. 163. 182. 193. 234.
Equus albus & ejus emblema. 241.
rufus 345.
niger 341. 346.
& pallidus. 347.
Euphratis graviſſimæ inundationes commemorantur 122.
ad eas alluditur Pſ. CXXVI: 4. *ibid.*
remedium iis quæſitum quale *ibid.*
Exardeſcentia iræ hoſtibus Eccleſiæ tribuitur. 84 *ſq.*
Excubitores in Templo 182.
quo ſenſu ſe ipſis Eccleſia præferat. *Ibid:*
Exitus & *introitus* hominis in Scriptura omnes ejus denotat actiones 41.
fidelibus ſigillatim N. T. adſcribitur. 42.
earum conſervatio adumbrata per columnam nubis 42.
Exſpectare Jehovam quid dicat 181. 183.
Exſtructio urbis Hieroſolymæ typus exſtructionis Eccleſiæ ſpiritualis 54.

F.

Faciem alicujus avertere phraſis exponitur. 217
Fatigatio rerum, qua in re conſiſtat indicatur 371.
Felicitas miniſtrorum Evangelii Pſ. CXXVIII. deſcribitur.
Ferire quomodo zelus dicatur. 39.
Fideles non poſſunt excidere divina gratia 33.
ſervis & ancillis comparantur. 72.
quomodo *ſatientur contumelia* 74.
aviculis comparantur 89.
bonorum nomine inſigniti 107.
quo ſenſu in thronis dicantur ſeſſuri 221.
fratres una habitantes cur vocentur. 231.
Fiduciæ objectum ſolus Deus 99.
Filii juventutum quinam dicantur 141.
Meſſiæ cum hoſtibus in porta quo modo loquantur 143.
filiorum pro tota poſteritate. 156. 220.
Davidis quinam habendi 219.
Fletus agricolarum ſeminantium quid emblematice deſignet 124.

Digitized by Google

Fœdus Jehovæ pro fœdere gratiæ 219.
Fratres quinam apud Hebræos dicti 62.
Meſſiæ 61.
una habitantes quo ſenſu fideles vocentur 231.
Fraudulentia falſitate deteſtabilior 13.
Antichriſtianiſmi gnoriſma 106.
Fraus contra Deum 11.
Frigoris emblema 40.
in Eccleſia ſec. III. indicia 45.
Frigidus & fervidus 310.
Funes ab antiquo ad dimetiendos & dividendos agros adhibiti 165.
quid in relatione ad Eccleſiam pingant *ib.*
eorum ruptio Pſ. CXXIX: 4.
memorata quid inſinuet *ibid.*

G.

גַּ quamcunque notat eminentiam 163.
גם particula *nihilominus* nonnunquam notat *ibid.*
Gatakerus laudatur 118.
Gaudium fidelium riſui comparatur 119.
Geneſ. III: 19. 434.
גאיונים quinam adpellentur Pſ. CXXIII: 4. 75.
גבר vocis notio indicatur 142.
גבור Diabolum etiam deſignat 14.
גוים quinam in Scriptura dici ſoleant 120.
גורל vocis notio præbetur. 105.
Gradus quindecim inter Atrium virorum & mulierum 2.
in templo Ezechielis, eorum myſterium traditur 4.
Gramini in tectis creſcenti hoſtes Eccleſiæ comparantur. 167.
Gratiam Dei cur fideles teneantur implorare 73.
Gregorius M. papa Rom. primus Epiſcopi univerſalis titulum ſibi vindicavit 112.
VII. dominatum Sedis Rom. ſtabilivit *ib.*
גוס vox quid notet 23.
Grotius notatur 252.

H.

ה finale in voce צרתה Pſ. CXX: 1. intendit ſignificationem 10.
Habitatio Eccleſiæ in tentoriis Kedar explicatur 18. *ſq.*
gloriæ divinæ in Tabernaculo & Templo cur tantopere expetita ſit a Salomone 213.
Hæreditas Meſſiæ, populus ejus 139.
הלך τω בוא oppoſitum *exire* notat 125.
ſæpe idem quod *ſectari* 191.
Hardtius Herm. notatur 252.
Hermon quid emblematice denotet 235.
ejus ros quomodo dicatur deſcendere ſuper montes Zionis explicatur. 236.
Heros Jacobi Meſſias vocatur 206.
ejus habitaculum quale 209.
quomodo adorandus 212.
היטיב verbi notio 107.

Hie-

Hieroſolyma myſtica Pſ. CXXII. deſcribitur. 48 *ſq.*
Typus Eccleſiæ N.T. 53. 102.
quo ſenſu a Zione & Templo diſtinguatur 53.
exſtructio ejus typica 54.
locus conventuum Sacrorum. 55.
ejus *amatores* quinam dicantur 60.
ejus ſitus deſcribitur 102.
emblema latius patet notione *populi Dei* 103.
Bonum Hieroſolymæ videre, quid inſinuet phraſis 155.
הגדיל verbi ſignificatus indicatur 121.
הטה verbum quid ſignificet oſtenditur 109.
הציל quid proprie deſignet 10.
Hiſtoria Iſraelitica fuit typica 203.
חורת verbum quid ſignificet 57.
Homo vox collective ſumta quid notet 83.
Hoſtes Eccleſiæ adſeclæ Antichriſti 167.
belluis ſimiles 84.
inſidias ipſi ſtruunt. 90.
nec tamen ei prævalent 163. 226.
gramini tectorum comparantur 167.
periculoſiſſimi ſunt interni 172.
עבר verbum conſtr. cum nomine מים quid indigitet. 86.
עד emphaticnm ſæpe eſt 73.
עדות cur Lex eo nomine veniat 57.
עות verbum invertendi habet notionem. 178.
עולה quomodo differat a רשעה 106.
עולם de terra uſurpatum nonabſolutam æternitatem denotat 368.
עמד verbi duplex uſus traditur 169.
עמל laborem moleſtum denotat. 135. 367.
ענין labor, opus præcipuum 386.
עקלקלות vox bis in Scriptura occurrint 109.
ejus notio *ib.*
עשה quomodo diſtinguatur a ברא 31.
aliquando benefacere notat 121.

I.

Aſpidis color & emblema 321.
יחל ſperare 181.
יחרד quid deſignet 55.
יכל verbum victoribus proprium 163.
יער an Pſ. CXXXII: 6. ſit nomen proprium. 211.
In libro *Jalkut* integer Pſ. XXII. de Meſſia explicatur 61.
Ieſabel nomen myſticum 293.
ישב verbum de quibus prædicetur 101.
יהוה nomen Dei proprium quam emphaſin habeat traditur 31. 36.
quamnam hoc nomine Deus ad pios habeat relationem 189.
יושר rectitudinem quamcunque notat. 108.
quid junctum voci טוב ſignificet. *ibid.*
יצועים ſtrata denotat 207.

יתרון pro ſummo *Bono*. 366.
Inconſtantia vitæ humanæ docetur 368. *ſq*.
Incurſiones Barbarorum in R. Imp. ad tres periodos relatæ 93.
Indui ſalute phraſes explicantur 224.
pudore 226.
Infantis ablactati emblema 192.
Iniquitatem operari quid dicat 110.
fidelium *iniquitates* 178.
ad *iniquitatem* manus extendere quid denotet 106.
Invidiam ut compeſcant fideles monentur 438.
Inundationis emblema 85.
Iob. III: 8. 369.
Ira hoſtium Eccleſiæ igni comparatur. 84.
Ire eundo & flendo de ſeminantibus prædicatum quid emblematice exprimat 125.
Iſrael pro Eccleſia 35. 82. 174.
typica populi Iſraelitici conſervatio 35.
redemtio ex Ægypto 184.
pueritia ejus duplex 163.
ex omnibus pravitatibus liberandus 185.
Iſraelitarum conſociatio in feſtis majoribus typus congregationis gentium ſub N. T. 52. 55.
Iubere benedictionem phraſis quid denotet 237.
Iudæi tempore Meſſiæ fraudulenti & falſiloqui erant 11. *ſq*.
de *Iudæis* qui non ſunt 282.
Iudicium ab Eccleſia exercendum 58.
& *juſtitia* conjunguntur 431.
Iugera protrahere i. e. terminos agrorum movere 164.
Iuniperorum prunæ ignem diu fovent 15. ſq.
cujus rei emblema præſtent 16.
Iuramentum Davidis Pſ. CXXXII: 2. commemoratum quale fuerit. 205.
cum voto conjunctum quid involvat. 206.
cur Deus ſæpe *jurans* introducatur 217.
Iuſti quinam dicantur 105.
ſors juſtorum deſcribitur *ibid*.
Iuſtinus M. laudatur 23.
Iuſtitiæ divinæ duplex exercitium 165.
juſtitia Chriſti panis eſt myſticus. 223.

K.

Καὶ pro *ſcilicet*, vel *nimirum* 272.
קוה verbum proprie ſignificat moveri ſecundum lineam rectam. 181.
exſpectationem eleganter exprimit *ib*.
קרה verbi antiquus uſus. 10.
Kedarenorum ſedes 18.
communio cum Eccleſia *ib*.
Kimchius notatur 58. 143.
קהלת congregatam notat Eccleſiam, atque adeo ſocietatem plurium. 356.

L. *Le*

L.

Lætitia Meſſiæ quam propter populum ſuum concepit deſcribitur. 51.
לילה noctem & veſperam notat. 242.
לעג vocis notio. 75.
Langii (Matthæi Archiep. Salisburg.) confeſſio de Reformationis neceſſitate. 145.
Laodicenæ Eccleſiæ emblema 309.
Lapilli olim in ſortitione bonorum adhibiti 105.
per metonymiam res quæ ſorte obtigerunt deſignant. *ibid.*
Laquei emblema 90.
evadere e laqueo phraſis exponitur. 91.
Levitæ Sancti Dei dicti videntur. 215.
Liber οπισθογραφος in Apocalypſi. 330.
Linea, genus retis avibus capiendis inſerviens. 90.
Lingua convitians *ingrata* dicitur. 15.
jubilo impleta quid deſignet. 120.
Locus Jehovæ dicebatur olim mons Templi. 208.
Eccleſia N. T. *ibid.*
quomodo David illum deſideraverit invenire 209.
Longobardi oppreſſores Eccleſiæ. 93.
Loqui pacem quid ſignificet. 62. 63.
cum hoſtibus in porta phraſis exponitur. 143.
Lorinus notatur. 20.
Lucernæ emblema. 225.
Lunæ emblema. 38.
metonymice frigus humidum notat *ibid.* 40.
Lutherus notatur. 99.
Verba ejus memorabilia de proceſſu Reformationis feliciſſimo citantur. 130.
Lychnuchi S. quotidiano præparatio quid præfiguraverit 226.

M.

Magnificentia Dei, quam in liberatione Eccleſiæ oſtendit, indicatur. 121.
Magnificentiæ Salomonis exempla. 394. *ſq.*
מה aliquando intendit ſignificationem 230.
מעלות cum præfixo ל in deſcriptione Pſalmi CXXI. quid denotet. 27.
מעמקים vocis uſus 176.
מעמר Particip. Pih. in Pſ. CXXIX: 7. duplicem admittit ſignificatum. 169.
מענה jugerum 164.
מענית an legendum pro מענות Pſ. CXXIX. 3. 164.
Mala triſtia quoad fideles rationem mali amittunt. 41.
defenſio viarum Dei circa *malum* quod eſt in mundo 424. *ſq.*
Manuum emblema 71.
Manus ad iniquitatem extende-

dere 106.
Manus Jehovæ Spiritus S. ſymbolum. 141.
labor quid deſignet. 151.
Marina monſtra crudelium tyrannorum emblema gerunt 84.
Merces Meſſiæ quænam promiſſa ſit indicatur. 140.
Mergitium emblema explicatur. 127.
Meridies pro plaga meridionali 123.
Meſech an ſit vox appellativa inquiritur 17. ſq.
Moſchis originem dedit 18.
Meſſiæ promittitur ſomnus 138.
hæreditas filii ejus ſunt 139.
ad ſignata qualis ſit merces 140.
beatus propter multiplicationem filiorum prædicatur. 142.
in ſolio Davidis quomodo collocandus dicatur. 208.
Meſſis emblema in Scriptura S. 124.
tempus lætiſſimum olim erat *ib.*
apud veteres lætitiæ ſymbolum erat. 125.
Meſſores emblema ſiſtunt doctorum Evangelii 124.
manuum implere quo modo dicantur 168.
in Eccleſia Antichriſtiana 170.
Milites cur olim juvenes dicti ſint. 141.
Miniſtri Evangelici characteres ſuppeditantur 146.
uxoris quaſi relationem ad ipſum habet coetus cui præpoſitus eſt. 152.
miniſtrorum Evangelii quinam dicantur filii. 153.
officium 158.
eorum deſcribitur felicitas *ibid.*
Montium emblema 29. 30.
numina olim in iis culta. *ib.*
concuſſiones interitus Regnorum deſignant. 101.
Mortui quo ſenſu ſint beatiores vivis enucleatur 437.
Mors prima & ſecunda, quid 283.
Moſchi in Eccleſiæ gremium recepti 19.
Moyne (Steph. Le) notatur 18.
Muri Eccleſiæ explicantur 60.
משׁ quid ſignificat 32. 101.
Myconii (Friderici) ſomnium de inſtante Reformatione 128.

N.

נא particulæ ſignificatus eruitur 82.
נחל Torrentem notat. 85.
Nati nondum quomodo beatiores ſint vivis docetur 437.
Nativitas Chriſti Bethlehemitica, an Pſ. CXXXII. 6. prædicatur 209.
myſtica in Eccleſia 210.
Nehem. II: 9. 394.
Nicolaitæ vere ita dicti 278
Nivis emblema. 270.
נזר Corona, notat etiam comam Naziræorum. 226.
נפלאות opera Dei miranda 190.
Nomen Jehovæ quid 57. 92. 170.
quo-

Digitized by Google

quomodo ei fiat confeſſio. 58.
fundamentum ſpei, qua Ecclesia auxilium exſpectat 92.
per illud benedicitur 170.
Dei ſcriptum ſuper vincentem 306.
Nox emblema calamitatum 40. 242.
נוח verbi notio 105.

O.

Obſcuritas Prophetiarum nil ipſis derogat. 247. 8.
Obliquitates cordis 109.
de Tempore *Occiſionis* opportuno. 417.
Oculos attollere phraſis de precantibus uſurpatur. 29. 69
Oculi ſervorum & ancillarum ad manus dominorum atque herarum directi quid emblematice dicant docetur 72.
Oculi alti faſtus indicia 190.
Oculi ſapientis cur dicantur eſſe in capite ejus exponitur 401.
Odium Judæorum in Chriſtianos 22.
ejus cauſa 22 ſq.
Oeconomia Regni Meſſiæ ſub N. T. quouſque duratura. 43.
Officia ab iis qui ex magnis erepti ſunt periculis præſtanda 96.
cum ſub afflictionibus, cum iis finitis, a quibuſcunque fidelibus obſervanda 130.
miniſtrorum Evangelii. 158.
obſervanda ab his qui meliorum in Eccleſia temporum exſpectationem promovere ſtudent. 186.
Olea ad conficienda Tabernacula ab Iſraelitis videtur adhibita. 153.
Olearum emblema 154.
Oleum veteres inprimis adhibebant in conviviis. 242.
notio ejus emblematica *ib.*
Sacrum quomodo in unctione ſacerdotis M. ex capite ipſius in barbam uſque in oram veſtium deſcendere potuerit docetur. 234.
Omer primitiarum. 127.
quid Judæi de eo doceant *ibid.*
Opera ſupererogatoria Deo addi dicuntur 13.
Orare Deum *propter Davidem* quid ſit docetur 216.
Origenis teſtimonium de Chriſtianorum veterum zelo pro Dei gloria citatur. 45.
de *Origine* mali vera diſſeritur. 421.
Oſores pacis Eccleſiæ deſcribuntur 20.
Oſtium emblema ſenſuum 312.

P.

פח Inſtrumentum avibus capiendis idoneum 90.
Palatia Eccleſiæ conſtituunt principes & magiſtratus Chriſtiani 61.
Panis dolorum quis 130.
Eccleſia Antichriſtiana eo ciban-

banda :
mysticus fidelium, justitia Christi 22.
ea satiari quid designet. *ib.*
Pantheron rete aucupio inserviens. 90.
Paradisus & arbor vitæ in Ecclesiæ militante 279.
Passerum variæ species. 89.
Pauperes in Canaane spicas post messores colligebant 169.
ipsis etiam cedebat angulus agri *ib.*
quorum in Ecclesia operariorum emblema sistant *ib.*
Pathmos emblema ecclesiæ 268,
Pax cum Deo 20.
ejus osores Judæi sunt *ib.*
pro pacifico 21.
Hierosolymæ quid designet 59. 61.
pacem loqui quid sit 62. 63.
Sermo *pacis* Evangelii significat ministerium *ib.*
Ecclesiæ quo modo sub Constantino M. defecerit 65.
Omnigena Ecclesiæ promittitur 111. 157.
פרות vox redemtionem notat 184.
Pentecostes festum Israelitis adeundum. 49.
quid in via ad festum adscendentes cecinerint *ib.*
Peregrinatio eleganter repræsentat vitam fidelium terrestrem. 17.
Ecclesiæ in Mesech. 18.
Pergamena Ecclesia & ejus emblema exponitur 286.
Perseverantia fidelium in exercitio spei describitur 183.
Pharetra emblema Ecclesiam militantem repræsentat 142.
Philadelphia & ejus emblema 304.
Philonis locus notabilis citatur 231.
Pocockius notatur 235.
πολυλογια in cultu divino vetatur 452.
Populi Dei nomine speciatim Ecclesia N. Test. venit 103.
Portarum usus 53.
emblema. *ib.* 143.
porta Antichristianismi 143.
In *Prædam* quos tradat Deus docetur. 88.
Præstolari verbum Jehovæ 181.
Precantes olim faciem ad Templum convertebant 242.
Primitiæ segetis Deo consecratæ 127.
Primus & ultimus est Christus 281.
Profunditatis emblema 176.
Propagatio Religionis Christianæ durantibus gentilium persecutionibus traditur 44.
Num *Prophetam* quoque inde a Cap. Eccl. III: 16. & sqq. egerit Salomo, inquiritur 425. 426.
Prophetici studii osores notantur. 191. 194.
Propugnacula Ecclesiæ 60.
Protractio seminis, cujus mentio fit Ps. CXXVI: 6. quid sit exponitur 126.
Providentiæ divinæ defensio contra cavillatores 409. *sq.*

Pi-

Digitized by Google

Pſalmi graduum שירי המעלות, cur ita dicti. 1 *ſq.*
in Feſto Tabernaculorum decinebantur 2.
ab auctoribus diverſis confecti 13.
idem omnium eſt ſubjectum *ib.*
repræſentant ſtatum Eccleſiæ N. T. per varias temporum periodos *ib.*
cur numero ſint *quindecim* 4.
Pud fieri quinam dicantur 166.
Pudore indui phraſis quid denotet. 226.
Pueritia populi dicitur ejus initium. 162.
duplex Iſraelis ſpiritualis 163.

Q.

QUindecim Pſalmorum Graduum myſterium indicatur. 4.

R.

ראה contemplationem & meditationem profundiorem ſæpe notat 420.
Recordatio quo ſenſu Deo adſcribi poſſit 204.
Recti corde quinam 108.
Rectitudo moralis *ib.*
Redemtio Iſraelitarum ex Ægypto typus redemtionis per Meſſiam factæ 184.
multa dicitur apud Deum eſſe *ib.*
Iſraelis ex omnibus pravitatibus 185.
Reductio torrentum in alveos, cujus rei emblema præſtet 122.
captivitatis populi Dei inſtar Torrentis, quo modo exponi debeat. 123.
Reformationis negotium variis divinæ providentiæ indiciis inſigne 129.
felices progreſſus indicantur 130.
Reformatores propter conſtantiam & fortitudinem ſuam ſingularem laudantur. 145.
Regna Saulis, Davidis & Salomonis typica fuerunt 203 *ſq.*
רעית רוח fractio ſpiritus 387.
Reinerii inquiſitoris confeſſio de Waldenſium innocentia allegatur 129.
Rolandus notatur 236.
רמיה quamnam fraudis deſignet ſpeciem 11.
Requies Dei typica ſub V. T. 213.
quo ſenſu Deus ad requiem ſuam dicatur ſurgere *ib.*
anni typica ſub N. T. *ib.*
ejus fundamentum detegitur. 222.
Reſpondere precantibus quo modo *Deus* dici ſoleat. 10.
Reticentia emblema compreſſionis affectuum. 139.
Riſus pro gaudio fidelibus ſæpe adſcribitur. 119.
Ros emblema multitudinis 234.
montis Hermon quomodo deſcen-

Digitized by Google

ſcenderit in montes Zion explicatur. 236.
emblema vocationis gentium ultimis temporibus futuræ ib.
רתם Iuniperus 15.
A *Rupe Sciſſa* (Joannes) futurum prædixit ſec. XIV. reformationis opus 128.

S.

שאל quid ſignificet 59.
שאננים *ſecuri* Pſ. CXXIII. 4. quinam deſcribantur 75.
Sacerdos Summus typus Chriſti. 233.
Sacerdotes Dei ſpirituales ſub N. T. ſunt veri fideles 215.
amicti juſtitia quinam ſint ibid.
שחה adorare verbi notio indicatur 212.
Sagittæ deſignant calumnias 14.
emblema quoque verbi divini & Evangelii miniſtrorum 141.
שלח verbi vera notio oſtenditur 60.
Salomo auctor Pſalmi. CXXVII. 132.
Dilectus Jehovæ. 138.
cur unctus Dei appellatur. 216. 236.
deſcribitur 385. 361.
de Sapientia *Salomonis* 389.
Magnificentiæ *Salomonis* exempla 394. *ſq.*
Reſipiſcentiæ *Salomonis* indicium 398. *ſq.*
שלך *eduxit* in Kal paſſive uſurpatum. 168.
Salute indui phraſis explicatur. 224.
Sancti Jehovæ quinam dicti 215.
Sardii lapidis emblema 321.
Sardenſis Eccleſia, & ejus emblema 299.
Duo *Sardonyches* in veſte ſacerdotis M. 234.
eorum myſterium ib.
Satiari contumelia 74.
Satietatis emblema. ib.
שוה ſedare, verbi uſus indicatur 292.
Saulis regnum emblema Regni Antichriſti 204.
Scabellum pedum Jehovæ vetus dicebatur Sanctuarium 212.
Sceptrum injuſtitiæ 104.
non quieturum ſuper ſorte juſtorum, quid indigitat. 106.
in ſede Romana obtinet 112.
Schmidius (Sebaſt) notatur. 207.
Securi quinam Pſ. CXXIII: 4. appellentur. 75.
Sedare animam quid ſit. 192.
Sedere ſtatum florentem & ſtabilem denotet. 101.
ſedendo retardantes Pſ. CXXVII. quinam 137.
Sedes Judæorum durante Babylonica captivitate 123.
Antichriſti, ubi ib.
סליחה *condonatio* ſæpe idem quod *ιλασμος* notat 179.
Semen emblema verbi Dei 125.

Se

ſeminis protractio quo ſenſu Pſ. CXXVI. 6 commemoretur 126.
Seminantes emblema doctorum Eccleſiæ. 124.
Sequi aliquem eſt doctrinam ejus recipere 400.
Servare iniquitates. 178.
Servi Dei, doctores Eccleſiæ 257.
Servis olim arma tractare non licebat. 71.
eorum oculi ad manus dominorum directi ib.
fideles *ſervi* Dei ſunt 72.
quinam ſub V. T. ſervi Dei dicti fuerint 241. *ſq.*
שׁבה vox unde derivanda 118.
Signa olim in deſertis erecta 100.
Socii Meſſiæ quinam 62.
quo ſenſu propter eos Deus omnia facere dicatur ib.
Solis emblema 352. 38.
metonymice æſtum notat *ib.*
æſtus emblema zeli divini 39.
Sol in loco ſuo oriens & occidens convenit cum ſyſtemate Copernicano. 368,
ſub *Sole* phraſis exponitur 371.
Somnio comparatur ſtatus fidelium afflictus ante ipſorum liberationem. 118.
Somniantium ſymbolum quo ſenſu populo Dei applicari poſſit 119.
Somnus emblema ſocordiæ 35.
pacis 138.
dilecto Jehovæ Pſ. CXXVII: 2. promittitur *ibid.*
Oculis *Somnum* dare quid ſignificet. 208.
Sors juſtorum deſcribitur 105.
injuſtorum *ib.*
Spes fidelium quam ad Deum exercent 181, *ſq.*
de *Spiritibus* ſeptem Apocalypſeos. 258.
Spiritus hominum a ſpiritu beſtiæ diſtinctus docetur 435.
Stare in judicio phraſis exponitur. 179.
in domo Dei 241.
Statio Iſraelitarum ad feſta majora adſcendentium in portis Hieroſolymæ. 53.
Subditi Antichriſti dura ſervitute premuntur 137.
סוד de quibus proprie uſurpetur 166.
Supercilium ſuperbiæ ſedes & ſymbolum 190.
Supplicationes fidelium ad Deum 177.
Surculis arborum læta confertur ſoboles 153.
Surgere pro accingi ad opus 137.
Surgendo matutinantes Pſalmo CXXVII: 2. deſcripti quinam. 137.
quo ſenſu Deus olim ſuper arca foederis habitans *ſurgere* in Scriptura dicatur 212. 214.
Sylva pro Templo. 211.

T.

Ad Feſtum *Tabernaculorum* reſpi-

ſpiciunt Pſalmi graduum 152. 229. &c.
Tela ignita 14.
Templum a Zione atque Hieroſolyma ſenſu myſtico ſæpe diſtinguitur. 53.
nomine *ſylvæ* inſignitum occurrit 211.
ſedes Dei atque locus requiei ejus 213. 222.
de *Tempore* opportuno rebus omnibus præfixo agitur 416.
de *Tempore* opportuno *occiſionis* 417.
Tentoria Kedar 18.
Tertulliani teſtimonium de amplitudine Regni Chriſti qua ejus ætate jam patebat, allegatur 44.
Teſtimonium Jehovæ, idem notat quod Foedus Jehovæ 57. 220.
תחנונים vocis ſignificatus elicitur 177.
Throni Regum olim cum mortuis regibus combuſti 58.
in Eccleſia ad judicium poſiti. *ib.*
fideles in ultimis temporibus quo ſenſu *in thronis* dicantur *ſeſſuri*. 221.
Thyatirenſis Eccleſiæ emblema. 292.
Timor Domini verum omnis divini cultus eſt principium 150.
eſt filialis timor. *ibid.*
in Antichriſtianiſmo multa ſunt ei contraria 157.
quomodo cum peccatorum condonatione a Deo accepta conjungatur. 180.
inculcatur 456.
טוב vocis elegans cum verbo הטיב conſtructio 107.
quid cum ישר conjunctum ſignificet 108.
Torrentis emblema exponitur 85. 122.
reductio in alveos quid emblematice exprimat 122.
Tradere in prædam 88.
Tranſire ſuper animam alicujus phraſis quid innuat docetur 86.
Tranſeuntes per viam Pſ. CXXIX: 8. quinam dicantur 170.
Tribuum XII. myſterium 56.
confluxus ad feſta ſolemnia quid figuraverit *ib.*
cur tribus Jah dictæ *ib.*
Turris Bab. exſtructio quid adumbraverit 135.
ציה deſertum unde dicatur 100.
צידה viaticum notat 223.
ציון montis nomen, ejus notio traditur. 100.
צמח verbi ſignificatus 225.
צפור quid notet 89.
צור verbi uſus 162.

V.

ו copula an Pſ. CXXV: 5. in init. per *vero* vertenda? 109.
Vacillationis pedum emblema 32.
Valens Imp. Ariana hæreſi infectus fuit 77.
miſere periit 78.
Vandali Arii adſeclæ 94.
perſecutionem in orthodoxos movent *ib.*
Vanitatis notio exiſceratur 365.

Va-

Vapores humidi fructus carnis deſignare poſſunt 40.
Venire in domum ſuam phraſis quid proprie dicat 207.
ad habitacula Dei 211.
Venti circuitus perplexus docetur. 369.
Verſio LXX. viralis notatur 85.
vulgata itidem notatur *ibid.*
Viæ Dei quid deſignent 151.
ambulare in iis quid exprimat. *ib.*
Victus emblema 223.
Videre eſt contemplari cognoſcere. 387.
bonum Hieroſolymæ 155.
Vincentis emblema 279.
Virga ſignum Regiæ poteſtatis 56. 104.
emblema ſubolis 56.
Viri nomen quo ſenſu Meſſiæ adſcribatur. 142.
Vita fidelium in his terris peregrinationi ſimilis 17.
Vitis emblema foecundæ conjugis 153.
ei ſinguli cœtus fidelium comparantur *ibid.*
ad conficienda Tabernacula etiam videtur adhibita *ibid.*
Vitringa P. notatur 142.
laudatur 249. 264. 346. 304.
Umbra emblema tutaminis. 36.
a columna nubis ſparſa quem uſum habuerit *ib.*
cujus rei typum geſſerit *ib.*
Unctio Sacerdotis ſummi ejusque myſterium traditur 233. *ſq.*
Vocare pro precari 176.
Votum Davidis Pſ. LXXXII: 3, 4. traditum ad Eccleſiam ſpectat 207.
Vota & prudenter eſſe concipienda & absque mora ſolvenda docetur. 453. *ſq.*
Urbis emblema in relatione ad Antichriſtianiſmum quid deſignet 136.
Waldus (Petrus) veritatis Evangelicæ profeſſor 112. 124.
Biblia in linguam Gallicam vertit 129.
Wiclefus (Joh.) itidem veritatem profeſſus Evangelicam vertit Scripturam in linguam Anglicanam *ibid.*
Wilhelmi Bavariæ Ducis ad Clerum Ratisbonenſem datum reſponſum allegatur 144.
Uxor myſtica Meſſiæ atque miniſtrorum ejus 152.

Z.

ZElus fidelium pro adſerenda Dei gloria 39.
quomodo *ferire* dicatur *ibid.*
primorum Chriſtianorum pro Religione Chriſtiana laudatur. 45.
Zion mons typus Eccleſiæ N. T. 100.
ejus ſitus traditur *ib.*
quo ſenſu opponatur monti Sinai 101.
cur ex eo benedictiones divinæ promittantur 155.
Eccleſiam quoque triumphantem

tem deſignat *ib.*

Zionis oſores quinam 167.
locus Jehovæ olim dictus 208.
quem ſibi Deus elegit 221.

זמן ועת, quomodo ſint diſtinguenda docetur. 415.

Zwinglii ſingularis conſtantia in ſtabiliendo Reformationis negotio, laudatur 145.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google